NICOLAI VERNVLÆI

CÆSAREI ET REGII HISTORIOGRAPHI

PVBLICI ELOQVENTIÆ PROFESSORIS LOVANII,

INSTITVTIONVM MORALIVM

LIBRI IV.

Nunc Primùm, Additamentis, quæ inſtar Commentariorum eſſe poſſunt, adornati.



LOVANII,

Apud IOANNEM VRYENBORCH, Sub Biblijs,

M. DC. XL IX.

Cum Gratia & Priuilegio.

ILLVTRISSIMO
ET
REVERENDISSIMO DOMINO
IACOBO BOONEN
ARCHIEPISCOPO
MECHLINIENSI.

ANtiquiſſima Philoſophandi ratio, ILLVSTRISSIME ET REVERENDISSIME DOMINE, de vitâ & moribus eſt. Eam Veteres priſco illo æuo ita diligenter Authore Socrate perſecuti ſunt, vt ad vitam honeſtè tranquilleque degendam neceſſarium nihil magis eſſe iudicarent. Quippè per eam humani mores inſtituuntur, vitæ actiones ad virtutis normam diriguntur, ſingulorum iudicia de expetendis fugiendiſq; rebus rectè informantur. Quam ob cauſam Plato diuinus ille Philoſophus illam Donum, Marcus Tullius, Oratorum ille Princeps, Inuentum Deorum appellat. Qualiſcunque verò ſit, cùm primum homini collatum à Deo Immortali bonum ſit vita, tùm proximum eſt vitę rectè degendæ doctrina, ſine qua nihil omninò eſſet ipſa vita. Vndè cùm in hac profeſſione Academica, quam à pluribus iam annis formandæ ad Eloquentiam Iuuentuti ſuſtineo, nihil aliud propoſitum mihi ſit, quàm docendo ſcribendoque benè de hominum vita mereri, & quâ induſtriâ poſſum florentiſſimæ Louanienſis Academiæ gloriam promouere, quatuor hos de Morali Doctrina Libros conſcripſi. Qui cùm hoc tempore in publicā lumen abeant, additamentis locupletati non ad famam aucupandam, ſed ad Inſtitutionem Iuuentutis procurandam, ab *Illuſtriſſimi Nomini Tui* ſplendore commendationem aliquam, & ab illa TVA HVMANITATE tutelam exoptant. Eam autem vt obtineant, totos ſe, quâ par eſt authoris ſui obſeruantiâ, ILLVSTRISSIMÆ DIGNITATI TVÆ dedicant conſecrantque. Non poterant, & verò etiam non debebant

hi de MORIBVS Libri alium ſibi Patronum deligere, quam TE ILLVSTRISSIMVM ANTISTITEM, quem in hoc Belgio noſtro Religio Catholica primum habet Pontificem Curatoremque, & mores Cenſorem. Præterquam quod hanc Lucem ſuam debere ILLVSTRISSIME GRATIÆ TVÆ videri poſſint, quæ poſteaquam noſtros Inſtitutionum Politicarum Libros vidit; me pro benignitate ſua, vt Morales quoque Inſtitutiones conſcriberē, adhortata eſt. Secutus libenter ſum hoc conſilium, & libentius nunc, qualecunque opuſculum eſt *Illuſtriſſimæ Tuæ Dignitatis* offero, quæ quicquid eſt in eo ſcriptum, & poſtea additum ſuo illo pectore concludit, vitâ oſtendit, Eccleſiam ſibi commiſſam regendo exprimit. Illud enim vel ipsâ inuidiâ teſte dicere poſſum, felix *Te Antiſtite* Belgium eſſe, per quem tam ſuauiter inſtillari cum religione virtutes, tam ſeuerè puniri vitia cum impietate videt. Verum cùm *Te* magnum Virtus ipſa faciat, tum eo maior es, quod omnem aſſentationem odiſti. Credis quippè plùs eſſe in quocunque Dignitatis faſtigio Virtute alijs prælucere, quam eleganter laudari. Cohibeo proinde ſtylum. Id futurum arbitror, vt tanto Patrono excitata iuventus Moralem hanc Doctrinam amet, & ſtudioſè complectatur. *Tu verò Illuſtriſſime Domine*, pro Tua illa Humanitate, & in litteratos affectu gratum habe quicquid eſt hoc in opuſculo à me præſtitum, & Tibi oblatum. Placere *Illuſtriſſimæ Dignitati Tuæ* volui, vt Patronum haberem; Iuventuti prodeſſe, vt fructum aliquem inuenirem. Vtrumque ſi conſequar, feliciter ſcripſero. Lovanij Cal. Decemb. cIↃ.IↃC.XLVIII.

ILLVSTRISSIMÆ GRATIÆ TVÆ
Deuotus æternum Cliens,

NICOLAVS VERNVLÆVS.

AD

AD LECTOREM.

INſtitutiones Politicas nuper dedi LECTOR, *ecce nunc Morales. Harum eadem, quæ illarum, eſt forma. Compendio ſcripſi, breuiter & perſpicuè omnia; nec ad contemplationem duco, ſed ad actionem. Quippe benè viuendi Doctrinæ lineamenta hic ſunt quædam, & quid de ea viri præſtantiſſimi ſenſerint. Parum certè ad benè viuendum inſtruit, qui ingenia tantùm contemplationibus occupat. Actione gaudet virtus, non otioſâ meditatione. Dolendum verò eſt nobiliſſimam hanc Philoſophiæ partem ita negligi, vt in poſtremis penè habeatur. Nemo olim ſine ea doctus, imò nemo Philoſophus. Prima priſci æui ingenia exercuit, & primus Iuuentutis fructus ex ea fuit. Doctum nemo aliquem exiſtimabat, niſi ſimul bonum. Aliter hodiè non pauci ſapiunt; Doctrinam, quâ ingenium acuatur, multis laboribus vrgent; illam, quâ vita & mores formentur, vix curant. Quaſi melius ſit acutè & ſubtiliter diſſerere, quàm benè viuere, aut glorioſius primam rerum materiam intelligere, quàm virtutis naturam cognoſcere. Vitium hoc ſæculi eſt; quod emendare pro parte noſtra vtinam poſſemus! Conati hic ſaltem ſumus, nimirùm eâ perſpicuitate Inſtitutiones has contexendo, vt Iuuenes percipiant; eâ varietate, vt delectentur. Votum hoc vnum eſt, vt Doctrinam morum aliquando tandem amet Iuuentus & diſcat. Ea demùm erit Reipublicæ felicitas, cùm ad illam Virtutum ſtudioſi accedent. Is maximus ſtudioſorum fructus, cùm ex Academijs Virtutum cognitionem & amorem referent. Fruſtrà multum ſcire diſcunt, qui benè viuere neſciunt. Tu,* LECTOR, *conatibus noſtris faue, & fruere.*

CENSVRA.

INſtitutiones Morales Eruditiſſimi D. NICOLAI VERNVLÆI, Libris quatuor comprehenſæ cum ſuis Additamentis dignæ ſunt quæ in omnium manibus verſentur, quia valdè eruditæ ſunt, & ad mores cognoſcendos atque formandos admodum vtiles. Datum Lovanij die 4. Decembris 1648.

IACOBVS PONTANVS S. *Theol. Doctor & Profeſſor ac Librorum Cenſor.*

PRIVILEGIVM.

EX Priuilegio mihi à Catholico Rege, Principe noſtro conceſſo, facio poteſtatem IOANNI VRYENBORCH, Academiæ Louanienſis Typographo iurato, typis ſuis excudendi & deuulgandi *Inſtitutionum Moralium Libros* à me ſcriptos, & nunc primum Sententijs, Teſtimonijs & Exemplis auctos; alijs eorundem editionem intra Decennium inhibens. Datum Louanij Calendis Decembris CIↃ. IↃC. XLVIII.

NICOLAVS VERNVLÆVS *Hiſtoriographus Regius & Cæſareus, publicus Eloquentiæ Profeſſor Louanij.*

ERYCI PVTEANI
HISTORIOGRAPHI ET CONSILIARII REGII
DE
INSTITVTIONIBVS *VERNVLÆANIS.*
IVDICIVM.

POLITICAS cùm nuper dederis INSTITVTIONES, quidni & ETHICAS? Audi, mi VERNVLÆE, pari fructu, pari laude: & quia Boni Ciuis officium diligenter eleganterque deſcripſiſti, illud Boni Viri adiunge. Iudicium meum vis? Hoc profectò eſt, vtrâque, vt ſic dicam, manu ad veram ſtudiorum regulam iuventutis ingenia reuocare: imò hoc eſt, in ſpatijs Rhetoricis implere Philoſophi munus, & quomodo priuatim publiceque viuendum ſit, non diſputare, vt ſubtilis videare; ſed docere, vt vtilis ſis. Laudo operam, famam auguror. In pretio erunt INSTITVTIONES tuæ, quia cum fructu. Plura quid attinet dicere? Ad Procemia tua Lectorem duco: te ad Præmia. Laudaſti Doctrinam, quà POLITICAM, quà ETHICAM, quantum laudari poteſt: & ſcribendo exſecutus es, quicquid laudem meretur. Louanij in Arce, VII. Kal. Iunij, ∞. IↃC. XXV.

IN ORNATISSIMI VIRI
D. NICOLAI VERNVLÆI
Pub. Eloquentiæ Profeſſ.
INSTITVTIONVM MORALIVM LIBROS.

QVi tibi vis animum fingi meliore metallo,
Non apinæ, ſed cui vera Sophia placet.
Hos ſparſos gemmis libros, ſacra dogmata verſa.
Non tua ſunt Socrates, non tua ſunt Seneca.
Sunt VERNVLÆI, *melior quem Pallas adornat,*
Qui format mores, & melius Genium.
Vtilibus ſtudijs ævum excolit: illius hæc laus
Currat ad Eoos, currat ad Heſperios.
Hic benè viuendi normam docet? iſta Sophia eſt,
Iſta decet Iuvenes, & decet iſta ſenes.
Si te non noſti, noris licet omnia, nil ſcis,
Te potes ex iſtis noſſe, Deumque libris.
Hos lege, dementis non ſunt ludibria mentis,
VERNVLÆI *ſunt*, ETHICA, *tu ſapies.*

ANTONIVS DAVÆVS S. T. D. Ethicæ Profeſſor.

PROOE-

PROOEMIVM IN INSTITVTIONES MORALES.

OMNIS *diſciplina, quæ ad regendos homines diuinitus eſt conceſſa, triplici ratione continetur. Vel enim eſt ad Rempublicam & vniuerſam hominum ſocietatem regendam, & hæc Politica ſeu Ciuilis Doctrina nominatur; vel ad familiam gubernandam, & appellatur Oeconomica; vel ad ſeipſum dirigendum, moreſq; ad honeſtatis normam conformandos, & dicitur Ethica ſeu Moralis Doctrina. Aliarum duarum cum alibi præcepta tradiderimus, Inſtitutiones hic Morales aggredimur, vt eo facilius & prudentius homines alios regere ac gubernare incipiant. qui ſeipſos regere prius nouerint, ſuiſque affectibus legem ponere, & actiones ſuas ad ipſam honeſtatis regulam componere.*

CAPVT I.

Quid ſit Doctrina Moralis ſeu Ethica.

P*Hiloſophia ſeu Doctrina Moralis nihil aliud eſt, quàm Morum ſcientia: ſeu benè viuendi Doctrina. Dicitur à Latinis Moralis, quia morum humanorum, id eſt actionum honeſtarum rationem tradit. à Græcis Ethica, à Græco itidem vocabulo ἦθος, quod Morem ſignificat. Eſt autem hæc ſcientia Philoſophiæ pars, quæ docet, quo modo actiones ſuas ſecundum rationis regulam dirigere ad honeſtatem oporteat, vt quantum fieri in hoc rerum humanarum ſtatu poteſt, beatè ac feliciter viuamus. Quod vt conſequantur, eniti omnes debent, vt quemadmodum homines ſinguli membra quædam ſunt totius Vniuerſi, ita ſingulorum perfectio ac præſtantia perfectiſſimum tandem reddat Vniuerſum. Eſt enim Ethica Prudentia quædam ſeu Ars, quæ hominis appetitum per virtutem informat, vt ad conſequendam, quæ contingere homini in hac vita poteſt, felicitatem, rectæ rationi pareat.*

Quid ſit Doctrina Moralis.

Vnde dicta Eſt pars philoſophia.

Additamentum.

ARiſtoteles I. Eth. cap. 9. hanc definit eſſe *Artem viuendi ſecundum virtutem, cuius præmium beatitudo. Seu diſciplinam eſſe, quæ de omni virtutum genere diſſerit, vt honeſtè vitam agentes noſtram beatitudinis compotes reddamur.* Alij eam deſcribunt *Philoſophiæ partem de moribus & actionibus rectè honeſteque moderandis, vt benè beateq; viuamus. Item artem, quæ honorem virtutibus inſtruit, vt ſummo bono fruatur. Item prudentiam, quæ per virtutes informat appetitum, vt rectæ rationi pareat ad conſequendam felicitatem, quæ homini in hac vita poteſt contingere.* Picolominus cap. 6. introductionis dicit eſſe *Philoſophiam humanas actiones componentem ex natura interna commotione ſapientiſque animæ fœcunditate, vt in omni vitæ gradu honeſtum attingamus, ſummoq; ciuili bono pro facultate fruamur.* Et idem ibidem *Rectam agibilium rationem.* Quæ omnes definitiones, genus, materiam, media & finem Philoſophiæ Moralis complectuntur, & vna illa, quam hic tradimus, continentur. Eſſe autem Philoſophiæ partem teſtis eſt M. Tullius, qui *Philoſophiam diuidit in naturæ obſcuritatem, diſſerendi ſubtilitatem, vitam atque mores.* Ac primò quidem membro, Phyſicam, Metaphyſicam, & Mathematicam complectitur; ſecundò Logicam; tertium membrum, quod vitam & mores appellat, iterum in Ethicam, Oeconomicam, & Politicam diuidit. Ethica, benè viuendi rationem tradit; Oeconomica officium Patrisfamilias, vxoris, liberorum, ſeruorum, & rem omnem familiarem oſtendit. Politica explicat ea, quæ homini conducunt ad vitam in luce reip. rectè inſtituendam ſiue in ea verſetur tanquam caput & Princeps, ſiue tanquam ciuis & ſubditus.

CAPVT II.

Qualis ſcientia ſit Doctrina Moralis, & quis eius Author?

Eſt ſcientia. *Practica.* *Eius Author.*

DOctrina Morum inter ſcientias à philoſophis numeratur, cum non aliter, ac cætera humanarum Actionum ac Virtutum naturam, principia, proprietates, & effectus exponat. Quoniam vero circa Actiones Morales ita tota occupatur, vt eas dirigat, & quomodo debeant ac poſſint ad praxim ſecundum honeſtatis regulam reuocari, tandemq́ ad ipſum ſummum Bonum deducere oſtendat, non contemplatiuis, ſed practicis ſcientijs accenſetur. Eius Author habetur Socrates, quem primo omnium ac poſt eum Ariſtotelem de Moribus diſſerendi munus ſuſcepiſſe Græci pariter & Latini Authores Xenophon, Laertius, D. Auguſtinus teſtantur. Etſi non dubium ſit, quin ante eum Pythagorei, qui omnia numeris & magnâ obſcuritate tegebant, de Moribus ſingularia prorſus præcepta tradiderunt: nihil vero ſcripſerunt, nedum ex inſtituto quicquam præſtiterunt.

Additamentum.

SCientiam eſſe ratio hic allata conuincit. Nec refert an Ars, Doctrina, Diſciplina, Facultas, Scientia, Sapientia, Prudentia, Philoſophia, aut Philoſophiæ pars vocetur. Rebus enim intellectis in verborum vſu faciliores eſſe debemus. Principia ſeu axiomata eius varia ſunt. v. g. *quod bonum eſt expetendum eſt. Nihil niſi bonum appetitur. Honeſtum eſt pro patria & pietate fortiter occumbere. Ad vltimum finem omnia diriguntur. Amici ſunt diligendi.* Alia ſunt eiuſmodi quam plurima, ex quibus certiſſimę prępoſitiones colliguntur. Nec refert quod propter voluptatis libertatem mutationi obnoxiæ ſint actiones humanæ, quæ fieri à nobis poſſunt, aut omitti; nam in ſui natura ac principijs conſideratæ omnino ſunt firmæ. Neque etiam obſtat, quod honeſta iuſtaque Ariſtoteles lib. 2. Eth. cap. 3. lege potius conſtare dicat, quam natura, ac proinde mutabilia cenſeri, quemadmodum honeſtum olim apud Spartanos furtum erat, quod hodie apud Europæos punitur; quanquam enim aliqua humanis legibus mutentur, plurima tamen ſunt certiſſima & indubitata, quorum reſpectu ſcientia verè dici poteſt Doctrina Moralis. Et hæc cum ſua natura ad actionem exercendam, vt Ariſtoteles varijs in locis aſſerit, referatur, nemo dubitat quin inter practicas ſit numeranda. Quippè tota occupatur circa actionum moralium directionem, vt ad ſummum bonum nos illæ deducant. Quod attinet ad authorem Scientiæ huius, quem Socratem eſſe dicimus ſuffragatur Laertius in eius vita, Cicero lib. 1. quæſt. Acad. D. Auguſtinus lib. 8. de Ciuitate Dei, Xenophon lib. 1. de factis & dictis Socratis. Id verò dum aſſerimus non inficiamur, quin vt aliarum omnium, ita huius quoque Moralis Doctrinæ primus author ſit Deus, ſed de ijs hic agimus, qui de rebus Moralibus diſſeruerunt, tractarunt, ſcripſerunt, quales nec ipſi primi hominum parentes fuerunt, qui de moribus ſcientiam non docuerunt, ſed exercuerunt & ad praxim reuocauerunt. *Socrates,* inquit Cicero lib. 5. Tuſcul. qq. *fere primus inter Græcos, Philoſophiam euocauit è Cœlo & in Vrbibus collocauit, & in domos etiam introduxit, & coegit de vita & moribus rebuſque bonis & malis quærere.* Hanc Doctrinam omnium maxime Ariſtoteles illuſtrauit ſingulari acumine & Methodo tum in libris Ethicorum & magnorum Moralium, tum in politicis & Oeconomicis.

CAPVT III.

Quæ ſit materia Doctrinæ Moralis.

Materia eſt actio humana.

SOcrates cum Stoicis, Albertus item magnus Doctrinæ huius materiam, non aliam, quam Virtutem ipſam agnoſcunt. M. Tullius Honeſtum, D. Thomas Aquinas, cuius ſententiæ ſubſcribimus, Actionem humanam ſtatuit, quatenus nimirum per rationis regulam ita dirigi formariq́ poteſt, vt ad ſummum bonum nos deducat. Nam cum hoc vnum Doctrina morum intendat, vt homines ad ſummum bonum ſeu felicitatem perducat, eo vero pertingere nemo poſſit, niſi per actiones ad rationis normam directas, omninò Moralis eſt Philoſophi actionum humanarum rationes pertractare. Virtus vero, cum actionum humanarũ, quæ hic explicantur, & ab hominibus exercentur principium ſit, dici materia

huius Doctrinæ non poteſt. Quanquam cum Ethica, quemadmodum definiuimus, nihil aliud ſit, quam benè viuendi Doctrina; iure eius materiam benè viuendi modum licet aſſignare. *Vel modus bene viuendi.*

Additamentum.

CVm Moralis Doctrinæ præcepta nihil aliud, quam benè viuendi modum exhibeant, nulla etiam eſſe alia eius materia poteſt, quam ipſe benè viuendi modus. Conſiderat illa mores, & quæ ad illos ſpectant, nimirum vt benè viuendi modum conſtituat. Hoc modo per Doctrinam Moralem perficitur animus hominis, intellectus, voluntas & appetitus ſentiens, ſeu homo ipſe, quà virtutis & beatitudinis eſt capax. Quoniam autem practicæ Diſciplinæ, qualis hæc eſt, materia eſt id, quod ſub executionem cadit, & nemo virtutes exequi aut exercere dicitur, ſed virtutum actiones, ideò non virtus, quæ principium eſt actionis, ſed ipſa humana actio dici Ethicæ obiectum ſolet. Nam diſciplinæ practicæ quod feciſſe intendunt, id prout faciendum eſt, earum materia appellatur, at Philoſophia Moralis actionem ſtudioſam exercere præcipuè intendit, vt ait Ariſtoteles 2. Eth. cap. 2. Hæc verò actio, quatenus dirigi à recta ratione & formari poteſt, vt nos ad ſummum bonum deducat, ſub huius doctrinæ conſiderationem cadit. Quæ verò & qualis eſſe debeat, lib. 1. harum inſtitutionum eſt dicendum.

CAPVT IV.

Quis finis Doct. Moralis, & cur mortis meditatio à Platone dicatur?

Finis primus.

P*Rimus quidem Moralis Doctrinæ finis eſt morum ſeu actionum Moraliũ, virtutum ac vitiorum cognitio. Alter verò, qui conſequitur, eſt ipſum Moralium actionum ac virtutum exercitium, per quod ſumma felicitas homini contingit.* *Secundus.* *Quod attinet ad Platonem, præclare ſanè docet philoſophiam viã quandam eſſe ad felicitatem, atque eius duo eſſe munera; primum Deum contemplari, alterum animum à corporeis ſenſibus ſeiungere, nec corporis curam habere. Idem philoſophiam mortis eſſe meditationem affirmat, quod de hac philoſophiæ parte, Morali nimirum Doctrina, perquam eſt veriſſimum.* *Cur moralis meditatio dicatur.* *Cum enim hoc maximum ſit cognitionis philoſophicæ caput, animum ab impurarum & corporearum cupiditatum affectionumq́; commercio ſeparare, inq́; Dei ac virtutis contemplatione totum defigere, tum hoc per hanc Morum ſcientiam fit, quæ totum hominis animum ad virtutem contemplandam ſeuocat, ideoq́; non immeritò mortis meditatio quædam appellatur. Quippè, hæc animi à corpore ſeuocatio velut mors quædam eſt.*

Additamentum.

DVplex hic finis traditur, cognitio virtutum & earundem exercitium. Ratione cognitionis iſtius Doctrina Moralis ſcientia eſt; ratione exercitij practica. Non rectè ij ſentiunt, qui contendunt finem huic ſcientiæ propoſitum eſſe tradere præcepta ad benè viuendum; id enim non finis eſt, ſed officium Philoſophi Moralis, tum *illud officium vniuſcuiuſq́; dicatur, quod facere quiſq́; debet, vt finem ſuum conſequatur.*

Plato in Phædone præclarè docens Philoſophiam mortis eſſe meditationẽ nihil aliud vult, quam veræ ſolidæque Philoſophiæ cognitionis maximum eſſe caput, animum à rebus corporeis ad Dei contemplationem exigere. Et hæc animi à corpore ſeuocatio Platonica mors eſt, mors, inquam, reſpectu corporis, vita verò reſpectu animi. Videri eius verba poſſunt verè aurea in Phædone.

CAPVT V.

An rectè Moralis Doctrina Medicina Muſicaque vocetur?

Cur Medicina dicatur.

M*Agna inter Ethicam ac Medicinam eſt ſimilitudo. Vt enim Medicina ægritudinum corporis eſt expultrix, & moderatione quadam ciborum ac exercitio corpora, quæ exceſſu defectuq́; corrumpuntur, conſeruat; ita morbos animi expellit Ethica, & recto quodam actionum temperamento integritatẽ eius cuſtodit, quæ exſuperantia & offenſione labefactatur. Quod in corpore circa quod Medicus occupatur, ſanitas eſt, id in animo, quem Ethicus curat, eſt felicitas: & quod in corpore robur & vires ſunt, id in animo ſunt virtutes. Quã ob cauſam rectè animi Medicina morũ Doctrina appellatur.* *Cur Muſica.* *Sed & inter hanc Doctrinam ac Muſicam cognatio quædam intercedit, vt non immeritò maxima quoque dici Muſica poſſit. Quemadmodum enim per Muſicam voces & ſoni*

temperan-

temperantur, vt quamuis naturâ diſcrepent inter ſe, tamen quoad harmoniã mirificè conſentiant; ita licet virtutes inter ſe omnes diſtinguantur, per Moralem tamen Doctrinã ita attemperantur, vt ad honeſtatẽ ſimul omnes conſpirent. Vndè Ariſtoteles omnia in fortibus ac temperatis hominibus rationi ait conſonare.

Additamentum.

DVplex hic expreſſa ſimilitudo vna Ethicæ cum medicina, altera eiuſdem cum muſica. Sic præclarè Cicero lib. 2. de Rep. quem locum profert D. Auguſtinus lib. 2. de Ciuit. Dei cap. 21. Vt in fidibus, inquit, & tibijs atq; cantu ipſo ac vocibus cõcentus eſt quidam tenendus ex diſtinctis ſonis; quem immutatum, ac diſcrepantem aures eruditæ ferre non poſſunt; iſque concentus ex diſſimillimarum vocum moderatione concors tamen efficitur & congruens: ſic ex ſummis & medijs & infimis Ordinibus, ut ſonis moderatâ ratione ciuitatem conſenſu diſſimilimorum concinere; & quæ harmonia à muſicis dicitur in cantu, eam eſſe in ciuitatę concordiam, arctiſſimum atque optimum omni in Rep. vinculum incolumitatis, eamque ſine iuſtitia nullo pacto eſſe poſſe. Vide Platonem lib. 3. de Republica. Verè dictum eſt: *Animus benè compoſitus optimã muſicam edit.*

CAPVT VI.

Quæ præſtantia & vtilitas ſit Doctrinæ Moralis.

Summa præſtantia

CVm Morali Doctrina de præſtantia vtilitateq́ certare, ſi Theologiam excipias, vix quæpiam eſt cauſa. Eſt enim vitæ dux, vt Eloquentiæ Romanæ Princeps ait; eſt Virtutis indagatrix, expultrix vitiorum, morum magiſtra, quâ nullum maius aut melius à Deo concedi beneficium poteſt. Quid non modo nos, ſed omninò hominum vita ſine illa eſſe potuiſſet? Huius Doctrinæ eſt, quomodo viuere oporteat docere, proindeq́ in ea totius philoſophiæ vis cõtinetur. Quippè medetur animis, ſollicitudines detrahit, cupiditatibus liberat, timores pellit; & cùm animi quædam ſit cultura, extrahit vitia radicitus, inquit Marcus Tullius, & præparat animos ad ſatus accipiendos; eaq́ mandat his, &, vt ita dicam, ſerit, quæ adulta fructus vberrimos ferant. Facere docet, non dicere; benè viuere, non viuere tantùm. Et, vt ex ſenſu Senecæ dicam; cùm Dei immortalis munus ſit, quod viuimus; huius philoſophiæ eſt, quod benè viuimus. Vndè quantò maius beneficium eſt bona vita, quàm vita tantùm; tantò plus huic philoſophiæ, quàm Deo deberemus, niſi & hanc Philoſophiam à Deo accepiſſemus. Hæc ſanè ſumma ſapientia eſt. bona malaq́ diſtinguere, & ad honeſtatẽ mores componere. Hoc dico, nemo benè viuere ſine hac ſapientia poteſt. Ab ea Theologus virtutũ definitiones, officiaque habet; Iuriſconſultus legum fontes & principia. Medicus ac deniq́ ſinguli vniuerſiq́ vitæ integritatem & morum ſuauitatem. Quid multa? Sale & Sece igni & aqua carere potius mortales poſſunt, quàm Morũ Doctrina, ſine qua inſipida eſt vita, & inſuauis hominum conſuetudo. Hac ſi deſtitutus ſit Orator quid laudabit? Si Senator, quid ſuadebit? Si Poeta, quid tantoperè extollet? Omnia tradit, quæ virtutem exponit; omnes artes ſuperat, quæ viuendi rationem oſtendit; quam qui ignorat, inſtar Polyphemi Euripidei graſſatur, inſtar porci Epicurei volutatur.

Summa vtilitas.

Additamentum.

ELogijs Philoſophiæ Moralis hic poſitis, illud tantùm adiungimus, tantam eſſe Doctrinæ huius dignitatem & vtilitatem, quanta eſt virtutis & bonæ vitæ, quam docet. Ariſtoteles lib. 1. cap. 2. Huius Doctrinæ cognitionem *magnum.* ait, *ad vitam regendam momentum habere.* Cicero 5. de finibus *Cæteris in rebus ſiue prætermiſſum, ſiue ignoratum eſt quippiam, non plus incommodi eſt, quàm quanti quæq́ earum rerum eſt, in quibus neglectum eſt aliquid. Summum autem bonum ſi ignoretur, viuendi rationem ignorare neceſſe eſt, vndè tantus error conſequitur, vt quem in portum ſe recipiant, ſcire non poſſint. Cognitis autem finibus inuenta vitæ ratio eſt conformatioq́ officiorum. Idem iterum lib. 1. de Oratore. ſed ſi me audieris, quoniam Philoſophia tres in partes eſt diſtributa, in Naturæ obſcuritatem, in differendi ſubtilitatem, in vitam atq́ mores; duo illa relinquimus, idq́ largiamur inertiæ noſtræ. Tertium verò, quod ſemper Oratoris fuit, niſi retinebimus, nihil Oratori, in quo magnus eſſe poſſit, relinquemus.* Vndè patet fontem Iuriſprudentiæ moralem eſſe diſciplinam & eandem theſaurum eſſe omnis Eloquentiæ, quæ ſine Ethicis argumentis non niſi mera Loquentia eſt. Quippè bona pars locorum & argumentorum ex Ethicis ad Rhetoricam demigrauit, vt æquum, bonum, hone-

Digitized by Google

num, honeſtum, turpè, vtile, & qui ſunt horum ſimiles. Denique omnes propemodum laudes Philoſophiæ, quæ vſpiam extant, Ethicæ conueniunt. Vocatur *animi cultura & Medicina* lib. 2. & 3. Tuſcul. 44. *Benè dictorum & factorum mater* de Claris Orat. Vide 5. qq. Tuſcul. Illud memoratu dignum, quod omnes, qui Philoſophiam copuitijs impetunt, ab Ethicis abſtineant. Ariſto ehius apud Stobæum Serm. 80. Dicebat *Ea de quibus agunt Philoſophi, uel ad nos pertinere, vt Philoſophiam Moralem, vel non pertinere, vt Logicam; vel ſupra nos eſſe, vt Phyſicam &c.*

CAPVT VII.

An viris bonis ſeu benè moratis Doctrina Moralis prodeſſe poſſit?

PRodeſt ſanè non parum. Et quemadmodum ſano nondumq; in valetudine confirmato vtilis eſt Medicina vt & ſanitas conſeruetur, & augeatur; ita Doctrina Moralis viris iam benè moratis prodeſt, vt ad felicitatem facilius contendant, & vitam ſuam perfectius inſtituant. Liberalis indoles bonaq; educatio equidem ad hanc Doctrinam audiendam requiritur, ac quidam bonorum morum vſus, nondum verò abſoluta eorum notitia, ac multò minus perfecta conſecutio. Qui honeſtatis guſtum aliquem perceperunt, perfici poſteà præceptis poſſunt, ac plenam diſtinctamq; morum omnium Doctrinam adipiſci, per quam, quantum fieri poteſt, felices euadant.

Multum prodeſt, vt facilius fiant felices.

Additamentum.

CErtum eſt neminem ita bonum eſſe perfectumque in hac vita, quin aliquid mali veteris in eo ſemper reſideat, aliquid imbecillitatis & languoris hæreat. Contra veteris mali reliquias remedijs eſt opus; contra imbecillitatem, incitamentis; hæc autem à Philoſophia Morali petuntur. Deindè cùm perfectiſſimus quiſque labi facilè poſſit, opus eſt huius diſciplinæ miniſterio, vt id virtutis, quod collegerit, foueat, alat ac ſeruet. Valet hic illud Ouidij 2. de Arte.

Non minor eſt virtus, quā quærere, parta tueri.

CAPVT VIII.

An Iuuenes ſint idonei huius Doctrinæ auditores.

MVlti audire Doctrinam hanc poſſunt, benè pauci. Duo verò potiſſimum ſunt impedimenta, ob quæ minus eſt idoneus Doctrinæ morum auditor Iuuenis. Inprimis quod in eius animo repugnantia & infeſta reperiantur, affectus nimirum & voluptates; deindè quod experientiam nondum vllam habeat, à qua tamen morum principia dependent. Porrò cùm Ariſtoteles Iuuenem à Philoſophi Moralis ſchola repellit, non tam eum, qui ætate talis eſt, quàm qui moribus, intelligit. Quippè ſicut ante Iuuentutis periodum rarò conſtantia reperitur; ita canitiē capitis non ſemper affectuum moderatio ſequitur. Admitti ille ad Philoſophum Moralem non debet, qui ita vitijs mancipatur, & affectibus ſuis inſeruit, vt nullam ſibi ponere legem velit. Aliàs audire eum Iuuenes & Senes debent; illi vt Medicinam accipiant, hi vt regulam. Nam eſt vtilis omnibus Doctrina Morum; bonis quidem, vt virtuti ſemper ſtudeant, malis verò, vt ab extrema miſeria tandem aliquando reſiliant.

Iuuenes bonorum morum idonei sūt auditores.

Additamentum.

NOs hic aſſerimus. Iuuenilis enim ætas ad diſcendum maximè idonea eſt, quia mollis & tractabilis, nec curis aut occupationibus diſtinetur; præterquam quod faciliora ſint, quæ in Ethicis traduntur, quàm quæ in cæteris diſciplinis. Negat id Ariſtoteles 1. Eth. cap. 3. & impedimenta duo adfert, Mentis vnum, voluntatis & Appetitus alterum. Mentis quidem quia Iuuenes imperiti ſunt actionum vitæ; voluntatis quia cupiditatibus ſuis morem gerunt. Idem dicendum de ijs, qui incontinentes ſunt, & adoleſcentum more viuunt, etſi ætatis ſint prouectioris. Verum vt Ariſtoteli ſatisfaciamus, dicendum eſt duplicem eſſe Philoſophiæ Moralis auditorem, vnum ſufficientem & perfectum, qui quæ docetur aſſequi ſtatim poteſt, & exequi, ſeu moribus exprimere. Talis nondum eſt adoleſcens, niſi in eo præcox ſit ſapientia. Alterum minus aptum, qui nec intelligit ſtatim omnia, nec continuò ad vitæ vſum tranferre poteſt, aliquò vſque tamen progreditur. Et verò vt Horatius ait lib. 1. Epiſt. 1.

Eſt quiddam

Eſt quiddam prodire tenus ſi non datur vltra. Talis eſt adoleſcens. Et quidem ſtudia noſtra Cœnis Platonicis, quæ ſequenti die iuuant potiùs, quàm præſenti, ſimillima ſunt. Ælianus lib. 2. Var. Hiſt. *Nec eorum vtilitas in principijs, ſed poſteà apparet.* Ipſe Ariſtoteles filio ſuo Nicomacho Doctrinam morum inſcripſit, & Cicero ſuos de Officijs libros filio dedicauit.

C A P V T IX.

An vbi deſinit Ethicus, ibi incipiat Iuriſconſultus?

Ante Iuriſprudentiam neceſſaria eſt Ethicæ cognitio.

NEmo legiſlator bonus eſſe poteſt, qui Morum Doctrinam ignorat. Nemo Iuriſprudentiam commodè diſcet, qui in Ethica non prius laborarit. Quippè non duodecim tabulæ, non Prætorum edictum Jurisprudentiam tradunt, ſed ex ipſa hominis natura penitus eſt repetenda. Aliter qui Ciuile Jus tradere præſumunt, litigandi modum, non iuſtitiæ viam oſtendunt. Eſt enim lex ſumma ratio, inſita in natura, quæ iubet ea quæ facienda ſunt, & prohibet contraria. Errant ſanè qui Iuriſprudentiæ operam prius nauant, quam, quæ ad virtutes pertineant, à Philoſopho Morali perdiſcant. Negligunt fontem, & in riuulis occupantur; pergunt, & quo eant demum, ignorant. Qui ſunt enim legum fontes, niſi recta ratio, iuſtitia, prudentia? hos Doctrina Moralis aperit; & dum nos omnia ad ciuilem beatitudinem dirigere docet, finem ac metam actionibus omnibus præfigit.

Additamentum.

VVlgatum iam hoc dictum eſt, & ex vno Ciceronis loco lib. 1. de finibus conſtat. *Iuriſprudentia non eſt à Prætoris Edicto, nec è duodecim tabulis, ſed penitus ex ipſa Philoſophia haurienda eſt & ex hominis natura repetenda, & qui aliter Ius Ciuile tradunt, ij non tam Iuſtitiæ, quàm litigandi tradunt vias; quoniam lex eſt ſumma ratio inſita à natura, quæ iubet ea, quæ facienda ſunt, & prohibet contraria.* Quem Ciceronis locum hoc capite expreſſimus. Et hactenus de Doctrinæ Moralis Natura, in qua tradenda earum nobis methodum proponemus & ſequemur, quam capite ſequenti declarauimus.

C A P V T X.

Epilogus proœmij, & harum Inſtitutionum partitio.

IGitur cùm nihil glorioſius aut vtilius eſſe poſſit, quam in huius nobiliſſimæ diſciplinæ ſtudium conatus omnes & neruos intendere, conuertereq́; noſtrarū ſanè ſit partium bono cum Deo eius elementa omnia Iuuentutis proponere, vt ſalubribus documentis inſtructi omnes humanæ beatitudinis eò faciliùs compotes fiant, quò ad honeſtatis regulam diligentiùs & rectiùs vitam component. Cùm autem ſummus ac præcipuus Doctrinæ Moralis finis ſit ſummum bonum, ita Doctrinam hanc partiemur, vt Jnſtitutionum eius quatuor ſint libri. In primo, de Bono, ſummo Bono, & Actionibus ad illud acquirendum neceſſarijs agemus. In ſecundo de Affectionibus ſeu animi perturbationibus diſſeremus, quæ cùm ad rationem reuocantur, plurimum ad ſummum bonum adipiſcendum conferunt. In tertio de Virtutibus & Vitijs. Jn quarto de Virtutis fructu, regulis vitæ componendæ, Ciuilitate, & alijs quæ Virtutem ipſam conſequuntur. Si me audiat Juuentus noſtra, hoc dico, caput eſſe veræ philoſophiæ benè viuere. Pudeat eos, qui minuta & forte inutilia docendo animum demittunt conteruntq́; & rem magnificentiſſimam ad voculas aut ſyllabas vocant. Nimirum vt philoſophia potius difficilis, quam magna videatur. Age quiſquis es perfectionis & felicitatis cupidus, audi Sapientiæ conſultiſſimum. Ad philoſophiam totam mentem conuerte, huic aſſide; & hanc cole, & tunc ingens interuallum eſt inter te & homines. Omnes mortales tu antecedes, & Dij non multum te antecedent.

F I N I S P R O Œ M I I.

NICO-

NICOLAI VERNVLÆI INSTITVTIONVM MORALIVM LIBER PRIMVS.

De Bono, Summo Bono, & Actionibus Humanis.

TITVLVS I.

De Bono.

CAPVT PRIMVM.

Quid ſit Bonum.

BONVM, definiente Philoſopho libro 1. Ethicorum, eſt id, quod omnia appetunt. Ideo voluntatis humanæ & actionũ noſtrarum eſt ſcopus ac finis. Et vt Plato in Gorgia ait, amandum eſt, optandum, & per ſe ſuaque natura expetendum. Hoc verò bonum vel verum eſt, vel duntaxat apparens. Verum eſt, quod non alterius, ſed ſuiipſius gratia eſt expetendum. Apparens eſt, quod non naturâ ſua, ſed hominum non rectâ opinione eſt tale. Vnde fit, vt multi ad malum ferantur, quod illis bonum appareat. Huius cauſa eſt deprauata & corrupta in hominibus natura, cuius ea vis eſt, vt in vitia proniores, quam in virtutes ſimus, & in voluptatem, quam in laborem, ſi ſenſum & appetitum noſtrum ſpectemus. Quod verum eſt bonum, ſua pulchritudine voluntatem mouet, in qua tamen cum libertas innata ſit, etſi tale cognoſcatur, reijci adhuc poteſt & negligi, vt illa apud Ouidium Medea.

Definitio Boni. — *Diuiſio in verum & apparens.* — *Quale ſit Verum.*

——Video meliora proboq́;
Deteriora ſequor.

Recte Marcus Tullius, *nihil bonum, niſi quod honeſtum, nihil malum, niſi quod turpe.* Hoc vt cognoſcatur, audiendus eſt Philoſophus *quod ei*, inquit, *contrarium eſt, quod fugiendum ſit, quia fugiendum eſt malum, id omne eſt bonum*, *lib.* 7. Ethic.

Ad Att. lib. 10.

Additamentum.

HÆC Ariſtotelis Boni definitio à poſteriore eſt, vt loquũtur, neque bonum eſt bonum, quia à nobis appetitur, ſed quid tale eſt, à nobis appetitur. Cic. 5. Tuſcul. qq: *Quidquid eſt, quod bonum eſt, id expetendum, quod autem expetendum eſt, id certe approbandum; quod verò approbandum, id gratum acceptumq́; habendum.* Plato in Lyſid. *Bonum id eſſe dicit, quod ſibi ipſi ſatis eſt.* Diogenes Stoicus ait *Bonum eſſe quod naturâ eſt abſolutum.* Quam deſcriptionem Cic. lib. 3. defin. & Seneca Epiſt. 119. amplectuntur. Eandem approbare videtur Simplicius in Epictetum cap 51. dum ait *Bonum eſſe, quod ſecundum naturam cuiuſlibet eſt, quatenus ſuam habet perfectionem.* Denique Picolominus gradu 8. cap. 1.

Bonum, inquit, *eſſe perfectionem nat am expeti, vel gratia ſui tantum, vel gratia alterius, vel vtriuſque.* Atque hæ omnes tantum ſunt boni deſcriptiones; nam quoniam vnum non eſt, vnam habere & exactam definitionem non poteſt. Eius duæ ſunt proprietates. Vna, *eſſe ſui communicatiuum* ſeu diffuſiuum, quoque magis eſt tale, eo magis eſt bonum. Altera, *Congregatiuum eſſe*, quam res conciliat, & amicitiam coire facit. Pletinus Ennead. 6. lib. 7. V. 19. *Bonum eſſe ait participationem primi boni, quod ex ſe bonum eſt.* De bonis creatis loquitur.

CAPVT II.

An omnia bonum appetant.

nihil eſt quod bonum non appetat.

ITA omnis Philoſophorum ſchola affirmat. Omnes enim res ad finem ſunt ordinatæ, finis autem boni rationem induit, vt ad illum voluntas contendat. Deinde cum Naturam artifices imitentur, ac ſemper alicuius cauſa operentur, talem eſſe Naturam ipſam certiſſimum eſt inditium. Et quemadmodum falſo aſſentiri intellectus non poteſt, ita nec malum amare voluntas. Qua in re experientiam magiſtram habemus. Quis enim eſt, qui amandum aliquid iudicet, quod malum eſſe non ignoret? At verò vt appetenti conueniat bonum neceſſe eſt: quam ob cauſam multa ab homine non expetuntur, etſi bona, quod illi nequaquam conueniant. Quanquam autem multi ſint, qui ad ſcelera ferantur, imo etiam qui ſui interitum deſiderent, ea tamen ſcelera atque adeò mortem ipſam ſub boni ratione concupiſcunt, dum melius eſſe ſibi perſuadent, non eſſe, quam male eſſe; ſeu vitam ſibi abrumpere, quam male ſibi conſcium viuere. Siquidem *abeſſe à malo, & malum euitare, non parum eſt bonum*, vt in Rhetoricis ait Ariſtoteles. Ita dum febri correptus in æſtu ipſo frigidam aquam appetit, ſenſui iudicat bonum, quod illi ſit conueniens, etſi non ſit vere bonum.

At conueniens.

Etſi ſcelera vel mortem.

Quaſtiuncula.

Quid ſi duo æque bona proponantur? Ea ſi homini proponantur, pro ſuo arbitrio ac voluntate, quod volet, eliget: ſi bruto, aut neutrum arripiet, aut Natura, quæ deeſſe non ſolet, ad alterum impellet.

Additamentum.

ARiſtoteles 1. Eth. cap. 1. *Ars omnis & omnis doctrina, ſimiliter actio & electio bonum aliquod appetere videntur*; itaque probè bonum definierunt, *id, quod expetunt omnia*. Probat his rationibus. 1. quia omnia finem expetunt, finis autem & bonum inter ſe conuertuntur. 2. quia ſui conſeruationem, quæ bonum quoddam eſt. 3. quia ſui perfectionem, quæ inter bona quoque eſt. Denique à malis naturam abhorremus, eaque fugimus, & ad bonum fertur voluntas. Cicero 4. Tuſcul. qq. *Natura omnes*, inquit, *quæ bona videntur, ſequuntur, fugiunt contraria. Quamobrem ſimul atque obiecta eſt aliqua ſpecies cuiuſpiam, quod bonum videatur, ad id adipiſcendum impellit ipſa Natura*. Sen. lib. 4. Off. *Nemo eſt à natura lege adeo alienus, vt malum niſi ſub ſpecie aliquâ boni, poſſit appetere.* Obſeruandum autem non omnia quodlibet bonum appetere, ſed bonum ſibi conuemens. Sic equus carnes non appetit, ſed fœnum, leo autem non fœnum, ſed carnes. Deinde augeri appetitum boni in nobis, cum bonum antea expetitum perfectius eſſe poſtea cognoſcitur. Præterea cùm voluntas ſit appetitus boni cum ratione, vt definit Ariſtoteles 1. Rhetoricorum cap. 10. fieri non poteſt, vt homo voluntatis libertate præditus, malum quà tale, ſeu formaliter malum, vt Philoſophi loquuntur, appetat. Ita ſentit Dionyſius Areopagita lib. 4. de Diuinis Nominibus. Diuus Thomas 1. 2. q. 8. Cicero 4. Tuſcul. qq. Neque libertati hominis obeſt, quod appetere malum, vt tale, non poſſit; ſatis enim ad libertatem eſt, quod poſitis duobus bonis, vtrumlibet ampleɛti poſſit, alterum reſpuere. Eſt quidem malum obiectum aliquod voluntatis, ſed fugæ, vt illud caueat. Neque etiam objici hic de Phœnice poteſt, qui appetere interitum ſuum videtur, quem ſibi procurat, quippe eum non intendit, niſi admodum per accidens. Nam cum ipſe lignis aridis congregatis ſuperimpoſitis

ſitis aërem alis agitando flammam excitat ex eiuſmodi lignis, totus hic conatus & inſtinctus naturalis eſt, eoque refertur, vt Phœnix ſibi ſimile procreet.

CAPVT III.

An omnia propter finem agant.

CVM res omnes à caſu & fortuna eſſe non poſſint, ſiquidem tam conſtanti ordine tenoreque procedunt & agunt, ſed ab aliqua mente ſapiente, cuius proprium eſt, nihil niſi fine propoſito, operari, certiſſimum eſt rebus omnibus cõſtitutum eſſe à Deo finem, ac propter illum agere vniuerſas. Etenim cum omnis Natura ad bonum aliquod tendat, in quo poſita eſt ratio finis, manifeſtum eſt, non minus res omnes propter finem agere, quam omnes ſuo appetitu ad bonum contendere. Videmus in rerum generatione prius eſſe ſemen, deinde arborem; at vbi ordo is ſeruatur, vt vnum neceſſario poſt alterum fiat, ibi operatio eſt propter finem. Ipſa quoque bruta naturæ quodam inſtinctu propter finem agunt. Sic araneæ telas conficiunt, vt muſcas capiant; formicæ grana colligunt, vt hyeme viuant; hirundines nidos parant, vt in ijs pullos ſuos alant. Et quanquam bruta veram finis rationem non intelligant, eodem tamen illo Naturæ inſtinctu, quod ſibi bonum eſt, non ignorant.

Rebus omnibus conſtitutus eſt finis propter quam agunt.

Additamentum.

EXtiterunt nonnulli olim Philoſophi, qui è tota rerum natura fines ſuſtulerunt, vt Democritus, Leucippus, & Epicrorus, de quibus Ariſtoteles 2. Phyſicorum. Nec defuerunt, qui Dei prouidentiam negarent, quod impium eſt. Omnia propter finem agere docet Ariſtoteles 1. Eth. cap. 1. Optime Cic. lib. 3. de Natura Deorum. Omnia propter aliorum cauſas ſunt generata, vt fruges atque fructus, quos terra gignit, animantium cauſa, ipſe autem homo ortus eſt ad mundum contemplandum & imitandum. Idem lib. 2. de finibus. *Vt ad curſum equus, ad arandum bos, ad indagandum canis; ſic homo ad duas res, intelligendum & agendum eſt natus, quaſi mortalis Deus.* Valet hic commune illud axioma. *Deus & Natura nihil faciunt fruſtra.* Ipſa elementa naturaliter ad ſua loca feruntur, proprium autem eſt finis, eſſe id ad quod reliqua referuntur, & in quo quietem habent. Obſeruandum autem non omnia eodem modo propter finem agere. Homo ita agit propter finem, vt finem cognoſcat, & hunc quatenus bonum eſt quoddam. Bruta propter finem operantur, quem non cognoſcunt, ſed rebus quibuſdam præſentibus ad illũ acquirendum mouentur. Sic aranea ad telam fabricandam monetur lumine Solis, calore, fame, vel re ſimili. Inanimata ad fines ſuos feruntur naturæ quodam impetu, quem ſuprema mens, id eſt Deus, dirigit; atque hinc fit, vt ſæpius homines à fine ſuo aberrent, quam res iſtæ naturales, quod homines ſuarum actionum domini ſunt, pro arbitrio ſuo quod volunt aggrediuntur, res naturales à Deo derigantur.

CAPVT IV.

An neceſſarium ſit finem aliquem eſſe Actionibus humanis propoſitum.

NON ſine ratione Biantis illud conſilium eſt, *Reſpice finem.* Finis enim actionum humanarum eſt ſcopus, primus in intentione, vt dici ſolet, etſi vltimus in excutione. Et ſane bene viuendi cauſa motrix eſt bonæ vitæ finis. Nam cum ſegnis & otioſa ſit humana vita, præmijs moueri debet, & ſtimulis quibuſdam incitari. Debet autem hic finis cognoſci. Quẽadmodum enim cognita via citius conficitur iter, ita hoc fine velut mentis luminibus perſpecto melius vita ad ſummum bonum dirigitur. Nemo rectè iaculatur, qui ſcopum non videt; nemo rectè pingit, qui exemplum non cognoſcit; nemo caſte integreque viuit, qui præmium aliquod non ſperat. Adeò propter palmam virtutis, id eſt propter beatitudinem, quæ & bonum

Neceſſarius eſt hic finis.

Cognoſci autem debet.

Qui certat & vincit coronatur.

bonum eſt vltimum , & finis noſter , omnia in vitæ curſu ſuſcipiuntur. Sicut autem in Olympicis olim ludis , is coronâ ſolum donabatur , qui certabat & vincebat; ita referre is virtutis oliuam dûtaxat meretur,qui in Virtutis ſtadio decurrens victoriam reportat. Omnino igitur neceſſarium eſt,vt Actionum humanarum aliquis ſit finis , qui ſi tollatur , otioſa erit omnis rerum optimarum electio , ſtulta virtutis actio , inſana tot laborum ſuſceptio , vana , quæ inſtituitur , de bonis moribus conſultatio. Cætera animantia , Xenophonte teſte, tribus potiſſimum rebus ad obtemperandum adducuntur , abiecta cibo , generoſa delinimento, contumacia plagis; at homo cum animal ſit omnium generoſiſſimum , prœmijs ad officium inuitatur.

Additamentum.

HOnor non ſolùm alit artes , vt prouerbium habet , verum etiam virtutem ; adeoq́ue neceſſarium eſt , vt homines ad virtutum actiones excitentur, ijs propoſitum eſſe finem aliquem ſeu præmium. Quippè vt ait Saluſtius in fragm. hiſt. *Haud facile quiſquam gratuito eſt bonus. Et pramijs magnorum etiam virorum animi excitantur* : vt ait Arnobius Fer. lib. 1. Caſſiodorus verò lib. 8. Epiſt. 22. *Certantes*, inquit , *in ſtadio numeroſior corona glorificat , & Olympicos curſus palma frequens nobilitat : ſic vel in leuibus rebus glorioſior efficitur , cui frequenter pramia referuntur*. Ita enim comparatum eſt,vt,quemadmodum ait Livius, videamus, *Eo impendi laborem ac periculum , vnde emolumentum atque honor ſequitur*. Nihil non aggreſſuros homines , ſi magnis conatibus magna premia proponantur ; magnos animos magnis honoribus fieri. Accedit *quod omne opus leue fieri ſoleat , cum eius pramium cogitatur & ſpes pramij ſolatium ſit laboris*, vt ait D. Hieronymus. *Imo nutriunt pramiorum exempla*, inquit Caſſiodorus , in Epiſtolis . nec quiſquam eſt , qui non ad munerum ſumma nitatur aſcendere, quando irremuneratum non relinquitur , quod conſcientiâ teſte laudatur. Tantam horum præmiorum neceſſitatem eſſe exiſtimauit Cicero , vt lib. 3. de Nat. Deorum affirmauerit, *Neque domum , neque Remp. ſtare poſſe , ſi in ea recte factis pramia extent nulla*. Hæc de re iterum alibi.

CAPVT V.

Variæ Boni Diuiſiones.

INprimis quidem bonum aliud eſt honeſtum, aliud vtile, aliud iucundū. Honeſtum eſt, quod cum rectæ rationis iudicio congruit. Vtile eſt,quod
1. *Diuiſio.* Naturam & Vitam iuuat. Iucundum,quod naturalē reficit ac recreat appetitum. Ex his tribus quaſi fontibus actiones omnes oriuntur. Mentis ac rectæ intelligentiæ eſt dijudicare, voluntatis exequi,& actiones ſuſcipere. In honeſto ſubſiſtit rectus appetitus , vt in virtute ac ſcientia. Vtile velut gradus quidam eſt ad Honeſtum, vt ſunt diuitiæ. Iucundum in ipſa Boni poſſeſſione fruitioneq́ue conſiſtit , vt honores obtenti.

2. *Diuiſio.* Triplex deinde conſtitui Bonum ſolet. Animi , Corporis , Fortunæ. Bonum animi, quod in animo eſt , vt Virtus & Scientia. Bonum corporis, quod in corpore eſt, vt ſanitas, robur, valetudo , pulchritudo. Bonum fortunæ, quod à fortuna eſt, & illi obnoxium manet, vt diuitiæ,theſaurus, poſſeſſiones , honores, amici.

3. *Diuiſio.* Tertio Bonum vel Internum eſt , vel Externum. Internum eſt , quod in nobis conſiſtit, vt animi. vel corporis bonum. Externum eſt , quod aliunde & foris aduenit, vt à fortuna quicquid eſt. Ex omnibus his & illis aliqua per ſe expetenda ſunt , & laudanda , alia expetenda tantum. Illa animi ſunt,hæc corporis & fortunæ.

4 *Diuiſio.* Marcus Tullius aliqua ponit Bona , quæ ſua vi nos mouent , & ad ſe trahunt, non propter fructum , ſed propter excellentiam ac pulchritudinem ſuam,vt ſunt Virtus,Scientia,Veritas. Alia vtilitate ſua animum percellunt, vt opes & quæcunque Fortunæ commoda. Denique alia & dignitate ſua

& com-

Digitized by Google

& commodo voluntatem impellunt, vt Amicitia, bonaque fama. Pythagoras rerum omnium viginti claſſes ſeu ſeries quaſdam inſtituebat, Bonarũ decem, itidem Malarum decem.

Claſsis Bonorum.	Claſſis malorum.
Finitum.	*Infinitum.*
Vnum.	*Plurale.*
Impar.	*Par*
Maſculum.	*Fœmininum.*
Quietum.	*Motum.*
Rectum.	*Curuum.*
Lumen.	*Tenebræ.*
Bonum.	*Malum.*
Quadratum.	*Oblongum.*
Dextrum.	*Siniſtrum.*

Cæteræ hic omitti poſſunt diuiſiones.

Additamentum.

QVatuor hic potiſſimum Boni diuiſiones referuntur cum duabus illis Pythagoreis bonorum & malorum claſſibus. Plato bona omnia vel diuina, vel humana ponit. Eadem in quatuor genera diſtribuit. In bonum morale, quod ſitum eſt in virtute. In Phyſicum, quod rerum naturalium perfectio eſt. In Metaphyſicum, quod eſt Entium communis affectio. In diuinum, quo diuinæ mentes hominumque piorum animæ Dei munere fruuntur. Ita refert Picolominus gradu 8. cap. 3. Ariſtoteles 1. Magn. moral. c. 2. Bona facit triplicia, Honorabilia, Laudabilia, Neutra. Honorabilia, quæ in ſeipſis finem & perfectionem ſuam habent, nec alio referuntur, vt Deus. Laudabilia quæ alio referuntur, vt virtutes ad beatitudinem. Natura, quæ per ſe nec laudanda ſunt, nec vituperanda, vt diuitiæ, venuſtas corporis, artes, ſcientiæ, robur, & his ſimilia, de quibus illud Terentij accipiendum in Heaut. actu 1. Scen. 2. *Qui vti ſcit, ei bona: qui non vtitur recte, mala.* Et quia ijs vti tanquam inſtrumentis & adiumentis quibuſdam in vtramque partem poſſumus, potentiæ dicuntur. Peripatetici tria bonorum genera conſtituunt, Animi, Corporis, Fortunæ, de quibus Cic. lib. 1. Acad. qq & 3. Tuſcul. Aliæ bonorum diuiſiones huic inſtituto non inſeruiunt.

TITVLVS II.

De Summo Bono.

CAPVT I.

Quid ſit ſummum Bonum, & quale.

SVMMVM Bonum eſt vltimus actionum humanarum finis, qui propter ſe expetitur, omnia propter ipſum. Adeoque eſt ipſa felicitas ſeu beatitudo. Cum plurimæ autem ſunt eius proprietates, tum quinque præcipuæ exiſtunt, quæ quale ſit demonſtrant. Prima eſt, quod ſit optimum. Cum enim finis omnis ſit bonus, neceſſarium eſt, vt id, quod finis vltimi rationem habet, & ad quod omnia referuntur, optimum ſit. Secunda quod ſit perfectiſſimum. Nam cum optimum ſit, nihilque addi illi poſſit, conſequitur & perfectiſſimum eſſe; cui id, cum addi nihil ad excellentiam poteſt; ſit perfectiſſimum. Tertia quod ſit pulcherrimum. Quip-

Definitio ſummi Boni.

Quatuor eius proprietates.

pe ſummæ perfectionis comes eſt ſumma pulchritudo. Quarta quod ſit per ſe ſufficientiſſimum. Quia ita omnem perfectonem & excellentiam complectitur, vt addi nihil poſſit, nihil demi;& quo contentus eſt; qui illud eſt adeptus. Quinta quod ſit iucundiſſimum. Manifeſtum ſiquidem eſt, id eſſe vel maxime delectabile,& ſummam ex ſe voluptatem effundere, quod optimum, perfectiſſimum, pulcherrimum, ac ſufficientiſſimum eſt, & quod omne deſiderium explet,ac ſatiat appetitum.Vnde cum quis ad ſummum Bonum pertingit, bonitas eius animum ſiſtit,perfectio abſoluit, pulchritudo condecorat, ſufficientia explet, iucunditas racreat.

Additamentum.

ARISTOTELES 1. Eth. cap. 2. *Summum bonum eſt finis rerum agendarum, quem propter ſeipſum volumus, alia verò huius gratia.* Plato in Gorgia. *Finis eſt omnium actionũ, cuius gratia alia cætera facere oporter, non autem ipſum aliorum cauſa.* Stoici definiunt *eſſe illud, cuius gratia omnia officia & rectè facta fiunt, ipſum autem nullius gratia.* Alij ſummum bonum *id eſſe dicunt, quo omnia benè viuendi rectéq; faciendi conſilia referuntur.* Et ita fere loquitur Cicero 1. libro de finibus. Quæ deſcriptiones omnes inter ſe conueniunt,declarantque id ſummum bonum eſſe cenſendũ, quod quando homo adeptus eſt, beatus eſt, in illo acquieſcit, nec quicquam vlterius deſiderat. Vnde fit, vt dicatur Vltimum appetendorum, item extremum, ſummum. Latini beatitudinem, felicitatem, finem his, finem bonorum, ſummum Bonum appellant, cuius cognitionem ita neceſſariam Plato cenſuit, vt exiſtimarit inutilem omnem ſcientiam, imo noxiam, ſine notitia optimi finis. Ita ille in Theæt. Et Ariſtoteles 1. Eth. cap. 2. *Enimvero ad vitam etiam vtilis, inquit, & magnum momentum habet cognitio finis; atque vt ſagittarij, qui ſcopum habent, magis quod oportet aſſequamur.* Cicero autem 1. de finibus *Quid eſt id vita tantopere quærendum, quam quis ſit finis, quod extremum, quod vltimum, quo ſint omnia bene viuendi rectéq; faciendi conſilia referenda?* Proprietates ſummi Boni, his enumeratæ ſub ſingulis rationibus aſſtruuntur.

CAPVT II.

An ſit aliquis vltimus finis, ſeu Bonum aliquod Summum Hominis.

CVM omnia propter finem agant, tum vltimum aliquem dari finem dubitari certe non poteſt. Acquieſcunt in eo Bruta, quod eorum explet appetitum; & res quæ ſenſu carent, ſuo in loco, quem Natura præſcripſit, conſiſtunt. Quod cum ita ſit, nefas eſſet hominem animal nobiliſſimum vltimo ſuo fine ac ſummo Bono deſtitui, propter quem condita ſunt omnia. Non fruſtra illi ſummi Boni innatum eſt deſiderium, fruſtra verò conditæ eſſent res aliæ vniuerſæ, ſi qui omnium Arbiter & Dominus eſt homo finem vltimum nullum ſibi præfixum haberet. Ipſe miraculum eſt in Natura, & omnium omnino finis, vt æquum proinde ſit, certum aliquod propoſitum eſſe Bonum, quod præſtantiſſimæ eius reſpondeat dignitati.

Datur ſũmum aliquod homini bonum.

Additamentum.

SEneca Epiſt. 95. *Proponamus oportet finem ſummi boni, ad quem nitamur, ad quem omne factum noſtrum dictumq; reſpiciat, velut i nauigantibus ad ſydus aliquod dirigendus eſt curſus.* Idem Epiſt. 71. oſtendit cauſam noſtræ ſtultitiæ & malitiæ eſſe, quod ignoremus, aut non aſſidue meditemur ſummum bonum, his verbis. *Quoties quid fugiendum ſit, aut quid petendum voles ſcire; ad ſummum Bonum & propoſitũ totius vitæ reſpice. Illi enim conſentire debet, quicquid agimus; non diſponet ſingula, niſi cui iam vitæ ſuæ ſumma propoſita eſt. Nemo quamuis paratos habeant colores, ſimilitudinem reddet, niſi iam conſtet, quid velit pingere. Ideo peccamus, quia de partibus vitæ omnes deliberamus, de tota nemo. Scire debet quid petat ille, qui ſagittam vult mittere, & tunc dirigere, & moderari manu telum.* Hactenus Seneca. Huc referri poſſunt, quæ diximus ad caput 4.

Titu-

Titulo 1. Ariſtoteles lib. 1. Rhet. cap. 5. Per me autem tum priuatim cuique, tum communiter omnibus ſcopus quidam eſt, quem ſperantes & eligunt & fugiunt, iſque eſt, vt ſummatim dicam, tum felicitas, tum quæ ipſius.

CAPVT III.

An ſummi Boni ſolus homo ſit capax.

SOlus ſane, ſi Angelos excipiamus. Neque enim appetere illud Bruta poſſunt, cum eius in ijs eſſe appetitus non poſſit, in quibus rationis nulla vis eſt, aut intellectus. Natus ad imperandum eſt homo, reliqua ad ſeruiendum omnia. Seruiunt homini vel ad victum veſtitumque, vel ad conſeruandam valetudinem, vel ad oblectationē. Adeò quicquid eſt cæterarum omnium rerum vltimum ſuum in hominē finem habet, homo ſuum in Deo, nec propter Dei commodū, ſed ſuum. Et quanquā ſubditus ſit Deo; hæc tamen ſubiectio regnum eius eſt, Dominatus & imperiū; ab ea autē recedere, niſi rei ſeſe alteri creatæ ſubmittat, non poteſt. Ea verò demum eſt viliſſima ſeruitus. *Solus homo ſummi bono eſt capax.*

Additamentum.

OVidius 1. Metamorphoſeon
Pronaque cum ſpectent animalia cætera terram
Os homini ſublime dedit, cœlumq; videre,
Iuſſit, & erectos ad ſydera tollere vultus.

Cicero lib. 1. de Legibus. *Cum Natura cæteras animantes abieciſſet ad paſtum, ſolum hominem erexit, & ad cœli quaſi cognationis domiciliūq; priſtini conſpectum excitauit.* Idem 4. de finibus. Summum Bonum eſt in Ingenij præſtantia, quam, Virtutem vocamus. Socrates olim interrogatus, *Quinam felices eſſent?* reſpondit, *Quibus animus praſtans, & Ratio adeſt.* Democritus apud Stobæum. *Felicitas non in armentis*, inquit, *vel auro multo habitat; Anima eſt domicilium Dæmonis*, i. *Dei.* Et Plato in Phileto cùm definiat felicitatem eſſe Dei aſſimilationem, ſatis indicat ſolum hominem eſſe eius capacem, qui ſoli aſſimulari Deo poteſt, quatenus poteſt. Inde Iamblichus, *Beatus eſt, qui Deo pro virili ſua eſt ſimilis, perfectus, ſimplex; purus, à vita hac humanâ abiunctus.* Sacræ Scripturæ de nulla, niſi de hominis, felicitate loquuntur.

CAPVT IV.

An in hac, An verò in futura vita, Summum illud ſit Bonum.

PRISCORVM Philoſophorum nonnulli, cum animaduerterent ortum hominis initium eſſe lachrymarum; vitam miſeriarum longam ſeriem, finem nihil aliud, quam dolorem & horrorem, negauerunt vllam eſſe in huius vitæ decurſu felicitatem. *Quidam negauerūt* Aliqui alij verò, quos Athæis accenſere licet, cum hominis animum vna cum corpore interire iudicarent, ac nullum aliud ſupereſſe Bonum extincta vita vlla ratione aſſequerentur, omnem in vitæ voluptate felicitatem conſtituerunt. *quidam in voluptate poſuerunt opinio Solonis.* Solon ter interrogatus à Cræſo Lydorum Rege, quiſnam eſſe felix videretur, cum prima reſponſione Telli fortitudinem commendaſſet; ſecunda Cleobis & Bitonis pietatem extuliſſet, quod iugo ſuppoſiti matrem infirmam ad Iunonis templum traxiſſent; tandem tertiâ, vt Crœſo periculosè in diuitiarum Oceano exultanti, cautelam ſapienter daret, neminem ante obitum dicendum eſſe felicem affirmauit. Et ſane id teſtatum Polycratis Samiorum Regis exemplo videtur. Hic enim cum nullum vnquam vel leuiſſimum à fortuna damnum accepiſſet, abiectumque etiam in mare ſummi pretij annulum in piſcis exenterati ventre reperiſſet, tandem tamen ſummo cum ludibrio ac hoſtis victoris iuſſu laqueo vitam finiuit. Ex his opinionibus ita accipienda prima eſt, vt nullam in hac vita felicitatem, quæ quidem perfecta ſit, eſſe intelligamus. *Opinionū explicatio* Secunda omni ratione deſtituta eſt. Crediderim ve-

 rò ni-

rò nihil aliud Solonem voluiſſe, quam de hominis in hac vita felicitate ante vitæ occaſum ferri iudicium non poſſe, quod obnoxij fortunæ turbinibus ſemper homines viuant. Cæterum cum duplex ſit vita, præſens hæc, & quæ poſt hanc altera, dicendum eſt ſummum aliquod huius vitæ Bonum eſſe, & aliquod æternæ; adeo vt felix etiã quis dici in hac vita poſſit. Si enim omnis ex hac vita felicitas tollatur, otioſa erit legum conſtitutio, quæ tamen ad efficiendos ciues beatos eſt introducta; fruſtra erit omnis in hac vita labor, & appetitus felicitatis, imo miſera vita, tanquam nauis variis fluctibus agitata, ſi nulla ſit virtutis anchora nulluſque portus. Qui ergo in hac vita ſtabilis eſt, ac quaſi perpetuus in virtutum actionibus, ſuamque vitam rectæ rationis conſtantia dirigit, & eam habet mentis excellentiã multis virtutum operibus confirmatam, vt corumpi facile non poſſit, is felix eſt hic dicendus. Non negandum tamen, quin qui ita felix eſt fortunæ telis configatur, morbis affligatur, extremis malis aliquando vulneretur, inque animo affectus habeat & perturbationes; ſed quia non labaſcit, ac potius tum maxime lucet & triumphat, adhuc felix eſt dicendus.

Quis hic ſit Felix.

Additamentum.

ARiſtoteles lib. 1. Eudem. cap. 2. *Aiunt omnibus ſcopum quendam rectè viuendi propoſitum eſſe, qui modo, ex electione viuere iam queant.* Item, alij autem iam ab initio beatitudinem non rectè quærũt, quamuis eius obtinendæ facultatem habeant. Supponit igitur Ariſtoteles dari in hac vita quandam felicitatem. Plato vero Duplicem finem eſſe ait, Vnum cõmunicabilem & primarium, qui eſt in ipſis Idæjs. Alterũ qui ab eo participat eiq; communicat, & ſimilitudinem ab eo capit. Quod fit in hominibus, qui vindicant ſibi, & aſſerunt virtutem, & veram Philoſophiam. Ipſæ Scripturæ Sacræ aliquam in hac vita felicitatem admittunt. D. Paulus 1. ad Corinth. cap. 13. *Videmus nunc per ſpeculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem.* Ibidem. *Ex parte cognoſcimus, & ex parte prophetamus, cum autem venerit quod perfectum eſt, euacuabitur, quòd ex parte eſt.* Sic indicat huius vitæ felicitatem, tantum eſſe inchoatam; futuræ autem vitæ abſolutam & perfectam.

CAPVT V.

An ergo felix eſſe miſer non poſſit.

Felix eſſe miſer non poteſt.

CVm is vere ac propriè tantum ſit miſer, qui ſceleribus eſt mancipatus, dici miſer non poteſt, quem felicem hic appellamus. Quippe felix virtutis ſemper eſt ſtudioſus, ſapiens, fortis; miſer verò ingenio carens, animo abiectus, & flagitijs coinquinatus. Vincit animo fortunæ procellas, & inuictus ea perfert felix, quæ illa adfert. Equidem vulgo, qui opibus deſtitutus egeſtate aliqua premitur, appellari miſer ſolet; at verò quæ aſpera & iniucunda ſunt, vitam reddunt longe beatiorem, & animo triumphi materiam apportant. Stoicorum ea conſtans olim opinio, Sapientem eſſe miſerum non poſſe. Et *nemo poteſt non beatiſſimus eſſe*, inquit Cicero in paradoxis, *qui eſt totus aptus ex ſeſe, quique in ſe vno ponit omnia.*

Additamentum.

FElicẽ hic virtutis ſtudioſum ac ſapientem appellamus, & hunc miſerum eſſe poſſe negamus, etſi in egeſtate ſit, aut dolore. Hoc conſignat Diuus Ambroſius lib. 1. de Iacob. cap. 7. *Non frangitur ſapiens doloribus corporis, nec vexatur in commodis, ſed etiam in ærumnis beatus manet. Quia non in delectatione corporis vitæ beatitudo eſt, ſed in conſcientia pura ab omni labe peccati.* Seneca de Vita beata cap. 25. *Totum fortunæ regnum Sapiens deſpicit.* Quare. Quia, vt ait Cato apud Poetam:

——Gaudet patientia durũ
Lætius eſt, quoties magno ſibi conſtat Honeſtum.

Poteſt quidem pati aliquid, qui felix eſt; *Senſum enim hominis nulla exuit virtus*, inquit Sẽ. Epiſt. 85. *ſed nõ timet, & inuictus ex alto dolores ſuos ſpectat.* Epicurus voluptatis Magiſter apud Ciceronem lib. 2. qq Tuſ. *Si vratur Sapiens*, ait, *ſi crucietur, in Phala-*

ridis

ridis tauro ſi erit, dicet, *quam ſuaue eſt hoc? quam hoc non curo?* Et vere morti vicinus ita fecit ipſe Epicurus. Vnde de illo Seneca Epiſt. 92. *Quid parro? incredibile videtur, aliquem in ſummis cruciatibus poſitum dicere, beatus ſum? Atqui hæc vox in ipſa officina voluptatis eſt audita, Beatiſſimum*, inquit, *hunc & vltimum diem ago, Epicurus; cum illum hinc vrinæ difficultas torqueret, hinc inſanabilis exulcerati dolor ventris. Quare ergo incredibilia hæc ſunt apud eos, qui virtutem colunt, cùm apud eos quoque reperiantur, apud quos voluptas imperat?* Idem Epiſt. 71. *Non educo Sapientem ex hominum numero, nec dolores ab illo, ſicut ab aliqua rupe nullum ſenſum admittente, ſubmoueo. Memini ex duabus partibus illum eſſe compoſitum. Altera eſt irrationalis: hæc mordetur, vritur, dolet. Altera rationalis, hæc inconcuſſas opiniones habet, intrepida eſt & indomita.* Ex quibus patet ſapientem ſeu Virtute præditum non eſſe plane ſine affectibus ſeu perturbationibus, ſed per eas non labi, verum inter eas in ſua felicitate ſtabilem manere.

CAPVT VI.

Variæ Veterum de felicitate Sententiæ.

QVæ datur in hoc vitæ curriculo felicitas, non ea eſt ſane, quæ vulgo videtur, ægroto ſanitas, pauperi pecunia, ignaro doctrina. Veterum Sapientum teſtimonia reſponſaque magna ſunt hac in re documenta. Interrogatus Socrates, apud Stobæum, quid eſſet felicitas, *Voluptas* inquit, *quam nulla pænitudo ſequitur.* Quinam felices? *illi* inquit *qui mentem bonam & rationem poſſident.* Ab eodem cum quiſpiam ſciſcitaretur, num potentiſſimus Perſarum Rex felix eſſet, *Neſcire ſe*, reſpondit, *an eruditione iuſtitiaq; ſit inſtructus: in hoc autem hominis eſſe felicitatem Miſerum illum eſſe, qui ſit iniuſtus.* Satyricus Iuuenalis.

Sententia Socratis.

——Dicimus autem
Hos quoq; felices qui ferre incommoda vitæ,
Nec iactare iugum vita didicere magiſtra.

Diogenes, eodem Stobæo teſte, veram eſſe felicitatem illam dicebat, quæ efficit, vt mens & anima perpetua in tranquillitate hilaritateq; collocentur: ſeu vt lætemur ſemper nunquam triſtemur. Eodem pene ſenſu Democritus felicem illum aſſerebat, qui cum exiguis pecuniis hilaris eſſet: infelicem autem, qui magnas inter opes triſtis eſſet. Thaleti is felix dicitur, qui corpore ſanus eſt & animo eruditus. Ab Anaxagora cum quidem male ſanus quinam eſſent felices quæreret. *Nemo ſane ex ijs*, inquit, *quos tu felices exiſtimas; ſed is, quem tu miſerum credis.* Ita Valerius Maximus refert, Horatianæ Lyræ pulcherrimus hic eſt ſonus.

Non poßidentem multa vocaueris.
Recte beatum: rectius occupat.
Nomen beati, qui Deorum.
Muneribus ſapienter vti,
Duramque callet pauperiem pati:
Peiuſque letho flagitium timet.

Sapienter verò Iamblicus felicem illum appellabat, qui Deo, quàtenus fieri poteſt, ſimilis fuerit, perfectus, ſimplex, purus, & ab humana vita ſeparatus. Diuinus Plato, vt teſtis eſt Cicero, eum demum in vita beatum pronunciari volebat, cui in ſenectute contigit, vt ſapientiam veraſque opiniones aſſequeretur. Plures non produco, neque enim de ea diſſerunt felicitate, quam inquirimus. Vulgus lætitiâ felicitatem, triſtitiâ miſeriam æſtimat. Non pauci ab euentu vtramque cenſent, & ab animorum commotione. In animo felicitas conſiſtit, qui ſublimis & ſerenus bona ſua complectitur, & quæ fortuita ſunt contemnit ſeipſo contentus.

Iamblici.

Platonis.

Addi-

Additamentum.

INter Veteres Philoſophos tot fere ſententiæ de ſummo Bono fuerunt, quot capita. Et quemadmodum Plautus ait in Stich. *Suus Rex Reginæ placet, ſua cuique Sponſa Sponſo; ita vnicuique ſua ſententia.* D. Auguſtinus lib. 19. cap. 1. *M. Varro*, inquit, *in libro de Philoſophia tam multam dogmatum varietatem diligenter & ſubtiliter ſcrutatus aduertit, vt ad* 288. *ſectas, non quæ iam eſſent, ſed quæ eſſe poſſent, adhibens quaſdam differentias facile perueniret.* Harum opinionum plurimas recenſet Lactantius lib. 3. de Diuinis Inſtitutionibus cap. 7. Epicurus, inquit, *Summum Bonum in voluptate animi eſſe cenſet*; Ariſtippus *in voluptate corporis.* Calliphon & Dinomachus *Honeſtatem cum voluptate coniunxerũt*: Diodorus *In priuatione doloris ſummum Bonum poſuit*: Hieron *In non dolendo*: Peripatetici *In bonis animi, corporis, & fortunæ*: Herilli *Summum bonum eſt ſcientia*; Zenonis *Cum Natura congruenter viuere*: Quorumdam Stoicorum *Virtutem ſequi*; Ariſtoteles *In honeſtate & virtute ſummum bonum collocauit.* Cicero in quæſtionibus Academicis & libris quinque de Finibus plurimas & diſſidentes Philoſophorum opiniones paſſim colligit. Eas quoque attingit Ariſtoteles lib. 1. Eth. Diuerſitatis huius origo à Socrate eſt, cuius apud Platonem de bonorum generibus duplex eſt ſententia. Is enim dum ſubtilius Philoſophatur, & in homine ſolius animi rationem habet, in bonis ea ſolum numerat, quæ animi ſunt. Id ex Apologia videre licet. *Vera*, inquit, *mala non ſunt mors, paupertas, ægritudo, ſeruitus, ſed vocantur quidem à ſtultis mala, bene autem vtentibus bona ſunt.* Hanc ſententiam atripuerunt Stoici, quorum hæc ſunt paradoxa. *Quod honeſtum, id ſolum bonum. In quo virtus, ei nihil deeſt ad bene viuendum. Solus ſapiens eſt diues.* Et quæ alia huius generis ſunt. Alibi verò ex hominum opinione differens bona facit duplicia, Diuina & Humana. Diuina, vt prudentiam, temperatum animi habitum, iuſtitiam, fortitudinem. Humana ſanitatem, formam, vires corporis, diuitias. Hanc partem Peripatetici ſibi propugnandam ſumpſerunt. Vtriuſque ſectæ opiniones reipſa conuenire, ac verbis tantum diſcrepare Cicero lib. 4. de Finibus profitetur. Porro omnes de ſummo Bono ſententiæ ad duas reuocari poſſunt, videlicet, Plebeiorum & Sapientum. Vulgus hominum loco ſummi Boni habet res manifeſtas & ſenſibus obuias, quales ſunt voluptas, diuitiæ, honor. Et quidem alij ſæpè aliud, neque raro ijdem diuerſis temporibus diuerſa, vt ægrotus bonam valetudinẽ, pauper opulentiam, ignarus doctrinam. Sapientes verò ſummum bonum in ijs ponunt, quæ à ſenſibus ſunt remotiora; vt Platonici *in Idea*, quæ cauſa ſit, cur cætera ſint bona omnia; Stoici *in virtute.* &c. Ariſtoteles 1. Eth. cap. 5. Opiniones, quæ maioris ſunt momenti, ad quatuor capita reuocat, æſtimando beatitudinem ex vitæ generibus, quod quale cuique vitæ genus eſt, talem ſibi finem proponat, *Miles victoriam, Mercator diuitias, Magiſtratus pacem, Scholaſticus eruditionem.* Quanquam tria ſunt præcipua vitæ genera. Vnum voluptuariorum, quibus ſummum bonum eſt voluptas; alterum Politicorum ſeu gratioſorum hominum, quibus Honor; Tertium Theoreticorum ſeu Contemplatiuorum, quibus rerum contemplatio. Addi poteſt quæſtuoſum vitæ genus, quod eſt Auarorum, quibus diuitiæ ſummum ſunt bonum. Hæc autem diuerſa vitæ genera homines ſibi eligunt vel inſtinctu Naturæ vel educationis iuſſu, vel aliorum & maximè maiorum exemplis Propertius lib. 3.

Hic ſatus ad pacem, hic caſtrenſibus vtilis ærumnis,
Naturæ ſequitur ſemina quiſque ſuæ.

TITVLVS III.

De Summo Bono Politico, ſeu huius Vitæ.

CAPVT I.

An ſummum Bonum ſit in voluptate.

Summum Bonum in voluptate non eſt.

DVcentæ octoginta octo de ſummo Bono opiniones olim exſtiterunt, nec aliunde, quam ex tanta tot ingeniorum & affectionum varietate. Reuocari illæ ad quatuor claſſes poſſunt.

Prima eorum eſt, qui nullam, præterquam voluptatis, curam gerentes,

tes,

tes, in ea ſummum hominis in hac vita Bonum conſtituerunt. Quorum opinio non tam hominum, quam pecudum eſſe videtur. Quaſi vero Sardanapalus aliquis omnium libidinum ac voluptatum Charybdis felix eſſe poſſit. Ita quidem Epicurus & Cerinthus ſenſerunt. De illo Gellius, de hoc Euſebius refert. Sed cum illa corporis voluptas propter ſenſuum delectationem, quam conſequitur, homini cum belluis ſit communis, ſummum eſſe Bonum ſane non poteſt; nec quiſpiam propter eam vnquam eſt laudatus. Quam ob cauſam Marc. Cicero notum illud Sardanapali Epitaphiũ.

Hæc habui quæ edi, quæq; exſaturata voluptas Hauſit, at illa tacent multa & præclara relicta, rectius bonis, quam regis ſepulchro inſcribi oportuiſſe lib. 3. Tuſcul. quæſt. refert. Accedit quod cum ſummum Bonum ſumma in perfectione conſiſtere debeat, eſſe in corporis voluptate non poſſit, in qua ſumma eſt ignominia. Vnde apud Homerum Achilles non atrocius veſano & ignauo regi conuitium obiicere potuit, quam vt eum temulentum appellaret. Præterquam vero quod fœda corporis voluptas in hominem rationem extinguat, non raro mortem adfert, & vix vnquam ſine miſeria eſt. Balthaſar Babyloniorum Rex in ipſo menſæ apparatu eſt confoſſus. Attila Rex in nouæ ſponſæ amplexibus exſpirauit.

——Vſque adeo nulla eſt ſincera voluptas
Sollicitumq; aliquid lætis interuenit.

Si à Baccho voluptas eſt, irritamentum erit Veneris, ſi à Venere, mortis erit præludium. Quicquid autem à quacunque corporis voluptate eſt, belluinum eſt. Summum ergo huius vitæ Bonum ſeu felicitas eſſe in ſpurca illa voluptate non poteſt, in qua fœditas eſt, infirmitas, pudenda calamitas. Vere Ouidius

Impia ſub dulci melle venena latent.

Sed veriſſime Diuus Hieronymus ad Damaſum Pontificem, *Semper voluptas famem ſui habet, & tranſacta non ſatiat.* Eodemque ſenſu Diuus Ambroſius. Nihil prodigæ ſatis eſt voluptati. Semper famem patitur ſui, quæ alimentis perpetuis neſcit impleri. Mœſtitiam ipſa ſecum trahit. Quippe Plauto teſte. *Variatæ ſtimonia.*

Ita Dijs placitum voluptati vt mœror comes conſequatur.

Sed amplius Architas Tarentinus dicebat, *nullam peſtem eſſe voluptate capitaliorem, ex qua tanquam ex fonte, quicquid eſt in hominum vita ſcelerum & calamitatum prodit.* Quare vt cum Silio Italico omnes moneã, & nullum hic bonum eſſe oſtendam.

—— Inde aſpice late.
Florentes quandam luxus quas verterit Vrbes.
Quippe nec ira Deum tantum, nec tela, nec hoſtes.
Quantum ſola uoces animis illapſa voluptas.

Additamentum.

VOLVPTATES nõ tantũ homini cum beſtijs ſunt communes, ſed in his ipſis maiores, & diuturniores. Superant enim nos beſtiæ ſenſuum acumine & integritate, vnde hic verſus:

Nos aper auditu, nos vincit Aranea, tactu,
Vincit odore Canis, linx viſu, ſimia guſtu.

Vnde futurum eſſet, vt beatiores eſſent beſtiæ, quam homines, ſi ſummum bonum in voluptatibus poſitum eſſet, quas illæ ſine metu, periculo, pudore, conſcientiæ morſu, pœnarum ſenſu quærunt. Cic. 1. Parad. *Cum tibi ſiue Deus, ſiue mater rerum omnium Natura dederit animum, quo nihil præſtantius, nihil diuinius; ſic te abjcies & proſternes, vt nihil inter te & quadrupedem intereſſe videatur?* Homerus in Odiſſæa fingit ſocios Vliſſis apud Circẽ in porcos & beſtias alias mutatos vt corporearum voluptatum. Cic. lib. 2. de Finibus. *Fluit voluptas, & prima quæq; evolat, ſæpiusq; relinquit cauſas pœnitendi, quàm recordandi.* Et pro M. Cœlio. *Amores & diuitiæ mature & celeri-*

celeriter deſloreſcunt. Huc pertinet illud Senecæ de voluptatum & dolorum nexu:

Nulla ſors longa eſt; dolor & voluptas
Inuicem cedunt, breuior voluptas.

Ludouicus Viues lib. 2. de Verit. fid. Voluptatum moleſtias & miſerias præclarè exprimit. *Ipſum enim comedere*, inquit, *& bibere, quam res eſt moleſta? toties & tam diu repetendum, & vbi finitum eſt, abit delectatio, relinquitur ructus, excreationes, meiere, exceruere, grauitas ſomni, in quo nihil homo differt ab arbore. Si nimium ederis aut biberis natura parum congruentia, labor, moleſtia, dolor, morbus, mors.*

Horatius lib. 2. Satyr. 2.

——Vides vt pallidus omnis
Cœnâ deſurgat dubia?

Tritum prouerbium eſſe cœpit *Compoſita fercula compoſiti morbi.* Idem Horatius lib. 2. Serm.

—— Quin corpus onuſtum
Heſternis vitijs animum quoq; prægrauat vnâ
Atque affigit humo diuinæ particulam auræ.

Imò etiam per voluptates corporis virtus extinguitur, inprimiſque iuſtitia, *cui in voluptatis regno nihil loci reliquum eſt*, vt ait Cic. in Catilinam. Per eaſdem Imperia florentiſſima euertuntur. Ideo Cræſus apud Herodotum lib. 1. Cyro, qui Sardes demoliri volebat, hoc conſilium dat, *Vt vrbem delicijs corrumpat; quod ſi fiat, loco virorum breui mulierculas habiturū.* Et Hannibal *Capuam viros duxit, mulieres eduxit, quod nec ipſe quidem diſſimulauit*, vt refert Valerius Max. lib. 9. cap. 1. Verè monet Ariſtoteles apud Laertium *Voluptates ſpectandas eſſe non venientes, ſed abeuntes.* Et Auſonius apud Gellium lib. 16. cap. 1. *Si quid honeſti cum labore feceris, labor quidem abit, ſed honeſtum manet: Si verò quid turpe egeris cum voluptate, voluptas quidem abit, turpitudo verò manet.* Horat. lib. 1. Epiſt. 12. *Sperne voluptates, nocet empta dolore voluptas.* Si voluptas ad ſe trahat, dicendum eſt cum Demoſthene, *Tanti pœnitere non emo*, vt refert Gellius lib. 1. cap. 8. Videndus Ariſtoteles lib. 7. Eth. c. 11. & lib. 10. c. 3.

Quæres 1. An voluptas, quæ virtutum actiones comitatur, ſummi boni loco ſit habenda? Reſpondeo non eſſe, cum alio referatur, nec bonos faciat, ſitque affectio, quæ à ſummo bono abeſſe nunquam poteſt. Alexander lib. 4. nat. qq. cap. 26. *Non honeſtum in gratiā voluptatis, ſed voluptas in gratiam honeſti ponenda & optanda, & ab honeſto voluptas recipit perfectionem, non contra honeſtum à voluptate.*

Quæres 2. Quid de Epicuro ſentiendum ſit? Reſpondeo, De Epicuri moribus & doctrina diſſentire Diogenem Laertium, & Ciceronem. Laertius lib. 10. ſcribit eum virum optimum fuiſſe, ſobriè Philoſophantem, Deos colentem, patriæ debitum perſoluentem, pium in parentes, beneficū in fratres, manſuetum in ſeruos; qui viliſſimis & ſimpliciſſimis cibis vixerit, aqua, pane cibario, & caſeo. Conſtituerit autem ſummum hominis bonum non virtutem, quod ea ſibi haud ſufficiat, & ſummis cum miſerijs non raro conflictetur, ſed voluptatem, vt neque doleamus, neque perturbemur. Per voluptatē verò non intellexerit, ingluuiem, luxuriam, libidinem, ſed vt corpore ſani, animo quieti, & vtroque bene affecti ſimus. Et quidem voluptatem duplicem fecerit, vnam ſtantem & ſtabilem, vt indolentiam & doloris priuationem: alteram mouentem ſeu dulcem voluptatis motum. Vtramque hominis finem eſſe, & coniunctim & ſeorſim; omittendam tamen illam, quæ maiorem parit moleſtiam, dolores verò ſuſcipiendos, qui plus voluptatis adferunt. Vt igitur animo corporique benè ſit, colendam eſſe temperantiam & eijciendas ex animo cupiditates ſeu perturbationes; nec iucunde vitam degi poſſe ſine virtute; nec mortem metuendam, cum à malis liberet. Hæc Laertius de Epicuro, quem familiares tanti fecerunt, vt eius imaginem non modo in tabulis, ſed etiam in poculis & annulis haberent, aſſerentes *Vnum vidiſſe verum, & maximis ab erroribus animos liberaſſe hominum.* Cicero varijs in locis, vt in libris de Nat. Deorum, in qq. Tuſcul. in libris de Finibus, tradit Epicurum hominem fuiſſe mollem, voluptuarium, ſine arte, ſine litteris, ſine acumine, qui nihil oleat ex Lycæo, nihil ex Academia, nihil ex puerilibus quidem diſciplinis, qui metu Athenienſium vrbis Deos ſuſtulerit, cuius in hortis meretriculæ Leontium, Boidium, Hedera, Nicedium quotidie verſatæ fuerunt. Summum Bonum conſtituerit voluptates corporis & animi, quarum illas ex his naſci docebat, eodemque referri. Quamuis autem voluptates interdum extenuet, & ambitioſè virtutem prædicet, idem tamen ait ſe ne quidem ſuſpicari poſſe, quid ſit bonum præter voluptatem. Ciceronem ſequitur Plutarchus in libello, quo oſtendit ſecundum Epicurum ne ſuauiter quidem vitam agi poſſe. Aſtipulantur eidem Ciceroni omnes ſcholæ, & Horatius lib. 1. Epiſt. ad Tibullum dum ait:

Me pinguē & nitidum, bene curatâ cute viſas,
Cum ridere voles Epicuri de grege porcum.

CAP.

CAPVT II.

An ſit in Diuitijs.

SEcunda opinio eſt eorum, qui toti ad diuitias & opes aſpirantes, in ijs poſitam eſſe ſummam felicitatem arbitrantur. Tales ſunt Eucliones & Phylargyri, vera & execranda Plutonis mancipia. At verò cum ſummum Bonum perficere debeat, & meliorem reddere, diuitiæ vt plurimùm deteriorem efficiunt, nec niſi propter vſum expetuntur. Imò diuitiæ ab hominibus etiam ſceleratiſſimis, qui habere ſummum Bonum non poſſunt, poſſidentur. Quam ob cauſam Poëtæ Plutonem diuitiarum Deum velocẽ fingunt & cœcum, ſimul etiam oculatum & claudum. Nam cum ad viros improbos, vt eos opibus repleat, mittitur, velociſſimè ac cœco impetu fertur; cum ad bonos, claudicat, adeoque rarò venit, & perſpicaciſſimè omnia intuetur, vt cauſam non benefaciendi inueniat. Diuitiæ Crœſum ad rogum, Midam ad extremam famem, Polycratem ad crucem perduxerunt. Nec aliud ſunt aurum & argentum, quàm terræ pulueres & Naturæ quædam ſtercora, malorumque, vt Poëta appellat, irritamenta. In ijs ergò felicitas non eſt. Neminem vnquam gemmæ, aut pellucentes Indici maris conchæ beatum effecerunt. Epicurus, magiſter ille voluptatis, diuitias non in auro, argento, atque eiuſmodi terræ purgamentis ponit, ſed compoſitam ad naturæ leges paupertatem eſſe ait, atque illum diuitem affirmat, cui cum paupertate benè conuenit. Bias, Stobæo teſte, beatum illum eſſe dicebat ex vulgi opinione, qui opes ex animi ſententia aſſequeretur; verùm multò beatiorem, qui ne deſideraret quidem. Diuitias Chilon theſaurum malorum, calamitatis viaticum, improbitatis ſuppeditationem appellabat. Diogenes fortunæ vomitum; Poſſidonius cauſas malorum. Pulchrè Lacon cùm Lampes Ægineta multarum dominus nauium felix prædicaretur, *Nihil*, inquit, *moror felicitatem de funibus pendentem*. Certè, *turpe eſt*, inquit Seneca, *beatam vitam in auro & argeato reponere*. Quæ ſunt igitur maximæ diuitiæ, ô Seneca? *Diuitias non deſiderare*. Quippe *nemo alius eſt Deo dignior, quàm qui opes contempſit*. Cum autem ſine virtute felicitas eſſe non poſſit, Virtus, inquit Horatius,

Summum Bonum nõ eſt in diuitijs.

Varia teſtimonia Veterum.

—— Regnum & diadema tutum
Deferens vni, propriamque laurum,
Quiſquis ingentes oculo irretorto
Spectat aceruos.

Nam, vt ad Pytocleam ſcribit Epicurus, ſi vis te diuitem & beatum facere, non pecuniæ adijciendum, ſed cupititatibus aliquid eſt detrahendum. Siquidem is ditiſſimus, inquit Socrates, videtur, qui pauciſſimis eſt contentus. *Viuitur paruo bene.*

Additamentum.

FElicitatem in diuitijs eſſe cum Philoſophis omnibus negamus, quod pendeant à fortuna, quam Apelles ſedentem pinxit, quia nunquam ſtetit. Plato lib. 5. de Rep. negat *hominem inſigniter bonum diuitem præ alijs fieri poſſe*. Cicero lib. V. Tuſcul. qq. *Omitto diuitias*, inquit, *quas cum quiuis, quamuis indignus, habere poſſit, in bonis non numero. Quod enim bonum, id non quiuis habere poteſt*. Timandritas Spartanus cùm poſt diuturnam peregrinationẽ domum reuerſus rem familiarem multis partibus auctam repeiſſet, *Multos*, inquit, ô fili, *& Deos & familiares & hoſpites iniuria affeciſti*. Diuitiæ exiles ſunt & viles. Ideo Socrates cùm videret Alcibiadem ob diuitias & agrorũ multitudinem ſuperbire, adduxit eum ad locum, vbi tabula orbis ambitum complectens ſuſpenſa erat, rogauitque, vt Atticam regionem quæreret, quam cum inueniſſet, iuſſit, vt ſuos in ea agros oſtenderet, quos cùm ibi pictos non eſſe diceret, *Cur igitur*, inquit, *horum poſſeſſione te effers, quæ nulla pars ſunt terræ?*

ita. Ælianus lib. 3. Sũt inſtabiles & incertę. Ideo lib. 3. Triſt. Eleg. 7.

Nempe dat, & quodcunq; libet fortuna, rapitq;
Irus & eſt ſubito, qui modo Crœſus erat.

Et Val. Max. lib. 6. cap. 10. *Caduca nimis & fragilia puerilibusq; conſentanea crepundijs, quæ vires atq; opes humanæ dicuntur: affluunt ſubito, repente dilabuntur, nullo in loco, nulla in perſona, ſtabilibus nixa radicibus conſiſtunt, ſed incertiſſimo flatu fortunæ huc atq; illuc acta, quos in ſublime extulerunt, improuiſo recurſu deſtitutos in profundo cladium miſerabiliter demergunt.* Itaque, neque debent exiſtimari neque dici bona, quæ inflictorum malorum amaritudinem deſiderio ſuo duplicant. Sunt cauſa multorum malorum. Vnde Ouidius 1. Metam.

Effodiuntur opes irritamenta malorum.

Crates ſtudiorum cauſa iturus Athenas magnum auri pondus abiecit, *Negans ſe poſſe virtutem & diuitias ſimul poſſidere.* Iuuen. Satyr. 6.

Prima peregrinos obſcœna pecunia mores
Intulit, & turpi fregerunt ſæcula luxu
Diuitiæ molles.

Habent curas & ſollicitudines. Inde Horat. lib. 3 od. 16.

Creſcentem ſequitur cura pecuniam
Maiorumq; fames.

Iuuenalis Satyr. 10.

Sed plures nimiâ congeſta pecunia curâ
Strangulat, & cuncta exſuperans patrimonia cenſus.

Idem Satyr. 14.

Magnis parta malis, curâ maiore metuque
Seruantur; miſera eſt magni cuſtodia cenſus.

Et Democritus aiebat *Diuitias nondũ partas vexare acquiſitas pluris afficere, amiſſas dolores haud mediocres adferre*, vt refert Maxim. Tyrius Serm. 12. Eodem ſenſu dixit Franciſcus Petrarcha loquens de diuitiis in libro 2. de remedius vtriuſque fortunæ dialogo 53. *Habes rem quæſitu difficilem, cuſtoditu anxiam, amiſſu flebilem.* Seneca Epiſt. 16. ad Luciliũ. *Congeratur in te quicquid multi locupletes poſſederunt; vltra priuatum pecuniæ modum fortuna te proueħat, auro tegat purpura veſtiat, & eo deliciarum opumque perducat, vt terram marmoribus abſcondas, & non tantum habere tibi liceat, ſed calcare diuitias. Accedant ſtatuæ & picturæ, & quicquid ars vlla luxuriæ laborauit, maiora cupere ab his diſces. Naturalia deſideria finita ſunt; ex falſa opinione naſcentia, vbi deſinant non habent. Nullus enim terminus falſo eſt. Via eunti aliquid extremum eſt; error immenſus eſt.* Idem. *Quid refert quantum illi in arca, quantum in horreis iaceat, ſi alienâ indiget, ſi non quæſita, ſed quærenda, computet? Non enim pauper eſt, qui minus habet, ſed qui plus cupit; nec qui plus habet, ſed qui minus cupit, duces. Si ad naturam viuas, nunquam eris pauper; ſi ad opinionem nunquam eris diues. Exiguum natura deſiderat, opinio immenſum.*

CAPVT III.

An in Honoribus.

Summum Bonum nõ eſt in honoribus.

TErtia opinio eſt eorum, qui in honoribus, hoc eſt in dignitatum humanarum faſtigijs, in purpura, in Aularum ſplendore felicitatem deliteſcere crediderunt. Tales fuerunt Politici illi, quos Ariſtoteles gratioſos appellat. Quod ſi, vt idem ait Philoſophus, in honorante honor eſt, non in honorato, quomodo tandem ſummum in eo Bonum conſtituemus? Nihil aliud eſt honor, quam opinionis noſtræ de alicuius virtute ſeu probitate teſtificatio ſignis externis declarata. Vel, ſecundum Diuum Auguſtinum, eſt iudicium bonorum bene de aliquibus hominibus ſentientium. Seu conſentiens bonorum laus, vt Quintilianus definit. Deinde cum honor ſignum ac teſtimonium ſit virtutis, non propter ſe, ſed propter illam appetitur ac laudatur. Eius cupiditas præclaræ indolis ſignum æſtimatur. Accedit, quod cum ſummum Bonum conſtans & immutabile ſit, nihil honore mutabilius eſſe videmus. Proficiſcitur enim ex hominum voluntate & opinione. Vnde qui gaudet hodie ſummo bonorum privilegio, cras ignominioſo eorumdem ſæpè dolet ſpolio. Quam mutationem in regnantibus quidam, vt Grammatico more per inflexionem complecteretur, verſum hunc pronunciauit.

Philippus II.

Regnabo, regno, regnaui, ſum ſine regno. Adeò etiam illa regnorum felicitas in curſu eſt, ſtationem non habet, voluitur ad metam, ad mortem & quædam eſt lubrica fortunæ ſcala, vnde Cæſar cum pompa, Alexander

cum

cum ſceptro cecidit. Philippus II. Hiſpaniarum & Indiarum Rex moriturus filio & filiæ ſuæ, *Aſpicite*, inquiebat, *in hoc afflictiſſimo corpuſculo, quam tenui filo pendeant pompa & ſplendor magnitudinis terrenæ. De mortali vita actum eſt ilicet ſola ſepulchri cura reſtat. Vos ex me rerum humanarum inſtabilitatem, & miſerrimam vitæ conditionem animo reputate.* Nimirum ſceptra & diademata ſepulchris inuoluuntur, & honorem fila vel fortunæ, vel mortis falce reſcinduntur. Imo fortuna tantùm eſt, quæ omnia attollendo deprimendóque verſat; & verſando conſumit, & conſumendo odiſſe facit. Vnum eſſe & illuſtre exemplum poteſt Ventidius; quem, vt ait Sabellicus, fortuna luſit, ad ludibrium vſque mortalium, & vitæ ludibrium, Is puer bis ductus in triumphum, & quidem in matris ſinu ante currum Imperatoris Adoleſcens tergendis mulis & vehiculis ſordidè victum inuenit: inde Cæſaris internuncius, mox tribunus, Vrbis tandem Prætor. Retrahente ſe fortunâ hoſtis cum Antonio iudicatus; eadem redeunte Pontificatum & Conſulatum eſt adeptus, tanto omnium riſu, vt vulgò vijs vrbis hi verſiculi perſcriberentur: *Concurrite omnes Augures, Aruſpites; portentum inuſitatum conflatum eſt recens; nam mulos qui fricabat Conſul factus eſt.* Ita in honoribus nulla felicitas eſt; vbi tanta eſt inſtabilitas. Vere Flauius Domitianus *regnum fallax bonum* appellauit. Eſt enim, vt inquit Euripides, ſpecie quidem externâ lætum ac iucundum, intus verò triſte ac moleſtum. Illud Antigonus Rex *ſplendidam ſeruitutem*; M Aurel. *magnam moleſtiam* eſſe dicebat. Nihil verius illo Senecæ dicto; *Magna fortuna magna ſeruitus eſt.* Sed & in lubrico ſtat hæc fortuna. Lucretius lib.5.

—— E ſummo quaſi fulmen deijcit ictos
Inuidia, interdum contemptim in Tartara terra.
Vt ſatius multo iam ſit parere quietum,
Quam regere imperio res velle, & regna tenere.

Dant pœnas, qui in honoribus illis ſublimibus ſunt. Vnde Iocaſta ad Polynicem de Eteocle fratre apud Senecam.

Ne metue, pœnas ille iam ſoluet graues
Regnabit, hæc eſt pœna.

Adrianus ſextus è Belgio noſtro Pontifex Max. vt eius atteſtatur Epitaphiũ; *Nihil ſibi infelicius in vita duxit, quam quòd imperaret.* Ecce in apice dignitatum humanarum infelicem ſe dicit. Eam infelicitatem non ignorare Themiſtocles videbatur, qui, vt teſtis eſt Plutarchus, dicere ſolebat, *Prius ſe ad inferos deſcenſurum, quam ad Reipublicæ tribunal & honores aſcenſurum.* De honoribus & humanis dignitatibus vere dicet quicunque cum Seneca dicet:

—— O fallex bonum,
Quantum malorum fronte quam blanda tegis!

Additamentum.

Apud Valerium Max. libro 7. cap. 1. Rex quidam, quem Antigonum appellat Stobæus ſerm. 47. traditum ſibi diadema aliquamdiu manu tenens & conſiderans tandem ait, O nobilem magis, quã felicem pannum, quem ſi quis penitus cognoſcat, quam multis ſollicitudinibus & periculis & miſeriis ſit refectus, ne humi quidẽ iacentem vellet tollere. Æſchines Dijs agebat gratias, quod à Rep. tanquã à rabioſa cane liberatus eſſet. Pompeius, teſte Plutarcho in eius vita, cùm de auctis ſibi honoribus certior factus eſſet, percuſſo femore, Prô, inquit, nunquam finienda pericula, quàm ſatius erat obſcurum naſci? De his honoribus dignitatibuſque dictum eſt ab Horatio lib. 2. Od. 10.

Sæpius ventis agitatur ingens
Pinus, & celſa grauiore caſu
Decidunt turres, feriuntq; ſummos
Fulmina montes.

Exempla.

HIc oſtendimus contra Stoicos felicitatem in virtutis habitu non eſſe. Ideò S. Auguſtinus lib.19.de Ciuit. cap. 25.vocat ſuperbam & inflatam Stoicorum ſententiam beatitudinem in ſua virtute locantium, ex eoque reprehendit, quod virtus teneat alio. Virtutes, inquit, quas quis habere videtur, per quas imperat corpori, & vitijs ad quodlibet adipiſcendum vel tenendum, niſi ad Deum retulerit, etiam ipſe vitia ſunt potius, quam virtutes. Nam licet à quibuſdam tunc veræ & honeſtæ putentur virtutes, cum ad ſeipſas referuntur, nec propter aliud expetuntur, etiam tunc inflatæ ac ſuperbæ ſunt: Et ideo non virtutes, ſed vitia iudicandæ ſunt. Sicut enim non eſt à carne, ſed ſuper carnem, quod carnem facit viuere; ſic non eſt ab homine, ſed ſuper hominem, quod hominem facit beatè viuere. Lactantius lib. 3. Inſtit. cap. 8. Non eſt virtus ipſa ſummum bonum, ſed efficax eſt & mater ſummi boni, quoniam peruenıri ad illud ſine virtute non poteſt. Plura ille ibidem vbi addit, illi cum ignorarent, quid efficeret virtus, aut quo tenderet, honeſtius, aut nihil reperirent, ſubſtiterunt in ipſius virtutis nomine, quam nullo propoſito emolumento appetendam eſſe dixerunt, & bonum ſibi conſtituerunt, quod bono indigeret. Ariſtoteles libro 10. cap. 6. Diximus autem non eſſe habitum; nam ſi ita eſſet, eius compos eſſe poſſet etiam is, qui in omni vita nihil aliud, quàm dormiat, & ſtirpis vitam degat, & qui maximis calamitatibus afficiatur. Idem lib. 1. Eth. cap. 9. Accidere poteſt, vt habitus, qui inſit, nihil boni efficiat, vt in eo, qui dormit, aut qui alio aliquo modo otioſus ac feriatus eſt. De functione autem muneris idem dici non poteſt: aget enim neceſſario, & rectè aget. Quemadmodum autem in ludis Olympicis non pulcherrimus aut valentiſſimus quiſque corona donatur, ſed qui certant; ex his enim vincunt aliqui; ſic & ea quæ ſunt in vita honeſta & bona aſſequuntur ij, qui rectè faciunt. Plura ille eodem in libro. Porro, vt hoc addamus, non immeritò dubitant aliqui, an in ſolo & otioſo virtutis habitu ſummum bonum Stoici conſtituerint. Seneca quidem de Beata Vita cap. 9. ait ſummum bonum in iudicio eſſe, & habitu optimæ mentis. Sed Stoici in Ethicis, vt ait Cicero, maximè forti & virili ratione vtebantur, & vim Virtutis mirificè tenebant prope abſoluti & perfecti. Nec quicquam diligentius, quam Virtutum actiones ſuis inſcriptis efflagitant & inculcant. Videatur ille lib. 1. Acad. qq. & 3. 4. & 5. de Finibus. Vix enim credi poteſt Stoicos per habitum mentis intellexiſſe, Virtutem otioſam, & deſidem. Fortaſſis id voluerunt Virtutem beatam efficere vitam etſi actionum edendarum occaſionem non habeat, propter interiorem animi moderationem.

CAPVT V.

Quid ſentiendum ſit de Platonis, Socratis, ac nonnullorum aliorum opinionibus.

PLato ſummum Bonum Ideam conſtituit, Socrates ſcientiam, Bias ſapientiam, Dion prudentiam, alij id, quod ipſis amplius arriſit. Quod ſi Plato omnium ac ſingulorum bonorum communem quandam extitiſſe Ideam exiſtimauit eamque ita extra Diuinam Mentem, vt ab illa quæcunque ſunt bona promanent, & in cuius contemplatione poſitum ſit ſummum Bonum, ridicula ſane & abſurda eſt eius opinio. Quomodo enim tam diuerſorum in Natura bonorum vna eſſe Idea poteſt? Longa eſt contra Platonem Ariſtotelis pugna. Si verò per Ideam Deum ipſum intellexit, qui bonorum omnium eſt exemplar perfectiſſimum, & à quo originem habet quicquid eſt bonum; aut ſi in Deo, diuinaque mente Ideam tanquam rerum omnium exemplar reſidere putauit, atque hominem eius contemplatione felicitatem adipiſci, non pugnare cum Ariſtotele videbitur; ſed cum hic politicam quandam felicitatem aſſignet, cœleſtem demonſtrare Plato voluit; quaſi hic nulla eſſet, aut eſſet imperfecta. Cæterorum ſententias ſola bonorum iſtorum conditio refutat. Sit ſcientia, ſit prudentia, ſit præclara illa rerum omnium cognitio ſeu ſapientia, certè paulatim decreſcit, de-

Variæ opiniones.

Explicatio ſententiæ Platonis.

Refutatio aliorum.

fluit, præterit, labitur, dum memoria vacillat, ingenium deflorescit, prudentia labaſcit, induſtria flacceſcit. Angelus Politianus & Albertus magnus omnium, quæ ſciuerunt, repentina quadam amneſtia ſunt obliti. Tam multi alij viri apud homines ſapientiſſimi, adeoque ipſe Salomon, de ſua nos incertos ſalute reliquerunt. Vt omnino credere non poſſimus, felicitatem eos ſua in ſcientia vel ſapientia reperiſſe,

Additamentum.

PLato per Idæam boni, in qua ſummũ bonum collocat, nihil aliud intellexiſſe videtur, quam Deum. Id patet ex diuerſis eius ſententijs. lib. 5. de leg. Beatitudinis humanæ finem, ait, eſſe, vt omnia conſecuti bona immortales efficiamur. lib. Vltimo de Rep. docet, puram ſapientiam non alibi reperiri poſſe, quam cum ad Deum homo, vnde profectus eſt, reuertatur. In Phædro. Sic vitam, ait, inſtituendam, vt minimum cum corpore ſit nobis commercij, vt puri & integri, cum Deus hinc nos migrare iuſſerit, in cœlo cum ſimilibus, hoc eſt cum puris & integris verſemur. In Theæteto, Vera, inquit, Dei agnitio, vera ſapientia eſt & virtus vera. Ignoratio verò inſcitia & euidens improbitas. Ibidem. Quare, inquit, enitendum eſt, vt hinc ad illa quam citiſſime fugiamus. Hæc autem fuga eſt Dei ſimilitudo, quoad fieri poteſt. Similitudo verò iuſtum & ſanctum & temperantem euadere. In Epinomide. Neminem viuentium, ait aut certe pauciſſimos dici poſſe, vel eſſe beatos, ſed mortuis omnia contingere. lib. 12. de Leg. Negat in hac vita quenquam beatum præter pauſiſſimos; præclaram tamen ſpem, futurum, vt poſtquam ex hac vita diſceſſerimus, ea omnia abunde conſequamur, quorum gratia dũ viueremus, optime vitã inſtituere ſummo ſtudio conabamur. lib. 10. de Rep. Iuſtitiam, inquit, cum Sapientia omni ſtudio colamus, vt & nobis ipſis & Dijs ſimul amici ſimus, quamdiu in hac vita verſamur, & poſtquam virtutis præmia reportauerimus. Ex his locis Platonis de ſummo bono ſententia conſtat, qui nomine Ideæ boni Deum, quatenus ſummum hominis eſt bonum, intellexit. Id confirmat Platonici omnes, vt Plotinus lib. de intellectu & Ideis. Alcinous cap. 8. Epitomes Doctrinæ Platonicæ & ibidem Carpentarius. Marius Amboſius lib. 3. de creatore & rebus creatis cap. 2. S. Auguſtinus lib. 1. Retract. cap. 3. Lælius Biſciola tomo 2. ſubſer. lib. 13. c. 1. Alijque quamplurimi, ac præſertim Euſtratius; qui longam diſputationem pro Platone aduerſus Ariſtotelis impugnationem inſtituit 1. Eth. c. 6. Porro Plato Deum bonorum omnium vocat Idæam quia rerum omniũ eſt exemplar & cauſa vniuerſalis. Obſcura quidem hæc locutio eſt, & ſublimioris conſiderationis, ſed non putauit tutum eſſe, ſententiam ſuam de ſummo bono aliter in vulgus efferre. Hanc dum oppugnat Ariſtoteles ſeſe quidem excuſat; quod amicus ſit Plato, ſed magis amica veritas, verum idcircò alij eum dixerunt muli inſtar præceptorem ſuum ferire, vt refert Ælianus, quod tamen de tanto Philoſopho facile ſuſpicari non oportet. Fortaſſis, vt nonnulli putant, in Platone genus dicendi obſcurum reprehendit, & non tam illum, quam Xenocratem alioſque Platonis diſcipulos inſectatur, qui male Præceptoris ſententiam de Ideis accipiebant. Præterquam quod Ariſtoteles de humana, Plato de diuina felicitate loquatur. Vt ſit reliquis omnibus de ſummo bono ſententijs hæc Platonis eſt anteferenda.

Quod attinet ad eorum opinionem, qui ſummum bonum in ſapientia, vel ſcientia, vel prudentia collocant, ij à ſapiente Salomone in Eccleſiaſte cap. 1. refutantur. Locutus ſum, inquit, in corde meo dicens: Ecce magnus effectus ſum, & præceſſi omnes ſapientia, qui fuerunt ante me in Hieruſalem; & mens mea contemplata eſt multa ſapienter & didici dedique cor meum, vt ſcirem prudentiam atque doctrinam, erroreſq; & ſtultitiam: & agnoui quod in his quoque eſſet labor & afflictio ſpiritus, eo quod in multa ſapientia multa ſit indignatio, & qui addit ſcientiã, addit & laborem. Sen. lib. 7. qq. natur. c. 31. oſtendit haberi perfectam ſcientiam non poſſe, eo quod cum multa comperta ſint, multò plura reſtent, quæ lateant. Quam multa, inquit, animalia, hoc primum cognouimus ſæculo? Et quidem multa venientis æui populus ignota nobis ſciet. Multa ſæculis tunc futuris, cum memoria noſtri exoleuerit, reſeruantur. Puſilla res mundus eſt, niſi in illo quòd quærat omnis mundus habeat. Et paulò poſt. Rerum natura ſacra ſua non ſimul tradit. Initiatos nos credimus, in veſtibulo eius hæremus. Illa arcana non promiſcuè, nec omnibus patent: reducta & in

& in interiore ſacrario clauſa ſunt. Ex quibus hæc ætas, aliud quæ poſt nos ſubibit, aſpiciet. Quando ergò iſta in notitiam noſtram perducentur? Idem Seneca ibidem cap. 30.

CAPVT VI.

In quo ergo poſitum ſit ſummum huius vitæ bonum, quod Politicum Appallamus.

IN Virtutis operatione. Illud ita Ariſtoteles definit. Summum Bonum eſt operatio animæ ratione præditæ, ſecundum virtutem perfectam in vita perfecta. Quid ni operatio? homo enim ad agendum eſt natus, & ex operatione eius perfectio deprehenditur. Quam ob cauſam ab otio aſſurgere ſemper ad actionem homo debet, non ad eam, quæ cum Brutis communis eſt nobis, ſed quæ à vero virtutis habitu procedit, ſoliuſque rationis eſt, cuius nutum atque imperium obſeruare par eſt. Quippe hæc actio animæ eſt ratione & intellectu illuſtratæ; non vegetantis, quæ in plantis quoque reperitur; non ſentientis, quam Bruta etiam habent, ne in potu cibove ſummum eſſe Bonum arbitremur. Eſſe verò hæc actio ſecundum virtutem perfectam debet, non quidem ſecundum hanc aut illam, quæ cæteris præſtantior iudicetur, ſed ſecundum virtutem omnem ſummo in gradu perfectioneque conſideratam, longo vſu ac crebris exercitijs confirmatam, ſummo itidem conatu, ſeu quantum humanæ vires permittunt, exercitam. Denique in vitâ perfectâ, cuius nimirum matura ſit ætas firmumque iudicium, atque conſtans ipſa perpetuaque actio. Vnde perfectam hanc vitam cum ætatis perfectio, tum actionis honeſtæ continuatio facit.

Definitio ſummi Boni politici.

Eius explicatio.

Additamentum.

ARiſtoteles duplicem conſtituit beatitudinem. Theoricam vnam, alteram practicam. Theorica eſt, quæ in rerum diuinarum & humanarum contemplatione verſatur eſtq; mentis perfectio. De hac agit lib. 10. Eth. Practica eſt, quæ in virtutum moralium actionibus conſiſtit, & eſt perfectio volũtatis & appetitus. De hac agit lib. 1. Eth. Et priorem quidem ait homini vt Deo mortali conuenire; poſteriorem, vt animali ad ſocietatem condito. Vtrique accommodat definitionem hic allatam, quam etiam lib. 10. repetit, & vult hominem ad intelligendũ & agendum natum eſſe tanquam mortalem Deum, vt teſtatur Cicero lib. 2. de finibus. Et lib. 3. de Nat. Deorum, Omnia, inquit, aliorum cauſa ſunt generata, vt fruges atque fructus quos terra gignit, animantium cauſa; ipſe autem homo ad mundum contemplandum & imitandum. Ariſtoteles 1. Eth cap. 10. Nulla, inquit, in re mortaliũ tanta eſt firmitudo, quanta in ijs actionibus, quæ à virtute prodeunt. Nam hæ ſcientijs ipſis ſtabiliores & diuturniores eſſe videntur. Idem lib. 7. Polit. c. 13. Duo ſunt, in quibus poſita eſt omnium hominum perfectio & præſtantia; horum autem vnum in eo conſiſtit, vt ſcopus & finis actionum ſit certus & rectè propoſitus; alterum in eo, vt homo actiones ad finem pertinentes & conferentes inueniat. Idem. 1. Eth. c. 10. Merito igitur nec bouem, nec equũ, nec aliud quicquam animantium dicimus felix; quippe cum fieri nequeat, vt vllum ipſorũ talis ſit particeps operationis. Atque ob hanc cauſam ne puer quidem eſt beatus; nondum enim per ætatem ad talia agenda ſatis eſt aptus. Idem 1. Eth. cap. 13. Virtutem porrò humanam appellamus, non corporis, ſed animi virtutem. Etenim beatitudinem functionem muneris animi dicimus. Ibidem ſed quoniam beatitudo functio quædam muneris animi eſt, virtuti vndique abſolutæ congruens. Plura ille in eo libro.

CAPVT VII.

An tria bonorum genera ad felicitatem requirantur.

Opinio Stoicorum

STöicorum Porticus felicitatem illam, quæ externa illa fortunæ bona requirat, effœminatam, mollem, inconſtantem & fluxam appellat, atque omne felicitatis punctum in Virtute collocat. Eorum hæc ratio eſt, quod

addi ſummo Bono nihil poſſit, ac ſeipſo ſit ſufficiēs tanquam perfectiſſimū. Ideò virum bonum ac ſapientem nullius indigere volunt, nec ab externis vllis rebus dependere. Ariſtoteles, quem reliqui omnes Philoſophi ſequuntur, ita ſentit, ad ſummi Boni naturam externa bona requiri, vt inſtrumenta tamen, ornamenta, & quædam auxilia adeſſe oportere. Nam quemadmodum in Scenicis Dramatibus perſonæ Scenicæ neceſſariæ ſunt, & ſine quibus eſſe Comœdia Tragœdiave non poteſt; interim aulæa, tapetes, pegmata & id genus requiruntur; ita in humana vita, quæ fabulæ ſimilis eſt, & cuius imitatione Commœdíæ aguntur, ad conſequendam felicitatem animi bona neceſſaria omnino ſunt, corporis autem & fortunæ bona multum proſunt. Per ea exercendæ virtutis occaſio eſt, & ſine ijs præſtari multa non poſſunt. Vt fortiter quis agat, robore corporis eget; vt liberaliter, diuitias requirit. Et cum hominem perficere ſummum bonum debeat, qui anima corporeque conſtat, neceſſe eſt, vt felici conſpiratione in eo omnia connectantur, quæ ad humanæ vitæ perfectionem ſplendoremque conducunt. Vnde Varro apud Marcum Tullium lib. 1. quæſt. Acad. *Omnis*, inquit, *antiqua illa philoſophia ſenſit in vnica virtute poſitam eſſe beatam vitam, nec tamen beatiſſimam, niſi adiungantur bona & corporis, & cætera ad virtutis vſum idonea.* Certum enim eſt virtutem ipſam in bonorum vſu ac moderatione maxime cerni.

Opinio Ariſtotelis & aliorum.

An verò detracta iſta bona felicem de ſuo ſtatu plane deturbent? Sane ſi calamitates ſint parui roboris, nihil aduerſus felicem habent; ſi magnæ, etſi externas actiones impediant, non tamen vt ex beato miſer fiat, efficiunt. Nam *Sapientis animus*, teſte in paradoxis Cicerone, *magnitudine conſilij, tolerantia rerum humanarum, virtutibus denique omnibus, vt mœnibus ſeptus, vinci aut expugnari facile non poteſt.*

Quæſtiuncula.

Igitur bona animi neceſſaria ſunt, cætera proſunt. Nobilitas exſtimulat ad virtutem, quæ veniens è pulchro corpore gratior eſt. Robur & ſanitas ad virtutis exercitium facit; amicorum ſocietas vinculum eſt humanæ vitæ; opes vitæ commoda adferunt, & non raro à perſona ludibrium repellunt. Ariſtoteles lib. 1. Rhet. *Sit felicitatis definitio hæc, proſperitas cum virtute coniuncta; vel fortunata rerum cum virtute adminiſtatio actione; vel ratio per ſe ſufficiens ad bene viuendum.*

Reſolutio.

Hactenus de ſummo huius vitæ Bono. Altera poſt hanc vitam felicitas, quæ veriſſima & perfectiſſima eſt, in Dei Optimi Maximi fruitione conſiſtit, de qua Theologi. Nunc de Actione dicendum eſt, in hac enim, cum à virtute proficiſcitur, poſitum eſt ſummum huius vitæ Bonum, & per eam alterius vitæ felicitas poſſidetur.

Additamentum.

PVgnant Peripatetici Duce Ariſtotele contra Stoicos hac in re, de quibus Cic. 3. & 4. de Finibus, & 1. Acad. qq. Certè nugæ ſunt, & quædam deliria, illa Stoicorum Seſquipedalia, quæ de pulcherrimo virtutis comitatu adferunt, quā deſertura non ſit beata vita, nec manſura extra fores carceris, ſi aſcendat in equileū, ſi tormenta, ſi cruciatus, exilia, orbitatem, paupertatem, infamiam, debilitatem, ſeruitutem patiatur. Nam vt inquit Horat. lib. 1. Satyr.

Cum ventum ad verum eſt ſenſus moreſq́ repugnant.

dem monuiſſe videtur Homerus, authore Plutarcho in libro de Homero, exemplo Neſtoris & Vlyſſis, Virtute pares erant, ſed fortuna diſpares; vnde beatus Neſtor, ſed miſer Vlyſſes omnium ore prædicabatur. Neſtori vt habet Homerus lib. 4. Odyſſeæ:

Cum caræ primum matris prodiret ab aluo,
Cuncta dedere Dij, & vitam tribuêre beatam,
Conſilioq́, bonos natos, & fortibus armis ſpectabat.

Vlyſſes verò longis actus erroribus maximos labores ſuſtinuit, grauiſſimas moleſtias pertulit, pericula innumera ſubijt, vt fortunæ luſus videretur.

Thales apud Laertium interroganti,

quis

quis felix eſſet? reſpondit, qui corpore ſanus, fortuna locuples, animo nec improbus nec imperitus. Ariſtoteles lib. 1. Eth. c. 9. loquens de Beato. Sed tamen, inquit, bonis quoque externis egere videtur; nefas eſt enim, aut certè difficile eum, cui nullæ ſuppetunt facultates, res agere præclaras. Permulta enim geruntur veluti inſtrumentis quibuſdam, amicorum opera & diuitijs & potentia ciuili: & quædam res ſunt, quibus ſi careant honores, felicitatis ſplendorem obſcurant atque inquinant, vt nobilitas generis, proſpera liberorum ſoboles, pulchritudo. Neque enim admodum facile eſt ei vitam beatam conſequi, qui inſigniter deformis, aut obſcuro loco natus, aut ſolitarius & orbus ſit. Ac multò minùs etiam fortaſſe ſi cui ſint liberi, omni vitiorum genere cooperti, vel cui amici, qui eſſent viri boni, exceſſerint è vita. Idem lib. 10. cap. 9. Verum opus erit beato etiam proſperitate externa cum ſit homo. Non enim ſuis ipſa bonis Natura contenta eſt ad contemplandum, ſed & corpus valeat & victus, reliquusque vitæ cultus adſit oportet. Et cap. 8. ait ad actiones multa deſiderari, tantoque plura, quanto fuerint maiores & pulchriores. Plura ille paſſim in Ethicis & magnis moralibus. Huc referri poteſt elegantiſſimum Martialis epigramma:

Vitam quæ faciunt beatiorem,
Iucundiſſime Martialis hæc ſunt.
Res non parta labore, ſed relicta,
Non ingratus ager, focus perennis
Lis nunquam, toga rara, mens quieta;
Vires ingenuæ, ſalubre corpus,
Prudens ſimplicitas, pares amici,
Nox non ebria, ſed ſoluta curis,
Non triſtis thorus, attamen pudicus,
Somnus qui faciat breues tenebras,
Quod ſis eſſe velis, nihilq; malis,
Summum nec metuas diem, nec optes.

Sed obijciunt Stoici, cùm nemini contingant omnia bonorum genera, neminem hac ratione fore beatum. Reſpondet Cicero lib. 3. de Finibus. Segetem ſpicis vberibus & plenis eſſe beatam, licet arenam vſpiam videas: mercaturam quæſtuoſam, licet in maximis lucris aliquid damni traxerit. Quippe ex maxima parte de toto iudicandum eſt. Quanquam concedi Stoicis poteſt neminem in hac vita ex omni parte beatum eſſe, quod ij cenſeantur perfectè beati, qui præter virtutem perfectam corporis & fortunæ bona habent omnia, quales nec fuerunt illi nec ſunt, nec facile erunt.

TITVLVS IV.

De Actionibus Humanis in Genere.

CAPVT I.

Quid ſit Actio humana, & quotuplex.

ACTIO humana eſt, quæ vt fiat vel non fiat, poſita eſt in noſtra poteſtate. Seu cuius nos domini ſumus. Talis vt ſit proficiſci à principio libero quod eſt voluntas ipſa libera, debet. Vnde quæ à vegetante vel ſentiente anima ſunt actiones, dici humanæ non poſſunt, quod libero principio deſtituantur. Neque enim impedire vel impellere facultatem expultricem voluntas poteſt. Porro duplex eſt Actio humana, Interna & Externa: illam elicitam, hanc imperatam vocant. Interna eſt, quæ à voluntate tantum nullo alio interueniente procedit. Talis eſt ea, qua aliquid vult aut non vult voluntas. Externa eſt, quæ ad voluntatis imperium à facultatibus voluntati ſubiectis membriſque corporis exercetur. Talis eſt actio illa, qua liberalitas oſtenditur. Internarum actionum duo ſunt genera. Vnum earum quæ circa finem homini propoſitum verſantur. Hæ tres ſunt, Voluntas, Intentio, Fruitio. Alterum eſt earum, quæ circa neceſſaria ad finem obtinendum cernuntur. Hæ ſunt etiam tres, Electio, Conſenſus, Vſus. Externarum actionum tot genera ſunt, quot virtutum partes & officia. Ea enim actio, qua virtus quæpiam voluntatis imperio ſe prodit, externa eſt.

Definitio actionis humanæ.

Diuiſio in internam & externam.

Diuiſio internarum

Diuiſio externarum

Addita-

Additamentum.

ARISTOTELES lib. 3. Eth. c. 1. duas ob cauſas oſtendit Philoſophum Moralem cognoſcere debere, antequam de virtutibus & earum actionibus agat, quid voluntarium, & quid inuoluntarium ſit. Prima eſt, quod actiones laudis aut vituperij capaces non ſint, niſi à voluntate noſtra libera procedant, ſeu ſint voluntariæ. Altera, quod Philoſophus moralis ea docere debeat, quibus legiſlator ad fungendum munere ſuo inſtituatur; inter ea verò hoc potiſſimum eſt, vt ſciat præmia pœnaſque pro ſingulis actionibus iuſtè diſtribuere; quod facere omninò non poteſt, niſi quæ voluntariæ ſint, & quæ inuoluntariæ cognoſcat. Nazianzenus Orat. 31. Bonum, inquit, quod à natura proficiſcitur, laudem non meretur; quod autem à libera voluntate animique inſtituto fluit, id demum laude dignum exiſtimandum eſt. Quæ igni gratia eſt, quod vrit? Vrere enim à natura habet. Quæ aquæ, quod deorſum fertur? Hoc enim à ſummo rerum omnium opifice habet. Quæ niui gratia habenda eſt, quod frigida ſit? aut Soli, quod luceat? Lucebit enim etiam inuitus. Hoc mihi largire, vt quæ recta ſunt velis. Similem locum habet S. Cyrillus, Catacheſi 4. §. de Statu hominis. Igitur neceſſarium eſt ad actionem moralem, vt quis liberè operetur, & cum dominio in actionem ſuam. Idcircò actionem humanam hic definimus eam, quæ vt fiat, aut non fiat, poſita eſt in noſtra poteſtate. Eius principia ſunt Mentis iudicium, Voluntatis libertas, & Electio. Libertas, quæ & liberum Arbitrium vocatur, eſt facultas volendi aut nolendi, ſine coactione aut motu proprio, quod intellectus eligendum aut repudiandum dictat. Origenes lib. 3. Περὶ ἀρχῶν definit eam eſſe facultatē rationis ad bonum malumve diſcernendum, & voluntatis ad vtrumque eligendum. Alij dicunt eſſe vim electiuam, quæ mixta quidem ſit ex intelligentia & appetitu, magis tamen ad appetitum inclinat. Vocatur Arbitrium ratione mentis, quæ agnoſcit & arbitratur indicatque; liberum autem ratione voluntatis, quæ eligit vnum, ſed ita tamen, vt eligere etiam alterum poſſit. Stoici hanc libertatem non agnoſcebant, ſed fatum ponebant, ſeu neceſſitatem, eique Deum & hominis voluntatem ſubijciebant. Ita quidem, vt Deus neceſſario faciat omnia ſecundum Naturæ leges, quas ſibi ipſi præſcripſit: hominis autem voluntas neceſſario morem gerat inclinationibus, temperamentis, ſtellis, ſiue ad bonum ducant, ſiue ad malum trahant. Fatum autem dicebant eſſe neceſſitatem rerum omnium & actionum, quam nulla vis rumpit. Apud Plutarchum lib. 1. de Placitis Philoſophorum, eſt ſeries cauſarum; id eſt ordo & connexio inuiolabilis. Apud Chryſippum, qui princeps erat ſectæ Stoicorum lib. 4. de Prouidentia, fatū & ſempiterna quædam & indeclinabilis ſeries rerum & catena voluens ſemetipſa ſeſe, & implicans per æternos conſequentiæ ordines, è quibus apta connexaque eſt. Seu naturalis quidam ordo rerum omnium ex æterno alijs ad alia conſequentibus, & incommutabili manente eiuſmodi complicatione. Sed hoc Stoicorum fatum, præter Scripturas ſacras, facilè confutat voluntatis & actionum in hominibus libertas, cùm plus in opere non ſit, quam in opifice; præterquam quod abſurdum ſit Deum cauſis ſecundis ſubijcere.

CAPVT II.

Quid ſit, Actionem humanam eſſe liberam, & qiud eſſe moralem?

Diſtinctio triplex. HVmanam aliquam actionem aliud eſt eſſe voluntariā, aliud eſſe moralem. Voluntariam eſſe ſeu ſpontaneam nihil aliud eſt, quam ab humanā voluntate produci. Liberam autem eſſe, eſt ab eadèm voluntate, ſed vt libera eſt proficiſci. Vnde latius voluntarium, quam liberum *Quid ſit actio moralis.* patet. Moralem eſſe eſt in moris ratione conſiderari, nimirum liberam, & vel laudis, vel vituperij, vel meriti capacem.

Eſt igitur Actio Moralis rerum à nobis deliberatarū & certo animi iudicio *Eius prima diuiſio* approbatarum executio, ad bonum vel malum morale determinata. Diuiditur primò in bonam & malam. Bona eſt, quæ cum rectæ rationis regula *2. Diuiſio* congruit. Mala eſt, quæ à rectæ rationis regula diſcrepat. Diuiditur ſecundò in

do in voluntariam & Inuoluntariam. Voluntaria, cuius principium eſt in ipſo agente ſingulas actionis circumſtantias ſciente. Ad hanc neceſſaria eſt voluntas ſeu appetitio boni; deinde conſultatio de ijs, quibus ad finem peruenitur; tum electio ſeu præmeditata eorum, quæ in noſtra ſunt poteſtate, appetitio. Inuoluntaria ſeu inuita eſt, cuius principium non in ipſo eſt, qui agit, ſed aliunde prouenit. Et hæc vel violenta eſt, vel imprudens. Violenta eſt, quæ vi aliqua fit, cum nimirum quædam vrget neceſſitas. Imprudens eſt, quæ ab agente circumſtantiarum quarundam ignaro, culpæ tamen & fraudis vacuo proficiſcitur. Subſequi hanc dolor iolet, & quædam ob admiſſum errorem pœnitentia.

Additamentum.

EX voluntarij notitia hæc dependent. Ariſtoteles lib. 3. Eth. cap. 1. Voluntarium ſeu Spontaneum eſſe ait, cuius principium eſt in Agēte, quod ſcit res ſingulares, in quibus actio conſiſtit; ſeu, ſingulas actionum circumſtantias. Ad actionem itaque voluntariam duo requiruntur. 1. appetitus ſeu voluoias. 2. cognitio, quæ partim ſenſuum, partim rationis. Circumſtantiæ ſunt illæ communes, perſona, locus, tempus, inſtrumentum, modus, &c. Inuoluntarium, eſt ſeu non ſpontaneum, quod fit ab ignorante, quem facti non pœnitet, vt idem Ariſtot. loco ſup. citato, vbi etiam inuitū eſſe, ait, quod fit per vim & ignorantiam cum pœnitentia. Oritur ergò primò à violentia ſimplici, quando principium eſt externum & eiuſmodi, vt nihil conferat is, qui agit aut patitur; vt ſi quis à lictoribus ad carcerem rapiatur; aut ventis reflantibus ad hoſtile littus impellatur. Vel etiam à violentia ſecundum quid, vt Philoſophi loquuntur, quod partim per vim externam, partim per interiorem conſenſum eſt, vt ſi quis vitæ metuens ſuæ nauem exoneret, ſi latroni pecunias exoluat, vt euadat. 2. ab ignorantia, quæ probabilis ſit, & quam pœnitentia ſubſequatur. Alij voluntarium ita definiunt, eſſe id, quod eſt ab intrinſeco principio cognoſcente ſingula, in quibus eſt actus. Inuoluntarium autem, quod eſt ab extrinſeco principio contra internum impetum; vel ex ignorantia antecedente, quæ operis eſt cauſa. Hac de re plura Titulo ſequenti. Quod attinet ad moralitatem actionum humanarum, ea conſiſtit in earum bonitate vel malitia, per quam laudis aut vituperij ſunt capaces.

CAPVT III.

In quo Actionum internarum bonitas conſiſtat

IN ijs omnibus, quæ conuenire ſecundum rectam rationem actionibus debent; nimirum in materia, fine, circumſtantijs. Recta enim ratio id exigere videtur, vt humana actio circa materiam honeſtam verſetur, ad finem honeſtum referatur, cum circumſtantijs honeſtis abſoluatur. Adeò vt ſi in horum trium aliquo turpitudo quæpiam reperiatur, non honeſta & bona, ſed turpis & mala ſit actio.

In materia, fine, circumſtantijs.

Igitur honeſta ſit actionum materia oportet, vt actiones ſint rectæ, & mores ſint honeſti. Neque enim materiæ bonitas in commodo aliquo eſt vel delectatione, ſed in eius honeſtate, cum etiam circa materiam vtilem & iucundam verſari actiones malæ poſſint, non item circa honeſtam. Vnde illud in moribus bonum eſt, quod idem eſt honeſtum & rationi conſentaneum. Honeſtus etiam ſit finis oportet, vt eius in actiones ipſas bonitas deriuetur. Multa quæ genere ſuo nec bona ſunt, nec mala, bonitatem aut malitiam à fine, ad quē ſunt deſtinata, ſortiuntur. Quin imo quæ natura ſua ſunt optima, ſi ad finem honeſtum non adhibeantur, ſola operantis intentione malitiam induunt. Quis neſcit liberalibus diſciplinis operam dare, nec bonum eſſe, nec malum? At verò ſi ad procurandam Diuinæ Maieſtatis gloriam & Reipublicæ vtilitatem id agas, iam ſane bonum eſt: ſi ad alios opprimendos, aut gloriam fortaſſis inanem, malum eſt.

Qualis eſſe materia debeat

Qualis finis.

Deni-

Quales circumſtantiæ. Denique quàm honeſtiſſimæ actionum circumſtantiæ eſſe debent. Hæ enim bonitatem quandam nouam actionibus quandoque adferunt; quandoque etiam eam, quæ à materia vel fine eſt, augent. Bonum eſt liberalem pauperi manum porrigere, melius miniſtro religionis in egeſtate conſtituto. Hic enim liberalitati ſociam ſe pietas præbet, & bonitas geminatur. Cole Deum, bene agis; adde magnum animi conatum & feruorem, melius profectò facis.

Additamentum.

INprimis in conuenientia cum recta ratione; deinde in materia, fine, circumſtantijs. Ariſtoteles lib.2. Eth. cap. 4. Ex perturbationibus nec boni, nec mali dicimur; ex virtutibus autem aut vitijs dicimur. Deinde quoniam perturbationes nobis nec laudi dantur, nec vitio. Neque enim qui timet laudatur, neque qui iraſcitur; neque qui ſimpliciter iraſcitur, vituperatur, ſed qui certo modo. Idem lib. 7. Eth. cap.6. Quoniam autem cupiditatum & voluptatum aliæ ſunt genere honeſtæ & bonæ, in his omnibus, cæteriſque eiuſdem generis & medijs, non quod afficiantur & cupiant & ament honores, vituperantur, ſed quod hoc modo cupiant, vel ament, & quod modum ſuperent. Nimirum, quia ſecus ac monet ratio, agunt. Idem lib. 3. cap. 2. agens de circumſtantijs. Sunt ergò hæ, inquit, quis & quid agat, & in qua re verſetur aut inſit actio. Interdū verò & quo veluti inſtrumento, & cuius rei causâ, verbi gratia, ſalutis; & quomodo, vt leuiter an vehementer. Hæc igitur omnia non ignorauerit, ſi modò non inſaniat. Porro diſtinguenda eſt bonitas naturalis & moralis actionum. Illa conſiſtit in integritate ſeu aggregatione eorum omnium, quæ naturaliter requiruntur, vt actio fiat. Hæc in integritate ſeu aggregatione eorum omnium, quæ actioni conueniunt ſecundum rectam rationem, vt Scotus definit. Quo ſenſu Dionyſius Areopagita cap. 4. de Diuinis Nominibus ait, Bonum eſſe ex integra cauſa; malum autem ex quouis defectu. D. Thomas 1.2. q. 18. art. 1. Bonitatem actus nihil aliud eſſe dicit, quàm plenitudinem eſſendi ipſius actus; quam Scotus, vt ſupradictum, vocat integritatem ſeu aggregationem eorum omnium, quæ requiruntur in actu, vt ſunt materia honeſta, finis honeſtus, circumſtantiæ honeſtæ. Bonitas materiæ non eſt in eius vtilitate vel iucunditate, ſed in honeſtate: adeo vt apud Philoſophos Morales & Theologos idem ſit Bonum Morale, & Bonum honeſtum. Finis hic remotus & extrinſecus intelligitur, à quo bonitas ſeu honeſtas moralis ad materiam in aliqua ſpecie virtutis deriuatur. Circumſtantiæ etiam honeſtæ augent bonitatem actionis in eadem ſpecie virtutis; quod augmentum conſiſtit in quadam extenſione actionis internæ ad plures materias honeſtas, quas vult & appetit voluntas. Interdum tamen bonitatem actionis in eadem ſpecie virtutis augent; & nonnunquam nouam cum ipſa materiæ bonitate conſtituunt.

Quæres 1. An actio interna, vt bona ſit, debeat eſſe conformis legi & rectæ rationi? Reſpondeo, Id certiſſimum eſſe apud Theologos & Philoſophos. Nam, vt illi aiunt, regula remota actionum humanarum eſt lex æterna, quæ actionem fieri præcipit, aut ſi præcepta non ſit, eius modum, ſi fiat, præſcribit. Prima autem regula eſt recta ratio, à qua dirigi voluntas debet, cùm cæca ſit, ſicut loquūtur Theologi, vt quid ſit aut non ſit conſentaneum legi æternæ poſſit cognoſcere, interque bonum & malum, honeſtum & turpe diſcernere.

Quæres 2. An actio interna conformis eſſe debeat conſcientiæ? Reſpondeo, In primis, Conſcientiam ſumi pro duplici intellectus actu, quorum vnus opus faciendum præcedit, alter opus iam factum ſequitur. Prior actus eſt iudicium intellectus, quo ille opus aliquod faciendum eſſe iudicat, quia honeſtum eſt, & præceptum; aut non faciendum, quia turpe & prohibitum. Hoc iudicium obligat & inſtigat voluntatem, vt id aggrediatur & perficiat, quod eſt honeſtum & à lege præceptum. Poſterior actus eſt iudicium, quo intellectus iudicat opus aliquod bene aut male factum, cùm iam eſt factum. Ad hunc actum pertinet teſtificari de opere, & ſi bonum ſit, laudare & conſolari; ſi malum, accuſare & reprehendere. Ideò D. Paulus Epiſt. ad Rom. c. 1. Teſtimonium, inquit, reddente illis conſcientiâ ipſorum. Et c.9. Teſtimonium mihi perhibente conſcientiâ meâ. Igitur vt actio voluntatis ſit bona, debet eſſe conformis priori actui conſcientiæ, cùm proxima regula voluntatis ad agendum ſit iudiciū conſcientiæ ſeu rationis. Tunc autem cōſcientia idonea dicitur, cùm in ſuo iudicio

cio errat intellectus, aliquid honeſtum aut turpe iudicans, quod tale non eſt; vel præceptum aut prohibitum, quod etiam non eſt. Sed hac de re legendi ſunt Theologi. Cæterùm cùm de conſcientia multa ſint in Scripturis Saeris, tum plurima notatu digniſsima nobis authores alij ſuppeditant. Diuus Bernardus, Quid dulcius, inquit, aut quietius bonâ conſcientiâ, quæ nec damna, nec verborum contumelias, nec aliud quicquam formidat? Idem, Conſcientia bona afficit gaudio viuentem, ſolatur morientem, æternùm durat. Auguſtin. in Epiſt. ad Conſt. Duo ſunt tibi neceſſaria, Conſcientia & Fama; conſcientia propter Deum, fama propter proximum. Gregor. Hom. 9. ſup. Ezechiëlem: In omni, quod dicitur, ſemper tacitè recurrere debemus ad mentem, & interiorem teſtem ac Iudicem requirere. Quid enim prodeſt, ſi omnes te laudent, & conſcientia te accuſet? aut poterit obeſſe, ſi omnes derogent, & ſola conſcientia te defendat?

Ouid. 1. Faſt.

Conſcia mens vt cuiq; ſua eſt, ita concipit intra Pectora pro facto ſpemq; metumq; ſuo.

Auſonius in Monoſtichis:

Quænam ſumma boni? mens quæ ſibi conſcia recti.

Nam, vt Ouidius 4. Faſtorum,

Conſcia mens recti famæ mendacia ridet.

Seneca Epiſt. 97. Prima & maxima peccantium eſt pæna, peccaſſe: nec ullum ſcelus, licet illud exornet fortuna muneribus ſuis, licet tueatur ac vindicet, impunitum eſt; quoniam ſceleris in ſcelere ſupplicium eſt. Idem Epiſt. 105. Securitatis magna portio eſt, nihil iniqui facere: confuſam vitam & perturbatam impotentes agunt; tantum metuunt, quantum nocent. Bias interroganti cuidam, Quidnam in hâc vitâ metu careret? Bona, inquit, conſcientia. Stobæus ſerm. 24. Et Periander quærenti alicui, Quid eſſet libertas? reſpondit, Recta conſcientia. Iſocrates ad Demonicum: Numquam ſperes, ſi quid turpe feceris, te latere poſſe; quamuis enim lateas alios, tutè tibi conſcius eris. Pythagoras, vt eſt apud Stobæum, Vir iniuſtus, inquiebat, plus mali patitur afflictus conſcientiâ, quàm ille, qui in corpore caſtigatur, & flagris cæditur. Tacitus id oſtendit libro 6. Annal. referens Epiſt. Tiberij ad Senatum, quam his verbis ille ordiebatur, Quid ſcribam vobis, P. C. aut quomodo ſcribam, aut quid omninò non ſcribam hoc tempore? Dij me Deæque peius perdant, quàm me perire ſentio, ſi ſcio. Adeò flagitia, inquit Tacitus, atque facinora ſua ipſi quoque in ſupplicium verterant. Neque fruſtra præſtantiſſimus ſapientia affirmare ſolitus eſt, ſi recludantur Tyrannorum mentes poſſe aſpici laniatus & ictus. quando vt corpora verberibus, ita ſæuitiâ, libidine, malis conſultis animus dilaceratur. Quippè Tiberium non fortuna, non ſolitudines protegebant, quin tormenta pectoris ſuaſque pænas ipſe fateretur. Similia videre licet apud Macrobium lib. de Somno Scipionis cap. 10. apud Cic. pro Milone, pro Sextio, lib. 6. & 7. Epiſt. Famil. apud Plutarch. De animi tranquillitate, apud Iuuenalem Satyr. 3. Verè Horatius lib. 1. Epiſt. 1.

—— Hic murus aheneus eſto,
Nil conſcire ſibi, nulla paleſcere culpa.

CAPVT IV.

In quo Actionum internarum malitia conſiſtat.

HVmanarum actionum malitia quidam eſt honeſtatis defectus, vel eius, quæ in actionibus eſſe deberet, rectitudinis carentia. Oritur itidem à materia, fine, circumſtantijs. Vnde quæcumque circa materiam inhoneſtam actio verſatur, aut ad finem, in quo turpitudo eſt, refertur, vel circumſtantias non rectas habet & fœdas, mala eſt. Adeóque etiam in moribus id malum eſt, quod inhoneſtum eſt, nec rectæ rationi conſentaneum. Quippè omnis malitia poſita eſt in inhoneſtate. Neque idcircò bona actio quæpiam eſt, quia præcipitur à lege; aut mala, quia prohibetur: lex enim poſterius quid eſt, & ideò tantùm præcipit aliquid, quia bonum eſt; prohibet, quia malum. *Etiam in materia, fine & circumſtantijs.*

An ipſa actio aliqua bona ſimul & mala poſſit? Nequaquam videtur, neque enim eſſe aliquid laude ſimul & vituperio, pœnâ & præmio dignum poteſt. Sit materia, vt eſſe poteſt, honeſta, circumſtantiæ ſi inhoneſtæ ſint, tota eſt inhoneſta & mala actio. Vt bonum quippiam ſit, deeſſe honeſtatis nihil debet, nihil turpitudinis adeſſe. Honeſtæ actionis materia ſi non ſit, *Quæſtiuncula 1.*

quanquam ad finem optimum referas, quicquid agis, nihil ab eiuſmodi fine eſt, quod ſit bonum. Mentiri, vt Deum colas, ſcelus eſt; furari, vt pauperem iuues, flagitium eſt. Pari modo actionem ex materia bonam turpis finis totam defœdat. Honeſtas enim ibi eſſe nulla poteſt, vbi turpitudo aliqua eſt.

An ſaltem actio, quæ bona fuit, poſtea eſſe mala, & contrà, poſſit? Neque id videtur. Quod enim honeſtum eſt, fieri turpe nunquam poteſt, idem ſi maneat; & quod turpe eſt honeſti nunquam induit naturam. Bonitas rebus ineſt quibuſdam à natura, quibuſdam etiam malitia; tolli omninò, aut commutari non poſſunt. Aliud eſto de materia illa iudicium, quæ ex natura ſua nec bona eſt, nec mala.

Hæc verò accuratius Theologi examinant & diſcutiunt.

Additamentum.

IN defectu perfectionis & rectitudinis, quam homo ſeruare debet, operando ex præſcripto legis. Hoc ſenſu dixit Dionyſius Areopagita c. 4. De diuin. Nomin. Relinquetur ergò, malum priuationem boni eſſe. Et Auguſt. in Enchiridio c. 11. Quid aliud eſt malum, quam priuatio boni? Hæc autem priuatio honeſtatis eſt. Nec malitia actionum à materia tantùm, ſed etiam à fine & circumſtantijs dependet, vt hîc oſtendimus, ſpeciemque ſortitur ex honeſtate virtutis, cui opponitur. Actio verò, quæ propter materiam eſt mala, nouam malitiam à fine malo accipit. Hinc Ariſtoteles 5. Eth. cap. 2. Qui furatur propter adulterium, magis adulter eſt, quàm fur. Non poteſt etiam actio per ſe mala bonitatem à fine bono accipere. Vnde Auguſt. lib. contra Mendacium. Intereſt quidem plurimùm, inquit, quâ causâ, quo fine, quâ intentione quid fiat; ſed ea, quæ conſtat eſſe peccata, nullo bonæ cauſæ obtentu, nullo quaſi bono fine, nullâ velut bonâ intentione, facienda ſunt. Et ibidem: Si propterea iuſta ſunt mendacia, quia hoc animo fiunt, vt occulti Hæretici detegantur, poterunt iſto modo, ſi eodem animo fiant, caſta eſſe adulteria. Valet hic illud D. Pauli ad Rom. cap. 3. Non ſunt facienda mala, vt eueniant bona.

TITVLVS V.

De Actionibus humanis internis.

CAPVT I.

De Voluntate.

ACTIONVM internarum prima eſt Voluntas; non ea animæ noſtræ facultas; ſed actio, quâ aliqua ipſa cupit, & deſiderat. Eſt enim boni veri vel apparentis cum ratione appetitio. Fertur ea ac tendit primò in finem ſibi propoſitum. Cùm enim nihil aggredi, nec quicquam ad finem obtinendum eligere poſſit, niſi finem inprimis deſideret, hunc vt ſumma cum libertate concupiſcat, neceſſe eſt.

Pronunciata generalia de Voluntate.

Varia pronunciata.

VOluntas alicuius talis eſſe præſumitur, qualis eſſe debet.

Sublatâ voluntate neque mala, neque bona eſt actio.

Non ſatis eſt bene velle, niſi ſtudeas bene facere.

Mala voluntas ſufficit ad peccatum, non ad pœnam Iuris. Excipe perduellionis delictum.

Voluntas cum aliqua actione ſpectari in maleficijs debet, non exitus.

Voluntas eſt bona, quæ recto ordine ad debitum fertur finem.

Aliquando bonâ voluntate vult homo, quod non vult Deus,

Coacta

Coacta voluntas eſt etiam voluntas.
Voluntas ſola non ſufficit, vbi factum requiritur.
Voluntas vltima pro lege ſeruatur.
Voluntas quandoque eſt pro ratione.
Voluntas hominis vitij vel vertutis eſt cauſa.
Deus non ea quæ offeruntur, ſed voluntatem reſpicis offerentis.
Voluntatem alteri ſubijcere propter Deum præcipuum eſt ſacrificium.
Bonum opus non valet, niſi ex bona voluntate proficiſcatur.
Lex humana opus, non voluntatem requirit.
Voluntas pro opere reputatur, cùm deeſt facultat.
Quæ inferuntur reluctantibus crimen non habent.
Volens intelligitur, qui conſentit expreſsè, vel tacitè nihil opponit.
Voluntas potiùs, quam verba, ſpectari placuit in contrahentium conuentionibus.
Voluntas & propoſitum facientis maleficia diſtinguunt.
Voluntas vſque ad mortem ambulatoria eſt, id eſt mutabilis.
Voluntate fieri non videtur, quod ignoratur.
Nemo tenetur ad culpam, niſi propriâ voluntate deflexerit.
Mala voluntas pro facto reputatur.
Voluntarium eſt, quod neque per vim, neque per ignorantiam fit.
Nihil peccatum eſt, niſi quod voluntarium eſt.

Additamentum.

VOLVNTATEM, vt eſt interna actio, alij volitionem appellant, ſen boni appetitionem, idque cum ſummâ libertate. Hoc bonum vel verum & ſolidum, vel apparens & fucatum tantum eſt. Nam voluntas non aliter circa bonum ſpecie virtutis, quàm intellectus circa verum ſpecie veritatis falli poteſt & vacillare. Et vt ſanis beneque affectis ſalutaria videntur ea, quæ reverà ſunt eiuſmodi, ægrotis autem omnia contraria; ita voluntati benè conſtitutæ veriſſima bona, deprauatæ peſſima optimorum ſpecie obijciuntur. Pythagoriei objectum voluntatis ponebant ſolum bonum apparens, Stoici ſolum perfectum bonum; Peripatetici, tam bonum quàm malum, ſed ſub ſpecie boni. Dixi cum ſummâ libertate. Quia, ut ait Guiliel. Pariſienſis lib. De virtutibus c. 9. Impoſſibile eſt voluntatem velle aliquid inuitam, hoc eſt nolentem velle illud. Id fuſè ibidem declarat. Et S. Anſelmus lib. De lib. arb. cap. 5. Ligari homo poteſt, & inuitus, quia nolens; poteſt torqueri quia nolens, poteſt occidi. Velle autem non poteſt inuitus quia non poteſt velle, nolens velle; nam omnis volens ipſum ſuum velle vult. D. Bernard. tract. De grat. & lib. arb. Nemo aut non vult, quod vult, aut vult, quod non vult. Auguſt. lib. 5. De Ciuit. cap. 10. Velle, ſi volumus, eſt; ſi nolumus, non eſt; non enim vellemus, ſi nolemus.

CAPVT II.

An voluntatis libertas per metum, item per vim impediatur.

CVm grauis eſt metus libertatem voluntatis quodammodò impedit, non item exiguus: cogere enim ille videtur, non hic. In naufragij periculo cùm facienda eſt aut vitæ, aut mercium iactura, qui merces in mare abijcit, vt vitam conſeruet, ſpontè voluntarieque, etſi coacte, facit. Maius enim bonum eligit; & quanquam quodammodò cogatur, liber eſt tamen. Quin imò tunc voluntatis libertas eſt maior, cùm grauiſſimæ vtrimque cauſæ voluntatem impellunt. *Graui metu impeditur.*

Per violentiam voluntatis libertas etiam impeditur. Vis enim cogit, nec integra libertas eſt, vbi violentia eſt. Hoc impedimentum actionibus externis, quæ ſenſuum aut membrorum miniſterio exercentur, non item internis obijcitur. Neque enim efficere vis vlla poteſt, quò minùs aliquid velit ac concupiſcat voluntas, poteſt verò, quò minùs manibus aut membris alijs aliquid agat. Ne quis loquatur cogi poteſt, vt loqui non velit, nō poteſt. *Item violentia.*

Pronunciata de Metu.

Varia de metu pronunciata.

Metus eſt vis conditionata.

Metus eſt inſtantis periculi mentis trepidatio.

Metus leuis eſt, cùm quis leue malum, vel leues timet minas.

Metus grauis eſt, qui in conſtantem virum, aut mulierem cadit.

Sola mariti reuerentia iuſtum metum non adfert.

Grauia incommoda iuſtum adferunt metum, cùm deeſt remedium prouidendi.

Metus iuſtus minuit peccatum.

Contractus qui requirit voluntatem liberam, ſi metu fiat, ipſo iure eſt nullus.

Metus & coactio matrimonij conſenſum excludunt.

Qui ſolo timore ſeruit Deo pœnam euadet, ſed præmium non accipiet.

Auctoritas tutorum extorta per metum eſt nulla.

Qui metu iurat non obligatur; ſi animo ſe obligandi non iurauit.

Metus probabiliter leuis non reſcindit actum.

Metus vanus reſtitutionem non inducit.

Propter metum factâ reſignatione etiam per iuramentum fieri repetitio poteſt.

Metus religionis ingreſſum impedit, niſi poſtea conſenſus adſit.

Pronunciata de Vi.

Varia de Vi pronunciata.

Vis eſt coactio, quâ id facere quiſpiam cogitur, quod non vult.

Vis eſt impetus maioris rei, cui reſiſti non poteſt.

Vis publica eſt, quæ fit omni eo, nocere quod poteſt.

Vim vi repellere licet cum moderamine inculpatæ tutelæ.

Inculpata tutela eſt, cùm id quiſpiam facit, ſine quo defendere ſe non poteſt, & periculum euadere.

Violentia eſt legibus inimica.

Violentia abſoluta excuſat à toto.

Violentia conditionalis excuſat à tanto, ſed non à toto.

Additamentum.

IMpediri aliquo modo, non omninò tamen, nec tolli docemus. Ariſt. lib. 3. Eth. cap. 1. mouet hanc quæſtionem his verbis. Quæcunque verò maiorum malorum metu, vel honeſti alicuius cauſa aguntur (v.g. ſi quis tyrannus alius in manu parentum ac liberorum vita poſita ſit, alicui, vt turpe quippiam faciat, imperet, ita vt illi, ſi agat, ſalui ſint; ſi non agat, moriantur) vtrùm hæc ſpontè an inuitè fiant, ambigi poteſt. Eademque de iacturis quæ tempeſtate in mari coacta fieri ſolent, controuerſia eſſe poteſt. Simpliciter enim & abſolutè nemo ſuâ ſponte rerum ſuarum iacturam facit, ſed ſuæ ac cæterorum ſalutis cauſa omnes faciunt, ſi modò ſanæ mentis ſunt. Mixtæ igitur ſunt tales actiones. Sed tamen eis, quæ ſpontè aguntur, ſimilares eſſe videntur. Sunt enim optabiles, & eligendæ tum cùm aguntur. Actionis autem finis ſecundùm oportunitatem temporis eſt. Iam verò in talibus actionibus homines interdum laudibus efferuntur, cum magnarum & honeſtarum rerum causâ turpitudinẽ aut moleſtiam aliquam ſubierint ac pertulerint; quod ſi aliter faciant vituperantur. Nam res turpiſſimas nullius honeſtæ rei aut mediocris

diocris gratia ſufferre, improbi hominis eſt. Sunt deinde, quædam alia propter quæ laus quidem nulla tribuitur, ſed venia datur duntaxat, cum ea quis egerit, quæ non ſint agenda, ijs rebus compulſus, quæ humanam naturam ſuperant, quaſque nemo perferre queat. Sunt autem fortaſſe nonnulla, eiuſmodi, vt nullâ vi aut neceſſitate coacti ea agere debeamus; potiuſque nobis mors ſit oppetenda grauiſſimique cruciatus perferendi. Hactenus Ariſtoteles. Metus autem, de quo hic, debet eſſe metus cadens in conſtantem virum; ſiue metus iuſtus, aut probabilis, vel non vani hominis, vt paſſim juriſconſulti loquuntur, eo nimirum quod ſit grauis mali & prudenter ſuſceptus. Quod tum demùm cenſetur accidere, cùm notabile incommodum ingruens, veriſimile imminet à viro potente & ſolito minas excedere. Quare metum cadere in cònſtantem virum eſt metum illum hominem ita mouere ac percellere, vt enim, etſi conſtantē & fortem, concutiat & de propoſito dimoueat. Eiuſmodi autem actionem ex metu profectam eſſe voluntariam ſimpliciter tradit Paulus I.C. I, Si mulier ff. de eo quod metus cauſa. Et ex eo patet, quod in eam cadat deſiuſtio volontarij. Ita etiam docet Epictetus apud Arianum lib.1.c. 17. Et optimè Simplicius in c.1. Enchiridij. Dicat, aliquis, inquit, nónne ſæpè à tyrannis aut noſtris affectibus amore atque odio coacti, alia atque alia ſuſcipimus aut admittimus, non volentes? Quo pacto ergò tum poteſtas noſtra atque libertas noſtra cernetur? Reſpondeo, tum etiam delectum ſui juris eſſe. Quamuis enim principaliter id optabile non ſit, ad quod neceſſitate ferimur, tamen deteriori collatum, optabile videtur, itaque amplectimur. Neque fieri poteſt, quicquam vt agas, niſi priùs aſſenſus ſis te facturum eſſe. Nam qui non conſulto aliquid facere videtur, vt qui nolens in foueam incidit impulſus ab alio, is inanimæ rei inſtar facit, ac pati, quàm agere, verius dicitur. Quare licet inuiti agamus, tamen ſic agere volumus. Proinde, eâdem neceſſitate propoſita, alij majoris mali metu, id ſuſcipiunt quod imperatur, alij non ſuſcipiunt, quod maius malum exiſtiment id facere quod iubentur, quam pœnas contumacibus propoſitas ſubire. Sic in ijs etiam, qui inuiti aliquid agere videntur, poteſtas & libertas noſtra manet. Hactenus Simplicius. Aduertendum hic Tyrannorum preces pro graui metu cenſeri, quia neceſſitatem inferunt. Id agnoſcit Plato Epiſt. 7. quæ eſt ad Dionis propinquos, cùm ait Tyrannorum precibus, vt eſt in prouerbio, admiſceri neceſſitatem. Nempè ob metum inſtantis damni, niſi potentis voluntati fiat ſatis. Similiter Laberius, vt eſt apud Macrobium 2. Saturnal. cap. 7. à Cæſare rogatus in ſcenam prodire, homo ſenex & equeſtris ordinis iniectam ſibi eâ ſupplicatione neceſſitatem prodiens excuſat. Nimirum vt Publius Mimus ſcitè dixit, Cogit rogando qui rogat potentior. Et Auſonius in Præfat. ad Cent. Potentiſſimum imperandi genus ait, cùm rogat, qui iubere poteſt. Idem à Theodoſio ad edenda carmina ſua rogatus ita præfatur:

> *Scribere me Auguſtus iubet, & mea carmina poſcit,*
> *Penè rogans, blando vis latet imperio.*

Quod attinet ad violentiam, ea etiam voluntatis libertatem, impedit, non tollit. Hinc Epictetus apud Arianum lib. 1. c. 1. Vi crura vinculis aſtringas, arbitrium tamen nihilominus meum erit, quod ne Iupiter quidem vincere poteſt.

CAPVT III.

An Voluntatis libertas per ignorantiam & concupiſcentiam impediatur.

Triplex eſt ignorantia.

IGnorantia conſiderari triplex hic poteſt. Aut enim actionem antecedit, aut cum ea eſt, aut ſequitur. Antecedit, cum quiſquam quæ nec ſcire poterat, nec debebat, ignorat; & ſic vult, quod, nollet ſi ignarus non eſſet. Hæc ignorantia cùm actionis aut futuri operis cognitionem deliberationemque tollat, libertatem aliquando impedit minuitque. Vt enim verè voluntarij non ſimus, efficit. Hæc quandoque tamen nec minuit, nec impedit: vim enim nullam adfert, & adhuc non agere quis poteſt. Cum actione eſt, cum quiſpiam, quod agitur, ignorat, quod equidem fieret, ſi ignorantia abeſſet. Hæc voluntatis libertatem non tollit; cum tamen *ignoti nulla cupido* ſit, id efficit, vt verè quis non velit. Sequitur tunc, cùm ignorare homo aliquid vult, vt actionem malam ac non honeſtam excuſet. Et

Antecedēs aliquando impedit aliquando non.

Quæ cum actione eſt non tollit.

Nec quæ ſequitur.

hæc vel affectata eſt, cùm ignorare quis ſe fingit; vel voluntaria, cùm quæ ſcire poteſt ac debet, ſcire omninò non vult. Libertatem neutra tollit. Iterum

Alia diuiſio ignorantiæ.

ignorantia alia Iuris eſt, alia facti. Ignorantia Iuris eſt, cùm quis ius aliquod ignorat; ſeu naturale ſit, quod ſcire homines omnes debent; ſeu poſitiuum, cùm latam à Magiſtratu Ciuili legẽm quiſpiam neſcit. Ignorantia facti eſt, cùm quis factum aliquod vel proprium vel alienum ignorat. Attendi hic circumſtantiæ debent. Primò perſonarum; ignorare enim perſonam quis poteſt, cum qua ſibi negotium eſt. Sic Iſaac primogenituræ benedictionem Iacobo contulit, Iacob cum Lea, quam Rachelem exiſtimabat, concubuit. Errorem perſonæ Iuriſconſulti vocant. Secundò rerum, circa quas verſamur. Ita Ceres, vt Poetæ fabulantur, à Tantalo inuitata, cùm inſcia eſſet, carnem humanam comedit. Tertiò verborum; vt ſi quis per imprudentiam inter loquendum verba quædam proferat, quæ proferre nequaquam in animo habebat. Quartò inſtrumenti, loci, modi, temporis. Ignorantia inſtrumenti eſt, cùm quis errore inſtrumenti inductus peccat; vt ſi quis ſclopo alium tranſuerberet, eum oneratum fuiſſe ignorans. Idem dici de alijs circumſtantijs poteſt. Poteſt & eſſe ignorantia finis, & vſus rei. Sic Noë dum vt experiatur vinum bibit, ebrius eſt factus. Omnis eiuſmodi ignorantia libertatem minuit voluntatis, & aliquando à delicto excuſat, aliquando non item.

Concupiſcentia iuuat voluntatem, ſed minuit libertatem.

Quod attinet ad concupiſcentiam, ea cùm ad aliquid agendum alliciat, vt voluntarij magis ſimus, facit, atque ita non impedit, ſed iuuat voluntatem. Eius tamen minuit libertatem, dum in vnam, quam in aliam partem, amplius trahit & detorquet, rationiſque iudicium perturbat.

Additamentum.

ARiſtoteles 3. Eth. cap. 1. Quod ob ignorantiam fit, non ſpontaneum quidem omne eſt, ſed inuitum, id eſt, quod vel dolorem, vel pænitentiam adfert. Qui enim cùm ex ignoratione quippiam egerit, factum minimè ægrè fert, is ſanè neque ſponte egit, quod ignorauit, neque inuitus, cùm non doleat. Ex ijs igitur, qui ex ignoratione agunt, quem facti pœnitet, feciſſe inuitus videtur; quem non pœnitet, quia tamen diuerſus eſt, non ſponte egiſſe dicetur. Nam quia differt, meliùs eſt, vt nomen quoque proprium habeat. Diuerſum quoque eſt, ex ignoratione & ignorantem agere. Qui enim vel ebrius eſt vel iratus, non videtur ex ignoratione agere, ſed ob aliud quippiam ex ijs, quæ dicta ſunt; quippè cùm non ſciens, ſed ignorans agit. Plura ille ibidem, quibus quæ de ignorantiâ accommodatè ad vſum moralem tractari ſolent, luculenter complectitur.

Quod attinet ad actum, qui à concupiſcentiâ proficiſcitur, is ſimpliciter eſt voluntarius. Hinc Ariſtoteles lib. 3. Eth. cap. 1. Si quiſpiam, inquit, & iucunda & moleſta eſſe violenta dixerit idcircò, quod extrinſecus ſint, & nos cogant, is efficiet, vt eâ ratione omnia ſibi eſſe violenta vnuſquiſque putet; quippè cum horum cauſâ omnia omnes agant, alij violenter & inuiti ob moleſtum, alij ob iucundum cum voluptate. Sed ridiculum ſanè eſt, in externa potiùs cauſam referre, quàm in ſeipſum, quod huiuſmodi rebus facilè capiatur; & honeſta ſibi, turpia iucundis adſcribere. Eadem & fuſiùs habet lib. 2. ad Eudemum cap. 9. Nihilominùs tamen concupiſcentia ob impulſum & amicam vim, quam voluntati ex ſe fragili & infirmæ infert, minuit alio modo voluntarium; obtenebrat enim intellectum, & hebetat. Hinc etiam oritur, quod Ariſtoteles lib. 7. Eth. cap. 4. notauit, vt peccatum eò minus ac leuius ſit, quò vehementior fuit cupiditas, quæ ad illud propulit. Nimirum vt rectè cenſuit Philo lib. de Specialibus legibus dimidiatum videtur facinus, cui non acceſſit longa deliberatio. Hanc verò inhibet concupiſcentia, quæ ſuauitatem obiecti importunè & acriter ingerit, turpitudinem autem obſcurat. Ex eâ causâ minùs plectuntur quæ ob doloris vel iræ impetum admittuntur, ac ſæpè etiam multa abeunt, miſerante judice conditionem animi dolore iuſto vel irâ agitati. Propterea M. Pompilius Prætor neque damnare neque abſoluere voluit mulierem, quæ matrem fuſte percuſſerat, dolore necatorum liberorum, quos

a uia

auia filiæ infenſa peremerat, vt refert Valerius lib. 8. cap. 1. Eodem modo cùm quædam materfamilias Smyrnæa virum & filium interemiſſet, quia iuuenem optimæ indolis, quem ex priore marito enixa fuerat, occiderant, P. Dolabella Aſiæ Proconſul condemnare eam noluit, ſed cauſam Athenas ad Areopagitarum cognitionem relegauit. Illi inſpectâ causâ accuſatorem & ream poſt centum annos adeſſe iuſſerunt; eodem affectu moti, quo Dolabella, qui nec liberare cædibus duabus contaminatam, nec punire iuſto dolore impulſam ſuſtinebat. Ibidem Valerius. Par autem ratio eſt, ſeruatâ proportione de concupiſcentiâ & incenſo affectu cupiditatis.

CAPVT IV.

An cogi hominis voluntas poſſit.

QVid ille mundi Arbiter Deus poſſit, non inquiro. Eſto ad bonum aliquod eligendum me cogat; certè illud ſi velim, non cogit; ad id enim, quod quiſpiam vult, nequaquam cogitur. Si nolim, etſi compellat, mea me libertate tueor, dum recuſo. Magna tamen eius vis eſt, & quædam quaſi neceſſitas, dum aut rationem illuſtrat, vt hoc velim, aut auxilium neceſſarium negat, vt iſtud nolim. *Cogere Deus non poteſt, ſed inflectere.*

De humana vi ſi agamus, cogi omninò voluntas non poteſt. Libertatis hoc priuilegium eſt, vt dicere vnuſquiſque poſſit, volo velle, volo nolle. Nullus vmquam extitit Tyrannus, qui hominum voluntates cogere potuerit. Hinc illa Sapientum axiomata. *Cogere homo nullo modo poteſt.*

Theologorum. *Fides ſuaderi poteſt, cogi non poteſt.* *Varia axiomata.*

Senecæ. *Voluntas non poteſt cogi in Sapiente. Vre, cæde, ſeca, non prodam, minus in ſcelera ruam.*

Lipſij. *Nulla vis externa me coget, vt ſentiam, quæ non ſentiam.*

Thuani. *Alterius voluntati nemo dominatur.*

Vt omnia verbo vno quaſi dicam, ecce virum verè liberum & conſtantem ex Horatio propono.

Iuſtum & tenacem propoſiti virum,
Non ciuium ardor praua iubentium,
Non vultus inſtantis tyranni
Mente quatit ſolida; neque Auſter
Dux inquieti turbidus Adriæ,
Nec fulminantis magna Iouis manus.
Si fractus illabatur orbis
Impauidum ferient ruinæ.

Maſcula fuit vox illa Calani Indi ad Alexandrum Magnum. *Corpora de loco in locum transferes, lapidibus citius vocem exprimes, quàm ad ea, quæ nolumus, nos cogas. Non vixit, non viuit, non viuet Rex aut Imperator, qui ea nos facere adigat, quæ animus non decreuit.* D. Auguſtinus, *Tam abſurdum eſt*, inquit, *voluntatem cogi, ac ſi calidum eſſet abſque calore.* Certè nullo neceſſitatis vinculo conſtringitur voluntas. Cæterùm etſi cogi voluntas non poſſit, moueri tamen, flecti, impelli poteſt; cùm aut ſpes præmij, laudis, honoris, proponitur; aut delicti grauitas oſtenditur, aut pœna infamiæque nota ob oculos ponitur. *Duo enim*, inquit Plutarchus, *elementa ſunt virtutis, ſpes honoris, & pœna metus; quorum illa incitatiores ad pulcherrima ſtudia, hic ſegniores ad vitia reddit.* *Flecti ſpe vel metu voluntas poteſt.*

Additamentum.

PRudentius in Hamartigeniâ, contra Oſores libertatis:

Neſcis, ſtulte, tua vim libertatis ab ipſo
Formatore datam? neſciſq́; ab origine, quanta
Sit conceſſa tibi famulo ſuper orbe poteſtas,
Et ſuper ingenio proprio, laxeq́; ſoluto

Iure poteſtatis, liceat cui velle ſequiq́;
Quod placitum , nulliq́; animum ſubiungere vinclo?
An cùm te Dominum, cunctis quæcunq; crearat
Præficeret, mundumq́; tuis ſeruire iuberet
Imperijs, cumq́; arua, polum , mare , flumina, ventos
Dedcret, arbitrium de te tibi credere auarus
Nollet vt indigno , libertatemq́; negaret ?
Quale erat, electus magni rex orbis vt eſſet,
Non rex ipſe ſui , curto fœdatus honore ?
Nam quis honos Domini eſt cuius mens libera non eſt
Vna , ſed impoſitæ ſeruit ſententia legi.

Et paulò poſt.

Vade, ait ipſe parens opifexq́; & conditor Adæ,
Vade homo, & afflatu noſtri prænobilis oris,
Inſubiecte, potens, rerum arbiter, arbiter idem
Et iudex mentis propriæ, mihi ſubdere ſoli
Sponte tuâ, quo ſit ſubiectio, & ipſa ſoluto
Libera iudicio: non cogo, nec exigo per vim,
Sed moneo iniuſtum fugias , iuſtumq́; ſequaris.

Luculenter etiam D. Ambroſius lib. 2. de Iacob. c. 3. *Qui voluntatis ſuæ arbiter eſt, judex conſilij, interpres arbitrij, habens ſuorum actuum libertatem, is profectò liber eſt.* Aug. lib. 1. de lib. arb. cap. 12. *Quid tam in voluntate, quàm ipſa voluntas ſita eſt ?* Et lib. 3. cap. 3. *Voluntas noſtra , nec voluntas eſſet, niſi eſſet in noſtrâ poteſtate.* Richardus de S. Victore lib. de ſtatu inter hom. part. 1. cap. 3. oſtendit libertatem voluntatis humanæ ſoli Deo inſuperabilem eſſe potentiam. Quid quæſo , inquit , in homine ſublimius , quid dignius inueniri poteſt , quàm illud , in quo ad Dei imaginem creatus eſt? Habet ſanè libertas arbitrij imaginem non ſolùm æternitatis, ſed etjam diuinæ Majeſtatis. Quantum putamus in hoc incommutabili æternitati præ cæteris omnibus liberum arbitrium vicinius accedit , eiuſque in ſe imaginem expreſſius gerit , quod nulla vmquam culpa , nulla demùm miſeria non dicam deſtrui , ſed nec minui poterit ? Vultis & majeſtatis ſimilitudinem in ipſo perſpicere , & quomodo eius imagine impreſſum ſit , euidenter cognoſcere ? Deus ſuperiorem non habet , nec habere poteſt ; & liberum arbitrium dominium non patitur, nec pati poteſt : quia violentiam inferre ei , nec Creatorem decet, nec creatura poteſt. Totus infernus, totus mundus, totus denique militiæ cæleſtis exercitus in vnum concurrat, in hoc vnum coniuret, vnus ex libero arbitrio conſenſus in qualicunque re extorqueri non valet. Antoninus lib. 8. Memento , ait , partem tui principem ſuperari non poſſe , cùm in ſe collecta, ſeipſa contenta eſt; neque quicquam præter voluntatem agis , etiamſi non inſtructâ ratione pugnam conferat. Quid ergò fiet, ſi etiam à ratione paratâ circumſpectè de rebus judicet ? Itaque mens ab affectibus libera, arx eſt; nihil enim munitius homo habet, quo refugiens ſuperari non poteſt. Id qui non vidit, indoctus eſt ; qui vidit, neque eo refugit, infortunatus. Ita ille. Et iure arcem munitiſſimam dixit , quæ nullâ vi eſt expugnabilis, ne quidem Dæmonis , qui latrare & ſuadere poteſt , ſed non cogere liberum arbitrium. Nemo enim , vt idem Antoninus ait ex Epicteto, latro eſt voluntatis liberæ. Hanc voluntatis liberæ inſuperabilitatem Simplicius in cap. 13. Enchiridij vocat virtum potentiæ diuinæ ſimulacrum. Ejus autem excellentiam Nyſſenus Orat. Magn. Catechet. his verbis oſtendit : Qui in vniuerſitatem liberam habebat poteſtatem , propter ſummum in homines honorem , dimiſit etiam aliquid in noſtrâ poteſtate , cujus ſolus eſt dominus. Hoc autem eſt liberi arbitrij libera electio, res quædam minimè redacta in ſeruitutem , & quæ eſt ſui juris , ſita in libertate mentis & cogitationis. Epictetus lib. 4. cap. 1. Liber eſt, inquit, qui viuit vt vult ; qui nec cogi , nec impediri , nec vim ſubire aut violentiam poteſt.

CAPVT V.

De Intentione.

Quid ſit. INtentio eſt actio voluntatis , quâ in finem certo modo conſequendum fertur. Intendere enim nihil aliud hic eſt , quàm tendere ſeu ferri. Id verò voluntatis eſt , quæ cæteras ad finem obtinendum facultates excitat, & ad ſuum bonum mouet. Omne enim bonum, voluntatis eſt bonum.

Quæſtiuncula 1. *An vltimi finis ſemper ſit intentio ?* Nequaquam. Vnus enim vltimus tantùm eſt finis , plures verò hominum ſunt intentiones ; neque in vltimo tantùm fine conſiſtunt , ſed in medijs etiam quandoque.

2. *An plura ſimul intendere homo poſſit ?* Illud verò certum eſt. Quippè intendere & finem poteſt , & ſimul quæ ad illum ducunt. In natura exemplum

plum eſt, quæ per vnam eandemque linguam guſtum & loquelam intendit.

An intentio Brutis etiam conueniat? Intendere cùm nihil aliud ſit, quàm ad finem aliquid ordinare, idque fieri ſine ratione non poſſit, conuenire brutis non poteſt. Quædam tamen naturæ in brutis intentio eſt, quâ ad bonum quodpiam eadem inſtigante mouentur.

Pronunciata de Intentione.

Quod non bonâ intentione fit, non prodeſt.

Bonum prorſus condemnat intentio praua, & penitus non excuſat recta. *Varia pronunciata.*

Virtutes in intima intentione ſubſiſtunt.

In bonis operibus qui per intentionem titubat, ſeipſum illudit.

Non quomodo euenerit, ſed quomodo intenderis tibi imputatur.

Opus non ex ſe, ſed ex intentione fit crimen, aut virtus.

Additamentum.

INtentio, de qua hoc loco, nihil aliud eſt, quàm affectus efficax conſequendi finem. Eam anteit judicium quoddam practicum, quo finis præcognoſcitur, & de eius dignitate bonitateque iudicatur. Hoc iudicium agnoſcit Ariſtoteles 3. de anima 4.42. & appellat notitiam practicam. Finis enim, in quem fertur intentio, non obijcitur nudæ apprehenſioni, ſed perfecto iudicio, quo de eius bonitate pronunciatur. Quod autem intentio ſit actus ſolius voluntatis, ex eo conſtat, quod nihil aliud ſit, quàm efficax volitio finis ſubiunctæ cognitioni, vt D.Th. & Theologi paſſim docent. Ex hac meriti ratio dependet. Nam, vt ait Auguſt. in Matth. Quod non bonâ intentione facis, non tibi proderit, quia quomodo feceris, non quomodo illi euenerit, tibi imputabitur. Vnde, vt ait D. Greg. in Moral. Si ſemel cor intentione corrumpitur, ſequentis actionis medietas & terminus ab hoſte callido ſecurè poſſidetur: quoniam totam arborem ſibi fructus ferre conſpicit, quam veneni dente in radice vulnerauit. Summâ curâ vigilandum eſt, ne vel bonis operibus ſeruiens mẽs reproba intentione polluatur. Idem ſicut fabrica columnis, columnæ autem baſibus innituntur; ita vita noſtra in virtutibus, virtutes autem in intentione intima ſubſiſtunt.

CAPVT VI.

De Electione.

ELectio, definiente Philoſopho lib. 3. Eth. eſt appetitio eorum, quæ in noſtra ſunt poteſtate, cùm deliberatio præceſſit. Seu eſt voluntatis actio, quâ præuio conſilio & deliberatione de medijs ad finem conſequendum vtilibus, vnum præ alio eligitur. Eſt igitur Electio voluntatis. Cùm enim ſit eorum quæ in noſtra ſunt poteſtate, liberum quoddam deſiderium, non poteſt niſi eſſe voluntatis. In brutis ea non reperitur, in quibus nec conſilium eſt, nec conſultatio, & quæ ad quippiam vnum ſunt determinata. Eligere ſi quandoque videantur, non eligunt tamen, & natura ad vnum feruntur. Solus homo ſummâ libertate eligit, atque ita eligit, vt non eligere etiam poſſit, aut electionem ſuam morâ quâdam retardare. Porrò nemo eligit, niſi quæ fieri poſſe exiſtimat. Per id enim fieri quod non poteſt, nihil conſequimur. Vnde eorum, quæ in noſtra ſunt poteſtate, fieri electio ſemper debet.

Quid ſit. *Brutum non eligit, ſed homo. Eligit autem quod fieri poteſt.*

Electionis leges potiſſimùm ſunt duæ.

I. *E duobus bonis eligendum eſt, quod melius eſt.*

II. *E duobus malis minus eſt eligendum.*

Leges electionis.

Cùm autem, vt communi verbo dicitur, *plus videant oculi, quàm oculus*, aliorum adhibendum eſt conſilium, atque eorum præſertim, qui in propoſitæ electionis materia ſunt verſati, experimentiſque in ea abundant: qui graues ſunt, conſtantes, affectibus carentes, Deo addicti, amici, familiares.

Præ-

Præſuppoſit electio conſultationem, & intellectus ſeu rationis iudicium. Sequi enim intellectum voluntas debet, & cùm nihil cognoſcat, conſilium expetere.

Quæſtiuncula. *Quomodo ad inſtituendam electionem ſit deliberandum?* Vno in exemplo modum pono. Deliberandum ſit, vtrùm eligendæ an reijciendæ ſint voluptates. Primò ità proponenda ipſa quæſtio eſt, vt in neutram partem affectu aliquo animus propendeat. *Modus deliberandi in eligendo.* Affectus enim iudicium peruertit, & quo inclinatur, eo voluntatem trahit, & immaturam facit electionem. Secundò vtriuſque partis examinanda accuratè bonitas malitiaque eſt. Quid hanc, quid illam partem ſequatur; quo euentu hanc aliqui, illam alij elegerint & amplexi ſint. Ita fiet, vt quæ pars melior ſit facilè appareat. Sed conſiderari etiam præſentium ſtatus rerum debet, cumque eo futurarum quodammodo connectendus. Tertiò vbi de parte eligenda conſtitutum erit, interpoſito dierum aliquot interuallo (ſi moram res patiatur) repetenda aliquoties deliberatio eſt, idque in rebus magni momenti. Modico enim temporis interuallo magnum intellectui lumen offertur, & plurimæ variarum rerum conſiderationes vltrò memoriæ ſeſe præſentant. Qui quicquid in mentem venit confeſtim aggreditur, omittere poſteà non rarò cogitur, & eſt inconſtans.

Pronunciata de Electione.

Varia pronunciata.

Ex bonorum vel malorum electione boni vel mali dicimur.

Quæ ſponte facimus non omnia eligimus; quæ autem eligimus, omnia cognoſcimus.

Quod eligendum eſt, id bonum eſt, quod potiùs eligendum eſt, id maius bonum eſt.

Non omne quod ratione tractatur eligendum eſt, ſed quod rerum agendarum eſt extremum.

Non quicquid voluntarium eſt, id omne eligendum eſt, ſed cùm antegreſſa eſt deliberatio.

Electionem virtus rectam facit.

Non conſilij, nec electionis participes ſunt pueri.

Ea electio laudatur, quæ eius rei eſt, quæ honeſtior eſt.

Ea eligimus, quæ ſcimus optima.

Additamentum.

ARiſtoteles lib. 3. Eth. cap. 3. Conſultabile id dicendum eſt, de quo mentis compos vir, non quiuis vel ſtolidus vel inſanus, conſultaret. De æternis autem nemo conſultat, vt de mundo aut diametro & latere, quod nullâ inter ſe æqualitate conveniant. At neque de ijs, quæ in motu quidem ſunt, ſed ſemper tamen circa eadem verſantur, ſine neceſſitate, ſiue naturâ; ſiue alia aliquâ de causâ, vt de ſolſtitijs atque ortibus. Neque de ijs, quæ alias aliter eueniunt, vt de ſiccitatibus & imbribus. Neque item de ijs, quæ fortuna contingunt, vt de theſauri inuentione; ſed neque de humanis omnibus conſultamus, v. g. quomodo ſcythæ optimè adminiſtrare Remp. poſſint, nullus ex Lacedæmonijs cõſultat. Nihil enim ex his eiuſmodi eſt, vt agi per nos ipſos valeat. Conſultamus autem de agendis rebus, atque ijs, quæ in noſtrâ ſitæ ſunt poteſtate. Hæc enim reſtant: cum cauſæ nullæ aliæ eſſe videantur, quam natura & neceſſitas & fortuna; mens præterea, atque omne id, quod per hominem, agit. Vnuſquiſque autem de ijs, quæ per ipſum agi poſſunt, conſultet. Similia habet 6. Eth. cap. 5. Ex quibus omnibus concludit Philoſophus conſultationem de ijs tantùm eſſe, quæ ſunt in noſtrâ poteſtate. Negat etiam conſultationem iniri à Sapiente de rebus neceſſarijs, aut æternis, aut fortuitis. Eandem ob cauſam nemo conſultat de rebus iam factis iuxta illud 6. Eth. cap. 2. Nihil eſt eligibile, quod factum eſt, v. g. Ilium expugnaſſe, nemo eligit. Non enim conſultat quiſpiam de eo, quod factum eſt, ſed de eo, quod futurum eſt, eſſeque

aliter

aliter poteſt. Quod autem factum eſt, quin factum ſit, fieri nullo modo poteſt. Idcircò rectè Agatho inquit,

Re namque ſolâ hâc ipſe priuatur Deus,
Vt facta minimè infecta poſsit reddere.

Porrò etiam de ijs, quæ per amicos noſtros fieri poſſunt, deliberamus. Nam quæ per amicos fiunt, inquit Ariſtoteles 3. Eth. cap. 3. per nos quodammodò fieri videntur; quippè cùm principium in nobis ſit, id eſt cum nos ſimus, qui amicis authores aliquid faciendi ſumus. Quod autem conſultatio non de fine, ſed de medijs inſtituatur, docet idem Philoſophus ibidem. Nimirum, quia finis ob ſuam determinationem ſubducitur conſultationi. Conſultamus, inquit, non de finibus, ſed de ijs, quæ ad finem tendunt. Nam neque Medicus, an ſanare; neque Orator, an perſuadere; neque ciuilis, an legibus benè conſtitutis tutam patriam reddere debeat; ſed omnes, cùm finem quendam ſtatuerint, quomodo, aut per quæ euenire poſſit, deliberant, ſique is per plura fieri poſſe videatur, per quidnam facillimè atque optimè fieri queat, conſiderant. Si per vnum, quomodo per id effici rectè valeat; & illud item per quid, atque tantiſper, donec ad primam cauſam deuenerint, id quod in inuentione extremum eſt. Plura ibidem, ubi tandem concludit, conſultabile & eligibile idem eſſe. Quare ex dictis hactenus pater rectè quoque hic electionem definiri. Differunt tamen Conſultatio & Electio: illa verſatur in ijs, quæ adhuc incerta ſunt & non determinata, hæc in determinatis & concluſis; illa præcedit, hæc ſequitur; illa mentis eſt potiſſimum; hæc mentis & voluntatis. Exemplum conſultationis ab Ariſtotele ſuprà propoſitæ hoc eſto. Pater quiſpiam vult filium Reip. vtilem eſſe, hic finis eſt. Tum circumſpicit media, & proximum videt veram eruditionem ſeu ſapientiam & virtutē. At hæc vnde? A litterarum tractatione. Sed illa indiget libris, ſumptibus, præceptoribus, honeſtâ educatione & inſtitutione fideli &c. In his ſubſiſtit deliberatio, & operatio initium ſumit. Pater itaque filium curat honeſtè educari, præceptores conquirit, libros coëmit, ſumptus colligit, filium ad ſcholas mittit, vt virtute & eruditione inſtructus viam ſibi ad Remp. muniat. Sic quod in deliberatione primum eſt, id in operatione eſt vltimum; & contrà, quòd in deliberatione ultimum, in operatione primum eſt.

CAPVT VII.

De Conſenſu & Vſu.

Conſenſus eſt actio voluntatis, quâ ſe ipſa ad rem applicat, & in re, cui inhæret, quodammodò ſibi placet. Hic cùm ſine conſilio eſſe non poſſit, ejus participes ſoli ſunt homines, qui tum conſentiunt, cùm appetitum ſuum ad agendum applicant. Eſt autem eorum, quæ ad finem ſunt, conſenſus, cùm de ijs tantùm eſſe poſſit, quæ ſub conſilium cadunt, aut præuia deliberatione ſunt iudicata. *Quid ſit conſenſus.*

Vſus eſt actio, quâ voluntas rem aliquam ad agendum applicat. Hic cùm voluntatis libertatem exigat, ſolorum etiam eſt hominum; & cùm ſine ratione non fiat, quâ ad finem refertur, reperiri in brutis non poteſt. Circa ea, quæ ad finem ſunt ordinata, verſatur: quippè hæc tantùm ad agendum applicantur, & vtilia dicuntur. *Quis ſit vſus.*

Additamentum.

Diuus Thomas 1. 2. quæſt. 15. art. 3. tunc elici conſenſum ait, cùm voluntas nondum executioni accincta approbat ſimpliciter medium ab intellectu propoſitum, ſiuè vnicum ſit, ſiue multiplex. Vnde conſenſus habet ſe ad electionem, ſicut amor finis ad intentionem.

Vſus hic à Theologis dicitur actus voluntatis, quo potentiam exequentem ad opus applicat. Dici poteſt Vſus actiuus, quatenus eſt ex parte potētiæ applicantis. Hunc actum agnoſcit D. Thomas 1. 2. q. 16. art. 1. Nonnulli Theologi negant, aut ab efficaci electione non diſtinguunt, quibus eam diſputationem relinquimus, parum ad hoc inſtitutum morale idoneam vel vtilem.

CAP.

CAPVT VIII.

De Fruitione.

Quid ſit Fruitio. FRuitio eſt actio voluntatis, quæ acquieſcit & ſine præſenti ſeu obtento delectatur. Hic finis tantùm vltimi eſt; eo enim fruimur tantum & delectamur, & acquieſcimus. Nec aliud per ſe voluntas, quàm quod vltimi finis rationem habet, appetit. Conuenire brutis non poteſt. Quippe non eius facultatis, quæ ad finem pertingit, ſed quæ imperat executionem; nulla verò imperans in iis eſt facultas, quæ ratione ſunt deſtituta. Fruuntur tamen illa fine ſuo; natura nimirum acquieſcente, non imperante voluntate.

Additamentum.

FRuitionem primæ notæ Theologi nihil aliud eſſe volunt, quam de bono poſſeſſo delectationem. Hinc Auguſtinus lib. de Mor. Eccleſ. cap. Quid eſt aliud, quod dicimus frui, quàm præſto habere, quod diligis? Idem lib 2. de Ciuit. cap. 25. Vſus fructu diuidieandus eſt. Nec ignoro, quod propriè fructus fruentis, vſus verò vtentis ſit: atque hoc intereſſe videatur, quod eâ re frui dicimur, quæ nos, non ad aliud referenda, per ſeipſam delectat: vti verò eâ re, quam propter aliud quærimus. Subiungit autem paulò poſt: Verumtamen eo loquendi modo, quem plus obtinuit conſuetudo, & fructibus vtimur, & vſibus vtimur. Nam & fructus iam propriè dicuntur agrorum, quibus vtique omnes temporaliter vtimur.

De Actionibus externis, de quibus ſeq. tit. agendum lib. 3.

TITVLVS VI.

De Actionibus humanis externis.

CAPVT I.

Quæ ſint Actiones humanæ externæ, quæ earum bonitas, & malitia.

Quid ſint ACTIONES externæ ſunt, quæ à libera voluntate imperantur, & facultatum membrorumque corporis miniſterio exercentur. Huiuſmodi ſunt actiones intellectus, ſenſuum omnium, appetitus, membrorum exteriorum, quæ arbitrio voluntatis & imperio ſunt ſubiectæ. Earum bonitas & malitia ab internarum actionum bonitate & malitia *Vnde bonæ vel malæ.* eſt. Actiones enim externæ eo modo bonæ vel malæ ſunt, quo liberæ ſunt & voluntariæ; tales verò ab internis ſunt actionibus, quæ in illas omnem ſuam bonitatem aut malitiam transfundunt. Bonæ etiam ſunt, ſi appeti ſecundùm rectam rationem poſſint; malæ, ſi non poſſint. Atque hoc tantùm de actionibus externis, in quibus cùm poſitæ ſint omnes ferè virtutes, tum commodè cum virtutibus libro tertio explicabuntur.

Finis Commentariorum in Librum Primum Inſtitutionum Moralium.

NICOLAI VERNVLÆI INSTITVTIONVM MORALIVM LIBER SECVNDVS.

De Affectibus.

TITVLVS I.

De Affectibus in genere.

CAPVT PRIMVM.

Quid ſint Affectus, quæ eorum ſedes, quis finis.

PRIMVM maximumque benè viuendi præceptum eſt, vt rationi tanquam gubernatrici pareat appetitus. Paret tum verò, cùm affectibus ſedatis mentis iudicium ſequitur homo, ſeu cùm ſui potens eſt. Igitur Moralis Philoſophi in eo verſari etiam labor debet, vt eorum naturam explicet, quendamque regendi eos & coërcendi modum tradat.

Sunt autem Affectus commotiones quædam ſentientis appetitus ex ob- *Definitio*
iecta boni vel mali ſpecie prouenientes, cum aliquâ ſpirituum ſeu corporis *affectuum*
agitatione. Varia ij nomina ſortiuntur, & nunc Perturbationes, nunc Mo-
tiones, nunc Paſſiones à Philoſophis dicuntur. Eorum principium & origo *Eorum*
eſt boni aut mali apprehenſio. Si quis enim, vt teſtis eſt experientia, iacens *principiũ.*
in herbâ ſerpentem iuxta ſe ignoret, omninò nihil timet; at verò ſi eum
conſpiciat, aut præſentem apprehendat, repentino quodam terrore percelli-
tur. Quod manifeſtum eſt indicium, ex apprehenſione affectus oriri. Sedes *Sedes.*
eorum eſt ipſe ſentiens appetitus, qui in corde domicilium habet. Cor e-
nim, cùm hominem perturbationes exagitant, dilatatur, intenditur, re-
mittitur, nunc magis, nunc minùs. Finis eſt animantium in hâc vitâ con- *Finis*
ſervatio. Nam vel idcircò à naturâ conceſſi ſunt, vt per eos bonum per-
ſequamur, malum fugiamus, in quibus duobus conſeruatio omnis conti-
netur. Ita ſpes gloriæ & præmiorum animum ad virtutes excitat, metus
probri ac ſuppliciorum à vitijs deterret & auocat.

Additamentum.

DIVVS Auguſtinus lib. 9. de Ciuit. cap. 4. Animi motus, inquit, quos Græci πάθη noſtri autem quidam, ſicut Cicero, perturbationes, quidam affectiones vel affectus, quidam verò de Græco expreſſiùs paſſiones vocât. Et tractat. 46. in Ioannem: Affectiones noſtræ motus animorum ſunt; lætitia animi diffuſio; triſtitia animi contractio; cupiditas animi progreſſio; timor animi fuga eſt. Diffunderis enim animo, cùm delectaris; contraheris animo, cùm moleſtaris; progrederis animo, cùm appetis; fugis animo, cùm metuis. Zeno apud Stobæum appellabat volatus animæ propter celeritatem & promptitudinem. Contra verò Iamblichus lib. de Myſterijs vocat Clauos, qui-

bus anima corpori ceu patibulo affigitur. Quia aggravant menten & affigunt. Ridiculè Stoici apud Senecam Epiſt. 106. & 113. affectus noſtros corpora quædam & animalia eſſe fabulati ſunt. Imò etiam virtutes & ſcientias in animalium & corporum claſſem retulerunt. Rationes eorum erant, quod affectus vultum mutent, frontem aſtringant, faciem diffundant, ruborem evocent, ſanguinem fugent; quæ notæ imprimi corpori niſi à corpore non videantur. Quod autem ta ngit aut tangitur corpus eſſe dicebant, juxta illud Lucretij:

Tangere vel tangi, niſi corpus, nulla poteſt res.

Id verò fatuum eſt, nec ipſe probat Seneca; nam illa mutatio corporis, non ex eo oritur, quod affectus corpora ſint, ſed ex ſympathiâ animæ & corporis, de quâ infrà.

Appetitus ſentiens affectionum corporearum eſt ſedes remota. Hinc Ariſtoteles 1. Topicorum ait timorem & iram in iraſcendi appetitu reperiri, voluntatem & triſtitiam in appetitu concupiſcendi. Et 2. de Animâ, Animalia, inquit, omnia habent vnum è ſenſibus tactum. Cui autem ſenſus ineſt, huic lætitia & triſtitia, ſuaue & moleſtum conuenit; quibus autem hæc, ijs & concupiſcentia. Hæc enim appetitio rei laudabilis eſt.

Proxima ſedes eſt cor, quod ex pulſu dignoſcitur vehementer ab affectibus agitari. Sic non alio indicio Eraſiſtratus, turpem amorem, quo priuignus erga Stratonicem nouercam flagrabat celabatque, deprehendit, quàm ex variatione pulſus ac motus cordis, accedente Stratonice. Idem indicat ſomnium Apollodori apud Plutarchum lib. de ſera Numinis vindicta, quo cutem ſibi à Scythis detrahi, tum ſe elixari proſpexit, ſucclamante ſibi corde ex lebete, Ego tibi horum ſum cauſa malorum. Quaſi moneretur infrenes affectus eò miſerum deducturos. Quidam apud Smetium, vt proderet, quo fuiſſet affectu, ſepulchro ſuo inſcribi voluit ὁλοκάρδιος. Quod æmulatus ille videtur, qui capſulæ, quâ Regi Galliæ Franciſci I. cor conditum erat, adſcripſit Epigraphen, Totùm illic Franciſcum, quod fuiſſet ὁλοκάρδιος. Sunt tamen, qui ſingulis affectibus peculiares ſedes tribuunt. Vnde hi verſiculi:

Cor ſapit, at pulmo loquitur, fel commouet iras,
Splen ridere facit, cogit amare jecur.

Vide Claudianum in 4. conſulatum Honorij, verſibus illis:

—— Cùm conderet artus
Noſtros, ætheriis miſcens terrena Prometheus,
Sinceram patri mentem furatus Olympo.

Lactantius lib. 6. Diuin. Inſtit. cap. 15. lætitiæ affectus in ſplene eſt, iræ in felle, libidinis in jecore, timoris in corde. Sed hæ non tam ſedes, quàm organa, incitamenta, & cauſæ per temperamenta.

Quod ad finem affectuum attinet, Seneca lib. 1. de Irâ: Sine affectibus languet omnis actio, & vis ac vigor animi reſolnitur. Lipſius lib. 3. Manuductionis cap. 7. Sine irâ fortitudo non erit, ſine metu prudentia, ſine cupidine temperantia, ſine lætitiâ ſenſus amorque virtutis. Hanc ob cauſam apud Lacædemonios Timori, Riſui, & omnibus prope affectibus templa erant dicata.

CAPVT II.

Quotuplices ſint Affectus.

Alij ſunt concupiſcentis appetitus.

SEntientis appetitus duæ ſunt partes, vna concupiſcens, iraſcens altera. Concupiſcentis appetitus ſex ſunt affectus, amor & odium, deſiderium & fuga, voluptas & triſtitia. Id enim quod proſequimur, vel apprehenditur vt bonum, & oritur Amor; vel vt malum, & naſcitur Odium. Rurſus vel bonum eſt abſens dignum tamen, quod poſſideatur, & inde eſt Deſiderium; vel malum cognoſcitur indignumque quod habeatur, & hinc Fuga. Denique vel bonum eſt præſens, & excitatur Voluptas; vel præſens malum, & fit Triſtitia. Iraſcentis appetitus quinque tantùm ſunt, Affectus, Spes, Deſperatio, Timor, Audacia, Ira. Quippe ſi res ardua quidem & difficilis ſit, obtineri tamen poſſe videatur, Spes naſcitur; obtineri non poſſe putetur, Deſperatio. Si autem malum arduum ſit, & ægrè vitari poſſe credatur, excitatur Timor; auerti ſi poſſe appareat, Audacia exurgit.

Alij iraſcentis.

git. Quod ſi præſens ſit malum, commouetur appetitus iraſcens, & ea oritur perturbatio, quæ Ira nuncupatur.

Stoici quatuor tamen Affectus admittunt; ratione boni præſentis Voluptatem, ratione boni futuri Spem, ratione mali præſentis Dolorem, ratione mali futuri Timorem. Boëtius lib. 1. de Conſolatione Philoſophiæ his verſiculis quatuor illos expreſſit: *Opinoi Stoicorum*

Tu quoque ſi vis
Lumine claro
Cernere verum,
Gaudia pelle,
Pelle timorem,
Spemq́ fugato,
Nec dolor adſit.
Nubila mens eſt.
Vinctaq́ frænis
Hæc vbi regnant.

Vera illa quidem Stoicorum opinio eſt, at altera Peripateticorum diſtinctè affectus proponens non reijcienda.

Additamentum.

Illa affectuum diuiſio in eos, qui ſunt appetitus concupiſcentis, & eos, qui iraſcentis adſtruitur à D.Th.quem Theologi paſſim ſequuntur 1.2.q.23.art.1.& 4. Philo lib. de Decalogo, Quoties, inquit, ſe offert rei cujuſpiam expetendæ imaginatio, expergefacit excitatque quieſcentem animam, arrectam velut oculis perſtrictis fulgure. Is ejus affectus voluptas dicitur. E diuerſo quod malum & fugiendum eſt, quando ſauciat animam, confeſtim eam replet mœſtitia, qui affectus dolor nominatur. At quando malum nondum præſens premit, imminet tamen, pauorem præmittit, abominandum nuntium, quo territet, qui & timor dicitur. Quoties autem aliquis de abſente bono cogitans, habere id cupit in longum animam porrigit, extendens eam, ut poſſit rem adamatam attingere, tanquam in orbiculari machinâ ſemper ſequendo, nunquam aſſequendo: quod ſpectamus in curſoribus, quando præcurrentem tardior peruicaciter aſſequitur. Quibus verbis Philo eandem cum D. Thoma affectus inquirendi rationem ſequitur, ſed non integra eius enumeratio eſt. Plato in Timæo ſex numerat, voluptatem, dolorem, audaciam, metum, iram & ſpem. Galenus in libro de cognoſcendis & curandis animi morbis quinque recenſet, triſtitiam, iram, excandeſcentiam, cupiditatem, metum. Alij alias diuiſiones & numeros ſequuntur.

CAPVT III.

An Affectus boni aut mali ſint, & an naturales.

Affectus naturâ ſuâ, nec boni ſunt, nec mali; boni tamen aut mali fiunt. Boni ſunt, qui cum ratione ſeu Naturæ lege conſentiunt, vt beneuolentia miſericordiaque. Mali ſunt, qui à ratione & Naturæ lege diſſentiunt, vt Odium, Deſperatio, Inuidia. Hos inter alij quidam ſunt medij, vt amor, voluptas, triſtitia, ſpes, ira, timor, audacia, qui rationis moderatione gubernandi ſunt, vt cum virtute congruant. Omnes mediocritate quadam iudicantur. Malos illos Marcus Tullius *turbidos animi concitatoſq́ motus appellat, auerſos à ratione, inimicos mentis vitæq́ tranquillæ*. Seneca *motus animi improbabiles & concitatos*. Stoici *animi motiones à ratione auerſas*. Cauſa bonitatis affectuum aut malitiæ voluptas eſt, quæ illos imperat, aut prohibet, & in exceſſu aut defectu eſſe permittit. Cæterùm naturales ſunt & ingeniti nobis affectus; vnde fit, vt alij alijs ſint vel ad iram, vel amorem, vel voluptatem procliuiores. Neque obſcurum eſt inſitum eſſe à natura amorem in parentes, amorem in liberos, deſiderium gloriæ. Ita verò à Natura ſunt, vt à voluntatis quoque liberæ imperio

Quidam boni ſunt

Quidam mali.

Quidam ſunt medij..

Cauſa bonitatis & malitiæ.

Sunt naturales & ſimul voluntarij.

perio pendeant, & dici voluntarij poſſint. Laxat enim volens ipſa voluntas affectibus frænum aliquando, & nonnunquam volens retinet coërcetque. Adeò vt cùm ad eos naturalis quædam ſit procliuitas, tum voluntarium in eo eſt imperium, & libera gubernatio.

Additamentum.

LActantius lib. 6. cap. 15. Affectus quaſi vbertas eſt naturalis animorum. Nam ſicut in ſentes ager, qui eſt naturâ fœcundus, exuberat, ſic animus incultus, vitijs ſuâ ſponte inualeſcentibus, velut ſpinis obducitur. Sed cùm verus cultor acceſſerit, ſtatim cedentibus vitijs, fruges virtutis orientur. Deus itaque cùm hominem primò fingeret, mirabili providentiâ ingenerauit ei priùs iſtas animi commotiones, vt poſſet capere virtutem, ſicut terra culturam, poſuitque materiam vitiorum in affectibus; virtutis in vitijs; quæ profectò nulla erit, aut in vſu eſſe non poterit, ſi deſint ea, per quæ vis eius aut apparet, aut conſtat. Damaſc. Orat. de duabus Chriſti voluntatibus: Paſſiones, inquit, datæ ſunt homini conceſſu Dei ad munera exequenda; cupiditas, vt Deo eiuſque præceptis pareamus; ira autem, vt diabolo & peccato reſiſtamus, confirmemuſque cupiditatem. Eadem eſt omnium ferè opinio, affectus eſſe à naturâ ac proinde ex ſe nec bonos, nec malos eſſe, ſed, vt ait Seneca lib. 1. de Irâ cap. 16. ſi quis illis benè utatur, pro armis ſunt. Et Themiſtius Orat. de Amore liberorum, cujus fragmentum eſt apud Stobæum ſerm. 1. Non enim, inquit, Deus eos inſerit homini in hoc, vt noxam & probrum ei concilient, ſed eos quoque ad durationem & ſalutem generis animæ attexuit, & conjunxit.

CAPVT IV.

Quæ ſit cauſa immoderatorum affectuum.

Variæ opiniones. PElagiani, & alij nonnulli beneficiorum à Natura acceptorum obliti immoderatorum in nobis affectuum cauſam in Naturam contulerunt, & eam non matrem, ſed nouercam appellauerunt. Alij quidam hominis ſtatum, cum affectuum cauſam ignorarent, maximè defleuerunt, ac eos miſerrimos dixerunt, qui longâ huius lucis vſurâ fruerentur; beatiores, qui citò morerentur; beatiſſimos qui viuere nunquam cœpiſſent. Tales fuerunt Timon Athenienſis, Heraclytus, & deſperati alij nonnulli. Plato partem hominis inferiorem à Dijs minoribus fabricatam eſſe volebat, ac proinde ſuperiori ſeu rationi reluctari, quæ ab ipſo præpotente Deo condita eſt. *Vera cauſa.* Certiſſima autem rebellionis huius & affectuum immoderatorum cauſa peccatum eſt illud, quod à primo humani generis parente ad nos vſque lepræ cuiuſdam inſtar, aut parui ſucci in radice exiſtentis, perque ramos ſeſe defundentis, promanauit. Cùm enim homo innocens adhuc eſſet, appetitus rationi non reſiſtebat, & omnium erat partium conſenſio; poſteaquam verò Diuinæ Maieſtatis legem præuaricatus eſt homo, rupta eſt concordia illa, & ſentiens appetitus perturbationibus immoderatis cœpit agitari. *Quæ ad cauſam illam accedant.* Iuuat ad hæc mala corporis conſtitutio, vitioſa educatio, praua conſuetudo, & ignorantia. Vnde, ait Pythagoras, *ſuperior his rebus eſſe aſſueſce, venere quidem ante omnia, ſomno, libidine, & iracundia. Nunquam quid turpe committas vel ſolus, vel cum alio, ſed teipſum maxime reuerere.* Videmus eos etiam, qui naturæ ſunt igneæ, citius cæteris iraſci, quod plus in eorum appetitu & imaginatione ſubtilis caloris exiſtat. Demum cùm conſuetudo altera ſit natura, multum ſane iuuat rebus & conſortijs honeſtis aſſueſieri. Si quis etiam bonum ignoret, facilè in malum propendet.

Additamentum.

COrrupta natura inprimis, deinde malum corporis temperamentum, praua educatio, aut conſuetudo, aliæque hujuſmodi. Theodoret. in cap. 7. Epiſt. D. Pauli ad Rom. Corpus mortale effectum, poſt præcepti tranſgreſſionem, affe-

ctiones

ctiones & animi perturbationes ſuſcepit. Ibi poſtquam oſtendit quomodo per mentem regantur, ſubjungit. Quod ſi ipſa negligens euaſerit, & habenas reliquerit, vt equi quidem exiliant, efficit, ipſa autem trahitur, & vna cum ipſis in lacunas & voragines incidit. Seneca 2. de Irâ cap. 18. Oportuna ad iracundiam feruidi animi natura eſt. Nam cùm elementa ſint quatuor, ignis, aqua, aër & terra, poteſtates pares his ſunt; frigida, feruida, arida atque humida. Et locorum itaque, & animalium, & corporum, & morum varietates mixtura elementorum facit, & proinde in aliquos magis incumbunt ingenia prout alicuius elementi, maior vis abundauit. Inde quaſdam humidas vocamus aridaſque regiones & calidas & frigidas. Eadem animalium & hominum diſcrimina ſunt. Refert quantum quiſque humidi in ſe calidique contineat. Cuius in illo elementi portio præualebit, inde mores erunt. Ita Seneca, ex quibus apparet concitariores affectus oriri ex majore temperatione corporis ad effectus ipſos accommodata. Præterquam quod aër & terræ qualitates ad hanc rem multum efficiant. Id approbat Ariſtoteles lib. 7. Polit. c. 7. Et Seneca lib. 2. de Irâ c. 16. In frigora, inquit, Septeutrionemque vergentibus immanſueta ingenia ſunt, vt ait Poëta

—— Suoq́, ſimillima cælo.

Et Firmicus Maternus lib. 1. Aſtronomiæ cap. 1. Quædam Gentes, inquit, ita à cælo (hoc eſt ab aëre) formatæ ſunt, vt propria ſint morum vnitate conſpicuæ, Scythæ immani feritatis crudelitate graſſantur; Itali ſiunt regali ſemper nobilitate præfulgidi; Galli ſtolidi; leues Græci, auari Syri, Afri ſubdoli, acuti Siculi, luxurioſi ſemper Aſiatici & occupati voluptatibus; Hiſpani elata jactantiæ animoſitate præpoſteri. Quanquam in eadem etjam regione alij ſunt mores, aliud ingenium. Conſuetudo vitæ multum etiam facit & quorundam amicitia. Hinc S. Baſilius hom. Quod Deus non ſit auctor malorum. Noxiæ, inquit, ſunt amicitiæ, quæ cum malitia contrahuntur. Nam ea amicitiæ huius lex & vis, vt per ſimilitudinem, malitiam coniunctis indat. Quemadmodum enim in peſtilentibus locis ſenſim attractus aër latentem corporibus morbum injicit: ſic item ex prauâ conſuetudine ac conuerſatione maxima nobis mala hauriuntur, etiamſi ſtatim incommodum non ſentiatur. Menander cum malis conuerſans & ipſe malus euades.

CAPVT V.

An qui virtute præditus eſt omni careat affectu.

Caret immoderato ſed non omni affectu.

CAret immoderato, non omni autem liber eſt affectu. Quippe qui immoderatus eſt, virtuti aduerſatur; qui moderatus, iuuat. Quis, obſecro, proborum eſt hominum, qui lætitiam aliquam, aut dolorem, aut timorem non aliquando percipit? Benè ait Pontanus. *Mouemur affectibus tanquam vehiculis quibuſdam ad actiones rectas exercendas, cùm bene domiti fuerint, vt ad magnanimiter & conſtanter agendum moderata cholera.* Tantum abeſt, vt obſint nobis, vt potiùs vel maximè proſint, & inſtrumenta ſint quædam virtutis exercendæ. Deinde naturales ſunt hominibus affectus. quomodo igitur ab hominis alicuius animo extirparentur? Imò verò qui affectus tollit, virtutes ipſas tollere videtur. Nam ſi virtutis eſt, in medio iracundiæ impetu ſeſe cohibere, vtique virtute hac deſtituetur, qui iracundia carebit. Doctor Gentium D. Paulus. *Video*, inquit, *aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ.* Nimirum in ſe vim affectuum agnouit.

Additamentum.

LIpſius lib. 3. Manuductionis diſſert. 7. Fusè hâc de re agit, vbi opinionem Stoicorum refert, qui Sapientem apathem ſiue imperturbabilem eſſe volebant. Nam affectus omnes, quorum impulſu animus commouetur, ex homine tollebant, vt refert Lactantius Inſtit. lib. 6. cap. 14. Plato autem & Ariſtoteles Sapientem modicè affectibus tangi, non autem nullo modo tangi, conſenſu edixerunt. Lactantius lib. 6. cap. 17. Nihil aliud, inquit, dixerim, quam inſanos, qui hominem mite ac ſociale animal, orbant ſuo nomine: qui euulſis affectibus, quibus omnis conſtat humanitas, ad immobilem ſtuporem mentis perducere volunt,

dum ſtudent animum à perturbationibus liberare, &, ut ipſi dicunt, quietum tranquillumque reddere. Quod fieri tamen non poteſt, quia vis & ratio eius in motu eſt. Sed ne oportet quidem; quia ſicut aqua ſemper jacens & quieta, inſalubris & magis turpida eſt, ſic animus immotus ac torpens, inutilis eſt etiam ſibi, nec vitam ipſam tueri poterit; quia nec faciet quicquam, nec cogitabit, cúm cogitatio ipſa, nihil aliud ſit, quam mentis agitatio. Denique qui hanc immobilitatem animi aſſecerunt, priuare animum vitâ volunt, quia vita actuoſa eſt, mors quieta. Diuus Hieronymus Epiſt. ad Cteſiphontem. Hominem, inquit, ex homine tollunt, & in corpore conſtitutos, volunt eſſe ſine corpore. Subiungit rationem, quia homo imperturbabilis, aut ſaxum, aut Deus eſt. Ipſe Chriſtus, Deus & homo perturbationes, ſeu affectus admiſit, vt docet D. Thom. quæſt. 26. de Veritate art. 8. Et Auguſtinus tractat. 60. in Ioannem idem tradit ſubſannando contrariam Philoſophiam, ubi ait. Pereant argumenta Philoſophorum, qui negant in Sapientem cadere perturbationes animorum. Et paulò pòſt. Illæ ſunt certè quatuor, quas perturbationes vocant, timor & triſtitia, amor & lætitia. Habeant eas juſtis de cauſis animi Chriſtiani, nec Philoſophorum Stoicorum, vel quorumcumque ſimilium conſentiatur errori, qui profectò quemadmodum vanitatem exiſtimant veritatem, ſic ſtuporem deputant ſanitatem, ignorantes ſic hominis animum, quemadmodum corporis membrum, deſperatiùs ægrotare, quando & doloris amiſerit ſenſum. Sed videri Lipſius poteſt loco ſuprà citato, vbi totam hanc quæſtionem reſoluit, & Stoicorum ſenſum explicat.

CAPVT VI.

Vnde Affectuum diuerſitas oriatur.

Prima cauſa eſt corrupta natura. Deinde varia hominum conſtitutio, complexio ſexus.

ITa diuerſis hominum animi affectibus agitantur, vt cum hic re aliqua delectatur, alios eandem auerſetur. Quænam igitur diuerſitatis huius cauſa? Qui Galeni ſcholam ſequuntur à vario temperamento ſeu diuerſiſſima hominum complexione varietatem affectuum deducunt. Sane cum turbata per hominis primi peccatum omnium animæ noſtræ facultatum harmonia ſit, tum ſecuta eſt ingens perpetuáque pugna. Et hæc primæ diuerſitatis affectuum eſt origo. Deinde verò varia illa hominum conſtitutio, complexio, ſexus magnæ profectò diuerſitatis huius ſunt cauſæ. Qui corde ſunt magno laxoque non magna appetunt, ſed humilia ſectantur, quod diffuſi in ijs ſpiritus minus vehementes ac conſtantes affectus producant. Corde vero qui magno ſunt & humido, magna equidem deſiderant, verum non magnanimiter, ſed turpiter & malitioſè. Cùm ſolidum cor eſt, ſeu magnum, ſeu paruum, generoſæ ſunt rerum arduarum cogitationes, quibus homo imbutus, magna magnanimiter appetit. Qui calidæ ſiccæque ſunt naturæ; vehementiores habent affectus, qui frigidæ humidæque, languidiores. Ita fit vt Colericus ad iracundiam ſit procliuior; Melancholicus ad inuidiam; Sanguineus ad libidines; Phlegmaticus ad ignauiam. Facit etiam non parum ad hanc affectuum diuerſitatem diuerſitas ſexus. Quippe affectuum inconſtantiorum mulieres ſunt, quam viri.

Vnde poëta, *Varium & mutabile ſemper femina.* Et quia.

Naturæ ſequitur ſemina quiſque ſuæ.

præſtantia rerum obiectarum. Earundem diuerſa notitia

Ideo ignobiliores fœminarum ſunt affectus. Habent temperamentum mollius; humidius, mobilius, quam viri. Accedit, quod res ſenſibus obiectæ, quo nobiliores præſtantioreſque ſunt, eo moueant amplius appetitum. Verum cum, vt dici ſolet, *tanto plus inſit in deſiderio appititus, quanto plus eſt in cognitione intellectus*, oritur etiam quædam inde diuerſitas, quod rerum obiectarum notitia vel minor, vel maior habeatur. Externæ addi cauſæ poſſunt, conſuetudo, æmulatio, indigentia, & aliæ id genus.

Addita-

Additamentum.

A Corruptâ naturâ, hominum diuerſâ conſtitutione complexioneque & ſexu, alijſque cauſis. Referri huc poſſunt ea, quæ ad numerum quartum adduximus. Et experientia docet, quod homines pro varia corporis temperie, variam quoq; ad hos aut illos affectus pronitatem nanciſcantur. Galenus lib. de ſubſtantiâ virtutum animaliũ, omnibus Medicis & Philoſophis in confeſſo eſſe ait, quod animæ corpora inſequantur, & pro eorum variâ diſpoſitione, variç etiam ipſæ afficiantur. Iſtud idem proſecutus eſt iuſto opuſculo quod inſcripſit. Quod animi mores corporis temperamentum ſequantur. Eſt enim corpus inſtrumentum animæ, quoad actiones, & maximè quoad perturbationes. Multum ad bonam temperiem facit bonus parentum ſanguis, ex quo cum ſemine mores quodammodò influunt. Vnde Ariſtoteles 3. Polit. c. 8. conſentaneum eſſe ait, ut meliores ſint, qui ex melioribus oriuntur, ſicut tradit Horatius lib. 4. od. 4. Fortes creantur fortibus & bonis &c. Quo ſpectat proverbium Mali corui malum ovum. Quare ſicut proles à parentibus ſubſtantiam haurit, ita & pronitatem in certos affectus. Et ferè ſemper verum eſt illud vulgatum:

Sæpè ſolet ſimilis filius eſſe patri.

Lepide Plato lib. 3. de Rep. referente Ariſtotele 2. Polit. cap. 3. ait formationi vniuſcujuſque immixtum à Deo aurum ijs, qui præſtantiſſimi ſunt futuri, argentum mediocribus, ferrum denique & æs, ijs, qui ſunt infimæ rotæ. Interdum tamen ex aureo parente argenteus exiſtit filius, & ex ferreo aureus. Idem Ariſtoteles lib. 3. de Partibus animalium cap. 4. Docet diſcrimina cordis quæ ex amplitudine, exiguitate, duritiâ, mollitiâ exiſtunt, ad mores aliquatenus pertinere. Eos hebetes eſſe, qui cor habent durum & ſpiſſum; ſenſu valere, qui mollius; pauidos, qui grande, audaces & fidentes, qui parvum aut mediocre. Plura ille ibidem. Præter temperamentum aſſuefactio ingenerat ad effectûs pronitatem. Vnde Ariſtoteles 2. Eth. cap. 1. Monet permagni referre, quibus quiſque actionibus à pueritiâ aſſueuerit, quod inoliti peraſſuetudinem habitus paſſiones prope effrænes, & ad rationis ductum indociles reddant. Idcircò Pelagius Epiſt. ad Demetrium. Quicquid, ait, in te primum inſtitueris, hoc manebit, & ad initiorum tuorum regulam reliqua vita decurret. Finis in ipſo exordio cogitandus eſt. Qualis ad illum vltimum diem peruenire cupis, talis jam nunc eſſe conare. Conſuetndo eſt, quæ aut vitia, aut virtutes alit; quæque in his plurimum valet, cum quibus ab ineunte ætate ſimul creuerit. Magna quoque vis cibi & potus & Pharmacorum eſt ad affectuum varietatem, quia ſuum temperamentum hominibus communicant, in quorum ſubſtantiam tranſeunt. Quâ de re Ariſtoteles lib. 2. de partibus cap. 4. Et in problematibus ſect. 30. queſt. 1. Hæc etiam clariùs innoteſcent, cùm de cauſis ſingulorum affectuum agemus.

CAPVT VII.

Moderandos eſſe Affectus & regendos.

DIuinæ vocis oraculum eſt, *Sub te erit appetitus tuus, & tu dominaberis ei.* Igitur coercendi & refrænandi ſunt affectus cum modum excedunt, & animum vehementius, quam par eſt, abripiunt; regendi verò & intra limites tenendi, cùm in mediocritate conſiſtunt. *Efficiendum* inquit M. Tullius lib. 1. Offic. *vt appetitus rationi obediant, eamq́ nec præcurrant, nec propter pigritiam aut ignauiam deſerant, ſintq́ tranquilli, atque omni perturbatione animi careant: ex quo elucebit omnis conſtantia, omniſq́ moderatio.* Quippè eodem Cicerone teſte pro Sylla, *Regium eſt ita viuere, vt non modò homini nemini, ſed ne cupiditati quidem vlli ſeruias.* Cùm autem nulla maior ſit victoria, quam quæ de ſeipſo reportatur, tum nihil glorioſiùs eſt, quam animi ſui affectus ſub rationis imperio tenere, Hoc lib. 2. Od. 2.

Frenandi illi, qui excedunt, regendi alij.

Latius regnes auidum domando
Spiritum, quam ſi Lybiam remotis
Gadibus jungas, & vterque Pœnus
Seruiat vni.

Et

Et verò quantus vir eſt, qui affectibus ſuis imperat? qui animum vincit, qui iracundiam cohibet, qui libidinem reprimit, qui timore non frangitur, qui deſperatione non perditur? Dicam cum Cicerone, *Hoc qui facit, non ego eum cum ſummis viris comparo, ſed ſimillimum Deo iudico.* Cato maior, vt author eſt Plutarchus, eum optimum & laude dignum eſſe Imperatorem iudicabat, qui proprijs affectibus ſuis imperare ſciret. Seruus enim eſt, vt aiebat Demonax, qui cupiditatibus ſuis imperare non poteſt. Siquidem pulchrius eſt; Diogene dicente, animi ſui perturbationes Philoſophia domare, quàm in Pytijs ludis viros ſuperare. Nunquam Sapientis eſt animo conniuere, aut affectibus quoquomodo indulgere, ne effrenati rationis imperium deſerant. Atque idcircò Politici nequaquam conuenire iudicant, vt quis ad alijs imperandum in Reip. gubernaculis ſedeat, qui non prius animi ſui commotionibus legem ponere ſciat & poſſit.

Additamentum.

THeages, Pythagoricus apud Stobæum ſerm. 1. Quoniam, inquit, virtus morum circa Affectus, & affectuum præcipui voluptas & dolor, liquet non in eo virtutem eſſe, vt eximantur affectus animo voluptas & dolor, ſed vt modificentur & temperentur. Idem ferè ait ex eadem ſchola Archytas, Naſcitur, inquit, ex affectibus virtus, & nata cum illis conſiſtit, ſicut concinna modulatio ex acuto & graui: item temperies ex calido & frigido: iterumq́ue æquilibrium ex ponderoſo & leui. Non igitur tollere affectus opportet; id enim inutile, ſed aptare ad id, quod rationem decori & mediocritatis habet. Seneca Epiſt. 113. Alexander, inquit, Perſas, & Hircanos, & Indos, & quicquid Gentium uſque in Oceanum extendit Oriens, vaſtabat fugabatq́ue. Sed ipſe modò occiſo amico, modò amiſſo, iacebat in tenebris, alias ſcelus, alias deſiderium ſuum mœrens; victor tot Regum atque populorum iræ triſtitiæq́ue ſuccubuit. Id enim egerat, vt omnia potiùs haberet in poteſtate, quam affectus.

O quam magnis homines erroribus tenentur, qui ius dominandi trans maria cupiunt mittere, feliciſſimosq́ue ſe iudicant, ſi multas per milites prouincias obtinent, & nouas veteribus adiungant, ignari quod ſit illud ingens paratum que regnum. Imperare ſibi maximum imperium eſt. Chryſoſtomus hom. 2. in 2. ad Cor. oſtendit affectuum compreſſione hominem verè Regem effici. Reges efficimur, inquit, ſi voluerimus abſurdis imperare cupiditatibus. Nam is domum regnat, & quidem veriùs, quam qui diademate cinctus eſt. Id fuſè perſpicuum facit, & adducit exemplum Abrahami, cui cùm Deus mandauiſſet, vt dilectum filium ſuum occideret, tot cogitationibus & naturalibus affectibus obſiſtentibus dominatus eſt generoſiſſimè. Horat. lib 2. Od. 2.

Latius regnes auidum domando
Spiritum, quam ſi Lybiam remotis
Gadibus iungas, & vterque Pœnus
Seruiat vni.

De modis moderandorum affectuum dicemus infrà ad ſingulos affectus.

CAPVT VIII.

Quanta vis ſit affectuum.

Parua leniorum affectuum Maxima vehementiorum. LEniorum affectuum equidem non magna; blande enim in animos irrepunt, nec corpus graui impetu concutiunt: vehementiorum verò permagna omnino vis eſt. Quippe animos perturbant, & corpus vehementi quadam agitatione commouent, judicium obfuſcant, tranquillitatem mentis tollunt. Interdum tanta concitatio eſt, vt grauiſſimum homo detrimentum accipiat & ſuffocetur: imò ruat impetuq́ue feratur, ac propè inuitus ad vitia compellatur. Quam ob cauſam principijs hic obſtandum eſt, & in radice opprimendi eiuſmodi ſunt affectus. *Cupiditates*, ait Cicero lib. 1. de Finibus, *inſatiabiles ſunt, quæ non modò ſingulos homines, ſed vniuerſas familias euertunt; totam etiam labefactant Remp. Nec* *Exempla.* *hæ ſeſe foris ſolum iactant, nec tantum in alios cæco impetu incurrunt; intus etiam animis incluſæ inter ſe diſſident atque diſcordant.* Herculem mon-

Digitized by Google

monſtrorum illum olim dormitorem, ſub cujus claua mundus contremuit, vna muliercula immanibus armis exuit, & filo ad colum deducendo ſibi ſubegit. Nimirum dum ille potenti amoris affectu vincitur. Alexander Magnus in Indiam profectus à Candace Reginâ, quam deperibat, audire debuit: *Rex Alexander imperium mundi ſuſcepiſti, & captus es à muliere.* Vnus nimirum affectus omnia vincentem Alexandrum vicit. Multi equum agitare norunt, qui nequeunt appetitum cohibere; multi gladium dextrè rotant, qui ab vnâ cupiditate in ambitionem, in ſcelera rotantur: multi flumina tranant ſuperantque, qui in pelago luxuriæ ſubmerguntur. Quanquam de vi ſingulorum affectuum in ſingulis explicandis dicemus. Omnibus hoc commune eſt, ita hominem immutare, vt de iiſdem rebus non eodem modo iudicet. Qui amat, pro delicto nihil habet, aut pro exiguo: contrà qui odit, omnia pro magnis. Item qui concupiſcit, id quod iucundum, bonum cenſet; at qui affectu hoc caret, non item.

Additamentum.

HÆc conſtabit, cùm de ſingulorum affectuum effectibus dicemus. Interim conſtat etiam ex eâ difficultate, quàm in reprimendis coërcendiſque affectibus homines experiantur. Illam deſcribit Dio Chryſoſtomus Orat. 62. Philoſophus, inquit, ſemper ſibi imperat; quod longè difficilius, quàm omnium Græcorum, vniuerſorumque Barbarorum regnum obtinere. Quod enim tam immane hominum genus eſt, vt ſunt iræ, & inuidiæ, & contentiones, quas illum ſibi ſubiugare oportet? Quod etiam tam aſtutum & inſidioſum, proditoriumque, vt voluptates atque concupiſcentiæ, à quibus eum vinci nunquam oportet? Quid denique tam violentum ac formidoloſum, animoſque humilians, vt timores & triſtitiæ, quibus nunquam eum cedere decet? Subiungit paulò pòſt, eum, qui hoc imperium fortiter & moderatè regit, non difficile eſſe, omnium hominum fieri ſupremum. Maximus Tyrius ſerm. 17. Improbitatis fontes, primaque mali huius cauſa ex illuvie quaſi & exundatione exiſtit, quotieſcumque ille affectuum feruor animum accendit; quoties pullulantem quaſi & efflorentem. Rationis vim confundit, Non aliter, quam hiberni torrentes ſolent, qui ſi legitimum ſuum alueum ſemel excedant, ſataque ac plantas agricolarum inuadant, penitùs ea inundant ac deſtruunt. Eodem modo immodicis turbata affectibus anima, rationis præſcriptum excedit, falſæque in ea improbæque opiniones, & quæ cum natura eius pugnant, offerre ſeſe incipiunt. Planè hoc ipſum, quod ebrijs euenire ſolet. Nimia enim illa crapula, morbos, qui intus latent, educit, non ſecus, quàm è latibulis ſuis per ſerpentes educuntur beſtiæ; atque ita mentem confundit; eamque voces non ſuas, ſed eiuſmodi belluarum cogit proferre.

CAPVT IX.

Vnde eueniat, quod animi affectus corpus etiam afficiant, & contra.

EA etiam affectuum vis eſt, vt non animum tantùm, ſed ipſum quoque corpus afficiant. Repentinum aliquando gaudium, aut inopinata triſtitia ſæpè morbum, non rarò mortem adfert. Dolor animi magnum corporis tormentum eſt. Quinimò, vt ait Marſilius, *Moleſtia tetri cuiuſdam ſpectaculi guſtum inficit, & prouocat nauſeam ſolo aſpectu. Pueri nonnunquam & grandiores, cùm amaram potionem offerri vident, ſtatim ſentiunt amaram in ore ſaliuam, quam vehemens mouet imaginatio. His nonnunquam tali quâdam cogitatione alvus quoque laxatur. Et quod mirabile eſt, nonnullis ſtupefiunt dentes & aſpectu aliquo & auditu.* Contra quidquid corpori voluptatem adfert, gaudere animum & geſtire facit. Si quod inflictum ſit corpori vulnus, præcipuus animi dolor eſt, qui de remedio vndequaque ſollicitus eſt. Quænam igitur eſt cauſa? Arcta nimirum illa coniunctio animi corporiſque; ille affectuum flammas excitat, hoc *Cauſa eſt in primis arcta eorum coniunctio.*

hoc flammas recipit & accenditur, & commouetur; ille ſi ad bonum tendat, hoc ſequitur; ſi malum fugiat, hoc timore, odio, mœſtitiâ, dolore concutitur & ſanguinem ſuum, vt Animo ſuccurrat, aut diffundit in membra, aut ad cor reuocat. Communicant ambo, quicquid agunt, aut perpetiuntur; vinculo quodam continentur, & communem habent aut lætitiam, aut dolorem. *Nec enim aliud eſt homo, quam corporis animiq; concretio*, inquit Chryſoſt. homil. de Lapſu primi hominis. Cùm affligitur corpus aut exultat, cùm per ſe ſine animo nihil poſſit; idipſum commotis perturbationibus ſuis Animus teſtatur, & ſe non ignorare oſtendit. D. Auguſt. lib. 6. de Muſicâ, *Videtur mihi anima*, inquit, *cùm ſentit in corpore non ab illo aliquid pati, ſed in eius paſſionibus attentiùs agere, & has actiones ſiue faciles propter conuenientiam, ſiue difficiles propter inconuenientiam, non eam latere, & hoc totum eſt, quod ſentire dicitur.* Hæc proinde cùm tanta vis ſit, & duplex periculum, nihil indulgendum eſt cupiditati, coërceri verò & vinci debet. Veriſſimè & pulcherrimè Cyprianus lib. de Bono pudicitiæ: *Qui cupiditates tollit, & metus ſuſtulit; nam ex cupiditatibus metus veniunt: qui cupiditates vincit, de peccato triumphat; qui cupiditates vincit, metum generis humani ſub pedibus ſuis iacere oſtendit; qui cupiditates vincit, pacem ſibi perpetuam dedit; qui cupiditates vincit, libertatem ſibi, quod eſt etiam ingenuis difficillimum, reddidit.*

Alia cauſa.

Additamentum.

CAuſam hic aſſignamus arctam animi corporiſque coniunctionem. Iſidorus Peluſ. lib. 4. Epiſt. 125. Illud dixerim, diuinum eſſe vinculum, quod colliget ea, quæ plurimum inter ſe diſtant, & communionem ac ſocietatem quandam ineffabilem eſſe animæ incorporeæ cum corpore, & indicibilem eſſe conſenſionem atque affectionem mutuam inter immortalem ſubſtantiam & mortale inſtrumentum, vt ipſi quoque Platoni videtur. Galenus autem hoc à ſe ne intelligi quidem poſſe ſimulat. Ideò autem hoc factum eſt, vt anima magno ſibi ſtudio habeat curam corporis, non quidem vt carnoſitate quâdam ſaginetur, atque intumeſcat, ſed tantum, vt rectè valeat, cùm anima, ſi eam valetudinis curam negligat, luitura ſit eam corporis intemperiem, & inde incommodum perceptura, quamuis non propriâ & principali noxâ, attamen per conſenſum. Intemperies enim corporis, vt ebriètas, animæ quoque illam affectionem tranſmittit. Ipſa verò perinde, vt gubernator in magna tempeſtate deprehenſus, iactatuſque, perturbatur, & ſuam ſcientiam non declarat ſubmerſa &c. Affectus ergò corporis & animæ quodammodò mutui ſunt ob ſympathiam & connexionem ſacultatum ſubordinatarum, & facultatum ſuperiorum, id eſt appetitus & voluntatis. Nec mirum eſt, cum anima corpori ſit immixta, in eoque tanquam in ſubiecto inhæſionis, vt Philoſophi loquuntur, exiſtat, & ſuas operationes per facultates corpori inhærentes exerceat, ſi in eam illa tranſfundantur, quæ in corpore contingunt, & contrà. Ex hoc malè & in naturam noſtram contumelioſè Galenus venit in ſuſpicionem, quod hominum anima corporea eſſet. Fatetur enim, quod ſi anima non ſit vſquequaque corporea, non poſſe intelligere, cur flaua bilis in cerebro copioſè collecta delirium invehat; cur ſtultitiam cicuta propinata conciliet, alia eiuſ. modi. Illa verò animæ turbatio oritur, non quia anima corporea eſt, ſed propter illam ſympathiam, de qua ſuprà.

TITV-

TITVLVS II.

De Amore.

CAPVT I.

Quid ſit Amor, & quotuplex.

Definitio amoris.

AMOR eſt concupiſcentis appetitus commotio ex obiectâ boni ſpecie ſeu cognitione proueniens. Cùm enim aliquid offertur, quod aut verè bonũ eſt, aut boni ſpecie placet, eâ opinione appetens animi facultas, vt illud obtineat ac perfruatur, commouetur. Adeoq; Amor quædam eſt voluntatis inclinatio, ad id, quod bonũ exiſtimatur, propendens.

Diuiſio prima. *Secunda.*

Diuidi variè poteſt. Atque inprimis trifariam, vt vnus ſit amor boni honeſti, alter boni vtilis, tertius boni jucundi. Deinde verò vnus eſt, qui ab Appetitu ſentiente proficiſcitur, alius qui à Voluntate. Hic verò dilectio potiùs, quam amor appellatur. Si in Deum & proximum ſit, Charitas eſt; ſi in parentes & rectores, Pietas; ſi externâ ceremoniâ ſe prodat, Cultus dicitur; ſi per eum non tantùm diligamus, verùm etiam bonum optemus, Beneuolentia nuncupatur; ſi mutuus ſit amor, Amicitia nominatur.

Diuiſio Platonis.

Plato duplicem amorem conſtituebat. Bonum vnum, quem Cacodæmonem & Superiorem appellabat, cuius munus eſſet efficere, vt homines res diuinas proſequerentur. Alterum malum, quem Cacodæmonem & Inferiorem dicebat, per quem ſubſtantiæ ſuperiores erga inferiores inclinarentur, & homines erga res terrenas. Idem vt Amorem maximum eſſe affectum declararet, illum inter ſpecies furoris numerauit, quarum primam Vaticinium ponit, cui Apollo præeſt; ſecundam Myſterium, cui Bacchus; tertiam Poëſin, cui Muſæ; quartam Amorem, cui Venus. Sed hic Veneris eſt Amor.

Alia diuiſio.

At verò cum Diuini verbi Oraculo teſte, *Quicquid eſt in mundo, aut eſt concupiſcentia oculorum, aut concupiſcentia carnis, aut ſuperbia vitæ*, vitioſus quicunque eſt Amor, aut ad honores & dignitates tendit, & eſt Ambitio; aut ad diuitias, & eſt Auaritia; aut ad voluptates, & eſt Libido ſeu Luxuria. De his ſuo loco.

Additamentum.

QVIDAM Amorem definiunt motum, quo cor appetit aliquid ceu verè bonum, ceu quod videtur bonum, idque quaſi attrahere, ad ſe geſtit, vt eo potiatur & fruatur. Alij dicunt eſſe affectum, quo animus bonum adamatum ſibi coadunari cupit, & vnum quaſi cum illo fieri. Ludouicus Viues lib. 3. de Animâ, Si homini, inquit, bonum oblatum ſit, primò exiſtit allubeſcentia, quæ confirmata amor eſt, qui voluntatis inclinatio ſeu progreſſus ad bonũ eſt. Scaliger exercit. 317. ſect. 1. Amor, inquit, eſt affectus vnionis, cuius cauſa ſpecies ſeu repræſentatio ac forma illa, quæ accidit animo, vt in eo creet diſpoſitionem vnionis. Ariſtotelica definitio eſt, Amor eſt volitio boni alicui. At verò velle bonum alicui, videtur quædam eſſe amoris proprietas. Quidam ex Dionyſio cap. 4. de Diuin. Nomin. colligunt amorem propriè loquendo eſſe vnionem affectiuam amantis ad rem amatam. Ita etiam docet D. Th. 1. 2. q. 28. a. 1. vbi ait amorem fundari in quodam genere vnionis, per cognitionem apprehenſæ inter amantem & amatum. Conſonat Auguſtinus 8. de Trinit. cap. 10. his verbis, Quid eſt amor, niſi quædam vita, duo aliqua copulans, vel copulare appetens, amantem ſcilicet, & quod amatur? Sed hoc de amicitiâ dictum videtur.

Diuidi Amor pro varietate rerum, in quas fertur, poteſt. Ad diuiſiones hic propoſitas addi illa poteſt, quâ amor alius eſt amicitiæ, alius concupiſcentiæ; ille ad perſonam, hic ad rem amatam terminatur.

CAPVT

CAPVT II.

Quot, & quæ Amoris ſint cauſæ.

Tres ſunt. AMORIS tres potiſſimùm ſunt cauſæ. Prima eſt boni pulchríque
1. cognitio. Hæc enim appetitum excitat, & voluntatem impellit.
2. Secunda ſimilitudo eſt. Eſt enim ea velut natura vna in multis: quo fit, vt aliquis ſibi ſimilem tanquam ſeipſum apprehendat, atque ita, quæcunque vnius animum alterius animo ſimilem reddunt, amorem generant. Hinc iſta jam in Prouerbijs, *Similis ſimili gaudet.* Item *Similes ſi-*
3. *milibus facile congregantur.* Tertia eſt amor ipſe amoris cauſa, cùm quis ſe ab alio amari intelligit. Quippè Amor magnes eſt amoris. *Si vis amari, ama,* inquit Seneca. Eum, à quo homines amantur, bonum credunt, & vt bonum diligunt. Deinde verò ejus, quem amat, faciem imaginemque quandam ſuo in animo amans inſculpſit, & illius animus quoddam quaſi ſpeculum exiſtit, in quo, dum ejus, qui amatur, ſpecies relucet, & is ſe in amantis animo intuetur, amare illum ſanè compellitur. Nónne etiam maximum, quod conferre amans poteſt, beneficium eſt amor? Qui amat, ei, quem amat, voluntatem ſuam tradit; quæ cùm in homine ſit Regina, facultates hominis omnes ſecum trahit. Quod cùm ſit, nihil in amante ſupereſt, quod in eo non ſit, qui amatur. Atque idcircò, viuit amans in eo, quem amat, de eo loquitur, nihil vult, nihil odit, niſi quod eum velle & odiſſe nouit.

Additamentum.

PRIMA amoris cauſa bonum & pulchrum; nam omnia bonum appetunt; pulchritudo facit, vt maius videatur. Sed cognitum eſſe debet. Nam, ut ait Propertius lib. 2.

Quod latet, ignotum eſt, ignoti nulla cupido,
Si neſcis, oculi ſunt in amore duces.

Et Ludouicus Viues, Tantùm amatur bonum, quantum de illo poſſumus intelligere. Apud Græcos idem pulchro & bono nomen, adeoque nihil bonum, quod non pulchrum amanti. Pulchritudo corporis externa magnam vim habet ad amorem conciliandum; imago enim animi eſſe videtur, cùm de eo malè conſtituto aliud iudicium non eſt. Hinc iuxta Pub. Mimum, Formoſa facies muta commendatio. Quippè ex pulchritudine externa internam æſtimamus. Maximus Tyrius diſſert 11. Putáſne, inquit, alterius rei amorem, quam pulchritudinis amorem eſſe? Nihil minus enim, quam amor eſſet, niſi circa ipſum pulchrum verſaretur. Et paulò pòſt: Nihil pulchrum autem dici poteſt, quod cum damno aut periculo coniunctum eſt, quod flagitia patrat, quod in miſeriam, quod in calamitatem hominem deducit, quod in pœnitentia deſinit. Idem Maximus proinde ait, eos, qui voluptatem, nempè fœdam & inhoneſtam, ſequuntur, non amare, ſed concupiſcere. Vnde fit, ut inhoneſtorum & fœdorum nullus ſit amor. Imò fœdus amor ſi dicatur, eſt animi exlegis & effrænis, vel petulantia quædam, vel amoris idolum, ut ait D. Dionyſius, aut à vero amore prolapſio. D. Auguſtinus coinquinationem veræ amicitiæ, Pythagoræi iniuriam vocant.

Secunda eſt ſimilitudo. Hinc illa apud Ariſtotelem lib. 8. Eth. Simile appetit ſimile; & lib. 9. Simile ſimili amicum; apud Platonem in Conuiuio, Simile ſimili ſemper propinquum. Apud Laertium in vita Platonis, Canis cani pulcherrima, & vacca bovi, & aſina aſino, & ſus ſui. Theocritus Idyll. 9. Formicæ grata eſt formica, cicadę cicada, accipiter placet accipitri. Ratio eſt, quod in ijs, qui nobis ſimiles ſunt, eluceſcamus ipſi, tanquam in ſpeculo, vt eſt apud Ariſtotelem 2. Mag. Moral. cap. 28. nemo autem eſt, qui ſeipſum non impensè diligat. Hanc cauſam amoris adeò efficacem affirmat Nazianzenus Orat. 18. vt dicat ſimilitudinem ſtudiorum & inſtitutorum non minùs deuincère, quam conſanguinitatem & affirmitatem. Verùm quidem dici ſolet, Figulus figulum odit; ſed idcircò, quia in bono adipiſcendo ſe inuicem impediunt. Hæc porrò ſimilitudo extendit ſe ad omne idem inſtitutum, ſtudium, conditionem, æqualitatem; vnde fit vt etiam ſimul peregrinantes, ſimul militantes, ſimul ſtudentes ſe ament, M. Antoninus Philoſophus,

phus cùm ad imperium evectus eſſet, condiſcipulos olim ſuos honoribus & divitiis auxit.

Tertia eſt Amor, amoris Philtrum. Cùm enim exiſtimemus eum, à quo amamur, bonum eſſe, nihil promptius eſt, quàm in eum benevolentia ferri. Divus Ambroſius 2. Off. cap. 7. Ad incentivum caritatis communis plurimum proficit, ſi quis vicem amantibus reddat, nec minùs redamare ſe probet, quam ipſe amatur, idque amicitiæ fidelis probatur exemplis. Quid enim tam populare, quam gratia? quid tam inſitum naturæ, quàm ut diligentem diligas? quid tam inolitum atque impreſſum affectibus humanis, quàm ut eum amare inducas in animum, à quo te amari velis? Fabula apud Themiſtum eſt, quod cùm Amor editus à Venere eſſet nec creſceret, conſulta Themis reſpondit, creſcere enim ſolùm non poſſe opus eſſe Anterote, ut Eros creſcat, mutuò alterum alteri incrementi cauſam futurum. Quamprimùm autem Anterotem Venus genuit, ſtatim Eros cœpit grandior fieri. Porrò cum hac amoris cauſa affinitatem habet imitatio aptiſſima Amoris conciliatrix. Facilè enim adducuntur homines ad illum amandum, quem imitatione ſibi conjunctum vident. Plura de his lib. 4. cùm de Amicitia dicemus.

CAPVT III.

Quot & quinam Amoris ſint effectus.

EFfectus Amoris octo præcipui ſunt. Primus eſt amantis cum eo, qui *Octo ſunt.*
amatur, unio. Ambo enim voluntate & animo unus ſunt, idem vo- *1. Vnio.*
lunt, idem ſapiunt.

Secundus eſt mutua quædam conjunctio, quâ ſibi invicem adhærent. *2. Mutua conjunctio*
Quippè, ut Divus ait Bernardus, *Verius eſt anima, ubi amat, quàm ubi*
animat. Et quomodo ſibi adhærent, qui invicem ſe amant? Nimirum
per inclinationem, quâ in ſe mutuo propendent; per appetitum, quo ſe
deſiderant; per vim apprehendentem, quâ ſe ſibi objiciunt. Pulchrè Plato,
Amator animus in proprio mortuus, in alieno corpore vivit, & in ſe mortuus, in alieno reviviſcit. Vna verò mors in amore duplex eſt reviviſcen-
tia. Moritur enim qui amat in ſeipſo, dum ſe negligit, ac reviviſcit in eo,
quem amat, cujus ardenti cogitatione deſiderioque continetur; iterum re-
viviſcit, dum in eo ſe recognoſcit.

Tertius eſt quædam extaſis, & velut à ſeipſo alienatio, dum amans de *3. Extaſis.*
alio, non de ſe cogitat, & alterius, non ſuum bonum, inquirit. Hujus au-
tem extaſis, quæ ex vehementi amore exoritur, tanta quandoque vis eſt,
ut omnes facultatum omnium animi actiones impediat, idque propter
ſummam amatæ rei bonitatem pulchritudinemque, in cujus admiratio-
nem qui amat, ruptis quaſi frænis, abripitur. Talis eſt primus in fœminam
juvenilis calor.

Quartus eſt zelus quidam; amor nimirum ardentiſſimus. Ex eo id con- *4. Zelus.*
ſequitur, ut dum amans amittere metuit quod amat tanquam ſeipſum,
adverſus id omne concitetur, impedire quod poteſt; & quod impendet,
amoliri malum conetur.

Quintus eſt languor cùm ab amante res amata longius receſſit, quam ut *5. Langor.*
conſequi, aut ea frui poſſe putet. Cum enim toto eam affectu proſequitur,
languet animus & corpus ſimul. Et hic corporis languor gravem arguit
animi affectionem.

Sextus lachrymæ. Cor enim amore incenſum ita aperitur dilataturque, *6. Lachrymæ.*
ut colliqueſcere videatur, unde lachrymæ paulatim erumpunt. Et quem-
admodum cera liquefacta ſygilli impreſſionem recipit, ita liquefactum
hoc modo cor rei amatæ effigiem magno impreſſam affectu facillimè con-
cipit.

Septimus eſt fervor quidam. Nam ſicut aqua ita calefit aliquando, ut *7. Fervor*

ferveat, ita cor exardeſcendo fervet. Hujus fervoris ſignum eſt promptitudo quædam ad id omne, quod amata res exigere videtur, exequendum præſtandumque.

8. *Amentia.* Octauus eſt amentia. Vehemens quippè & aſſidua rei amatæ cogitatio ſpiritus in cerebrum evocat, & eorum ardore non exſiccat cerebrum tantùm, verum etiam adurit, ſenſuumque internorum organa, atque illorum temperiem ita diſſolvit, ut ſua obire munera non poſſint.

Sunt & effectus alii, ſed hi paſſim obvii, ut bonorum communicatio; promptum auxilium, ſincera fides, & id genus.

Additamentum.

VT effectus amoris hic enumerati ecgnoſcantur, eius energia eſt perſpicienda, quam docet Max. Tyrius diſſert. 10. Eſt, inquit, generoſum quid amor ac ingenium, ipſaque ſparta magis liberum. Solus enim, omnium, quæ hominibus adeſſe ſolent, ſi quem verè occupaverit, nec opes admiratur, nec Reges metuit, nec Regiam ſtupet, nec judicium horret, aut mortem vitat. Non bellua vlla, non ignis, non præceps locus, non mare, non enſis, non laqueus metum incutit. Sed & inuia penetrat, & periculoſa ſuperat, & quæ alij metuunt, facilè contemnit, & quæ alijs difficilia videntur, facilè efficit, &c. Nazianzenus orat. 18. Dulcem tyrannum appellat. Videri poteſt D. Auguſtinus ſerm. 9. de Verbis Chriſti, vbi nihil eſſe oſtendit, quod amor pati homines non cogat, concluditque, in eo, quod amatur, aut non laboratur, aut & labor amatur. Nimirum omnes alij affectus, amori obſecundant, & ad eius nutum concitantur. Id Euripides ſignificavit, cùm amorem docere Muſicam ſcripſit, vt refert Plut. 1. Symp. quæſt. 5. Orpheus amorem, Dulce amarum, nominavit, quia torquet amantem propter rei amatæ abſentiam aut defectum. Fingitur puer & cæcus, quia, cùm in multa & vehementi ſpiritus motione conſiſtat, ſinceritatem judicii, & mentis ſerenum obnubilat. Item multa amantium loquacitas eſt. Vnde Chryſoſt. in Pſal. 41. Hic eſt mos amantium, inquit, amorem non celare, ſed enunciare vicinis, & dicere ſe amare. Ardens enim res eſt natura dilectionis, nec poteſt animam ſuſtinere, ut eam ſilentio teneat. Ex eodem fervore fit, vt amor pati moras non poſſit. Hinc illud Amanti vnam diem eſſe inſtar totius vitæ; quòd ex Theocrito refert Nazianzenus orat. 18. Plato in conuiuio plurimos amoris effectus complectitur, vbi loquens de amore, Hic Deus eſt, inquit, qui pacem largitur hominibus, mari tranquillitatem, menti requiem, cubile viuentibus, ſomniumque in curis. Hoc ruſticitatem à nobis amouet, familiaritate nos conciliat, cœtus huiuſmodi omnes congregans, &c. Videri poteſt Plutarchus in opuſculo de Amore, & Patricius lib. 4. de Regno tit. 11. Inter hos effectus ille maximus eſt, quod amor faciat amantem eſſe in amato; voluntas enim, quæ eſt appetitiua, trahitur ab amato, & ad illud per amoris progreſſum quodammodò vadit. Indè Chriſtus dixit, Vbi theſaurus tuus, ibi & cor tuum erit. Quod exemplo cuiuſdam auari comprobatum eſt, cuius cor ſtatim à morte auro infoſſum intra arcam repertum eſt, vt legitur in actis ſancti Antonii Vlyſſiponenſis.

CAPVT IV.

Exempla quibus jam dicti effectus declarantur.

Debutadis DEbutadis Sicyonii filia cùm ſponſi in militiam abeuntis ſummo deſiderio teneretur, ut eo minus contabeſceret, ſolatium hoc modo quæſivit. Et ſponſi amati facie umbram aliquam in pariete lineis tantùm carbone ductis circumſcripſit. Vt nimirum ita ipſa in amato ſponſo viueret, quæ in ſe moriebatur. Vnde Theophraſtus amorem tacitam appellat deceptionem.

Socrates. Socrates autem amorem modici temporis tyrannidem eſſe definiebat, quod qui amat perpetuo igne torreatur, nunquamque quieſcat, & contrariis perturbationibus agitetur. Hinc adoleſcens ille apud Plautum in amoris

Adoleſcentis cuiuſdam.

amoris diſſicultatibus ejulans, *Lactor*, inquit, *crucior, agitor, ſtimulor, verſor in amoris rota, miſer exanimor, feror, diſtrabor, diripior, ubi non ſum, ibi ſum, ibi eſt animus.* Quid verò inſanius, quàm à ſelpſo diſcedere, nec ſecum habitare, ſed in alieno corpore degere, & mancipii inſtar imperium ſubire? Hanc ob cauſam Poëta Menander, Amorem imperioſum Regem appellat. L. Quintius Flaminius cùm veſano Placentinæ meretricis amore flagraret, eius imperio ſervum unum ſecuri percuſſit. Catilina amore Aureliæ Oreſtillæ inſaniens filium ſuum egregiæ juvenem indolis occidit, quod illa vivo filio nuptias recuſaret. L. Vitellius libertinæ cujuſdam amore ita demens factus erat, ut ſalivis ejus melle commiſtis quotidie palàm arterias & fauces pro remedio foveret. Mithridates abeſſe ab Hipſicratea ne puncto temporis poterat: ideoque illam ad arma ſecum tonsâ comâ & virili habitu circumducebat. Demetrius Antigoni Regis filius nimio ſcorti cujuſdam amore ſauciatus aliquando decubuit. Illum cùm die quodam Rex pater inviſeret, ante cubiculi fores ſcortum reperit; tum ingrediens bono eum eſſe animo jubet, quod remiſſior venarum & arteriarum motus eſſe videretur. Fatente Demetrio, quod meliuſcule ſe haberet diſcedente febre, ſubridens pater, *Ita eſt*, inquit, *ego eam pro foribus cubiculi inveni.* Idem fere refert de Seleuci Syriæ Regis filio Plutarchus. Hic cùm propter Stratonicæ novercæ ſuæ amorem de vita periclitaretur; deprehendit idipſum Eraſiſtratus medicus ex remiſſione intenſione que febris ad novercæ acceſſum ac diſceſſum. Cui proinde pater nimium ſane indulgens propriam ceſſit uxorem.

L. Quintii Flaminii Catilinæ. L. Vitellii.

Mithridatis.

Demetrii.

Filii Seleuci.

Xenophontis.

Innumera eiuſmodi ſunt furoris & ægritudinis paſſim apud Hiſtoricos & Poëtas pleniſſima exempla. Adjiciamus hic poſtremò Xenophontem. Hic Cliniam puerum ita deperibat, ut cùm ab eius oculis abeſſet, continuò lachrymaretur, atque etiam diceret, quod ſi ea Iovis eſſet voluntas, ut oculis captus ſolum Cliniam cerneret, & ad reliqua omnia cœcus eſſet, vel reliqua omnia videret, Cliniam autem intueri non poſſet, eligeret ſolum Cliniam intueri.

Additamentum.

AD exempla hic allata addi illud imprimis poteſt. Duo amici, referente Platone, ſimul iter inſtituentes caſu in Vulcanum inciderunt, à quo cùm inſtanter vrgerentur, vt à ſe, quod in hoc mundo potiſſimum optarent, efflagitarent, Nos ambos, inquiunt, camino tuo inijce, vt fundamur; aut in incude tuâ ita contunde, vt è nobis duobus vnum tantum efformes. Nimirum, vt dicebat Ariſtophanes, deſiderant amantes in ſe invicem tranſmutari, vt non duo, ſed vnus ſint. Deindè Arthemiſiæ Reginæ Cariæ exemplum, cuius tantus in maritum Manſolum amor fuit, vt cùm ille obijſſet, nec pati ipſa eius abſentiam poſſet, curauerit cadauer ipſius in cineres redigi, quos vino permixtos hauriebat, vt vinum eſſet chariſſimi viri ſui ſepulchrum. Plura alibi.

CAPVT V.

Quid Antiqui de Amore Venereo ſenſerint,

Opinio Veterum Phyſicorum.

VEnereum Amorem Phyſici Veteres furorē ex complexione ſimili natum eſſe crediderunt; vel certè facinationem quandam per oculos ad cor immiſſam; vel potiſſimùm cujuſdam furoris ignem, quo hominis præcordia ſuccendantur. Vnde Poëta:

Namque vbi membrorum vultus diſcordia concors
Fulſerit, & grata fuerit compage reuincta,
Ipſa oculos afflat ſubito, celerique meatu
Labitur affecti tacita ad præcordia cordis,

Idque

Idque trahit veluti Chalibem magneſia cautes,
Et tractum incendit, generatque in pectore flammam,
Illecebris fotam placidis, gratoque decore.

Experientia. Experientia fidem his facit; in quorundam enim amatorum corporibus viſa ſunt viſcera calore contracta, hepar infumatum, pulmones aſſati, cor pæne aduſtum, cæteræ partes læſæ.

Opinio Aſtrologorum. Aſtrologi Amorem eſſe dicunt parvos quoſdam ex ſanguine vapores, qui per oculos ad cor immittantur, ac poſtea reverti geſtientes conceſſâ voluntate deſiderium abripiant ejus, in quo ſunt, omnemque adimant libertatem. Ex qua miſeria hæ voces ſunt & vota apud Tibullum:

O ego non poſſem tales ſentire dolores,
Quam mallem in gelidis montibus eſſe lapis!
Stare vel inſanus cautes obnoxia ventis,
Naufraga quam vaſti tunderet vnda ſali.

Fuerunt nonnulli, qui de amoris natura dicerent, *Amorem eſſe neſcio quid, quod & viâ neſcio quâ procederet, & igne neſcio quo inflammaret.* Prodicus, teſte Stobæo, cupiditatem geminatam, aiebat, amorem eſſe; amorem verò geminatum inſaniam fieri. Plautus Amorem primam apud homines carnificinam fuiſſe commentum affirmat. Vnde cùm Eunuchus quidam cum Regis Babyloniæ pellice deprehenſus eſſet, & quid de Eunucho faciendum eſſet, præſentem Apollonium Philoſophum Rex interrogaret, *Quid niſi*, inquit, *ut vivat?* Admitante Rege, ſubjecit, *Omne ſupplicium ob amorem, ſi vivit, patitur.*

Additamentum.

De illo Propertius lib. 2. ſymbolicè Venerei Amoris effectus expreſſit his verſibus:

Quicunque ille fuit, puerum qui pinxit amorem,
Nónne putas miras hunc habuiſſe manus?
Hic primum vidit ſine ſenſu vivere amantes,
Et levibus curis magna perire bona.
Idem non fruſtra ventoſas addidit alas,
Fecit & humano corde volare Deum.
Scilicet alterna quoniam jactamur in vnda,
Noſtraq; non vllis permanet aura locis,
Et merito hamatis manus eſt armata ſagittis,
Et pharetra ex humero Gnoſiia vtroque jacet.
Antè ferit quoniam tuti quam cernimus hoſtem,
Nec quiſquam hic illo vulnere ſanus abit.

Plautus in Mercatore graphicè luem amotis deſcribit:

Amorem hæc cuncta vitia ſectari ſolent,
Cura, ægritudo, nimiaq; elegantia.
Hæc non modo illum, qui amat, ſed quemque attigit,
Magno atque ſolido mulctat infortunio,
Nec pol, profectò quiſnam ſine grandi malo
Præ quam res patitur ſtuduit elegantiæ.
Sed amori accedunt etiã hæc quæ dixi minus,
Inſomnia, ærumna, error, terror, & fuga,
Ineptia, ſtultitiáque, adeò & temeritas,
Incogitantia excors, & immodeſtia,
Petulantia, cupiditas, & malevolentia.
Inhæret etiam aviditas, deſidia, injuria,
Inopia, contumelia, & diſpendium,
Multiloquium, pauciloquium. Hoc adeò fit, quia
Quæ nihil attingunt ad rem, nec ſunt vſui, hæc
Amator profert ſæpè adverſo tempore.
Hoc pauciloquium rurſus idcirco prædico,
Quia nullus vnquam amator adeò eſt calide
Facundus, quæ in rẽ ſint ſuã, vt poſsit loqui.

Plura apud Baptiſtam Platinam dialogo contra Amores, apud Alexandrum Philoſophum lib. 1. Problem. quæſt. 87. apud D. Hieronymum ſub finem primi libri adverſus Iovinianum.

CAP.

CAPVT VI.

Quæ remedia ſint contra perverſum & nimium Amorem.

VAria equidem ſunt, aliqua hic ſuggerimus. Primum eſt, à re perverſa cogitationem avertere, ne boni ſpecies, quæ in illa apparet, ſenſibus imprimatur. 1.

Secundum, vitandum eſt otium ſeu deſidia, & honeſtiſſimis pulcherrimiſque rebus mens occupanda. Theophraſtus apud Stobæum, quid amor eſſet, interrogatus, *Animæ*, inquit, *otioſæ affectus*. Et Diogenes, apud Laërtium, *Amorem otioſorum negotium* appellat, quòd otio deditos potiſſimùm hic affectus occupet. Ovid. lib. 1. Remed. 2.

Ergò vbi viſus eris noſtra medicabilis arte,
Fac monitis fugias otia prima meis.
Hæc vt ames faciunt, hæc, vt fecere tuentur.
Hæc ſunt jucundi cauſa cibuſque mali,
Otia ſi tollas periere cupidinis arcus,
Contemptæq; jacent & ſine luce faces.
Idem. *In vacuo pectore regnat amor.*

Tertium eſt, ut amans mala omnia, quæ circa rem amatam occurrere poſſunt, diligenter examinet, ponderetque. Nihil enim non multis defectibus obnoxium eſt. Ita verò fiet, ut deterritus malis animus alienetur. Rectè Naſo monet: 3.

Quale ſit id quod amas, celeri circumſpice mente,
Et tua læſuro ſubſtrahe colla jugo.

Credendum quod Euripides in Medea dicit: ***Mortalium amores quam magnum malum!***

Quartum eſt, id ſibi perſuadere, omninò nihil amandum eſſe, niſi quod ſumma cum dignitate honeſtateque conjunctum eſt. Quippè turpiſſimum eſt, aut turpiter amare, aut rei perſonæve indignæ amorē ſuum conſecrare. 4.

Quintum eſt, luxui modum ponere, & delicatioribus cibis, conviviiſque frequentioribus non aſſueſcere. Vnde Seneca in Octavia: 5.

Vis magna mentis, blandus, atque animi calor,
Amor eſt; juventâ gignitur luxu, otio
Nutritur inter læta fortunæ bona.
Quem ſi fouere aut alere deſiſtas, cadit,
Breuique vires perdit extinctus ſuas.

Sextum eſt, principiis obſtare. Extinguendus enim in prima ſcintilla hic ignis eſt. Suggerit hoc remedium Ovidius lib. 1. Remed. 6.

Dum licet, & modici tangunt præcordia motus,
Si piget, in primo limine ſiſte pedem.
Opprime dum noua ſunt ſubiti mala ſemina morbi,
Et tuus incipiens ire reſiſtat equus.
Nam mora dat vires. &c.
Idem. *Flamma recens paruâ ſparſâ reſedit aquâ.*

Prodeſt etiam nullam rei aut perſonæ amatæ imaginem apud ſe, vel etiam in animo retinere. Vnde idem ſemper Poëta lib. 2.

Si potes, & ceras remoue; quid imagine muta
Carperis? hoc perijt Laodameia modo.

Amplius verò eodem monente Poëta

Scripta caue relegas, blandæ ſeruata puellæ,
Conſtantes animos ſcripta relecta mouent.

Immane remedium Aurelio Imperatori ſuggeſtum pro uxore Fauſtina fuit, quæ cùm viliſſimi gladiatoris amore incenſa atque amens & languens eſſet, in ea tantæ flammæ extingui aliter, quam ejuſdem gladiatoris ſanguine, quem potavit, non potuerunt. Crates autem tria amore laborantibus remedia proponebat; famem in primis; hæc ſi non prodeſſet, tempus; illo uti ſi non liceret, laqueum.

Monitiuncula. Extremum hoc addo, violentiſſimam hanc ſine violentia perturbationem eſſe. Invadit enim ſuaviter, ut ſtranguleſt crudeliter; mel offert, ut felle ſatiet. Aliena pulchritudo non noſtrum eſt, ſed alienum bonum, lilium breve, unius diei roſa; citius marceſcit, quàm floreſcit. Et quid aliud eſt, quàm corporis unius color? Mirari in ea qui aliquid cupit, naturæ induſtriam & peritam ejus manum miretur. Hanc contemnere tamen glorioſius eſt, quam poſſidere. Nullum militare facinus aut Alexandri aut Scipionis gloriam tam altè provexit, quam oblatarum quondam mulierum contemptus, quarum quanquam eſſet excellentiſſima forma, tum multò laudabilior eſt Heroum iſtorum, quod de ea nihil delibare voluerint, gloria.

Quæſtiuncula. *An amatoribus, ut vulgo fertur, longum omne ſit tempus.* Dici ſolet, *Quæ res ſunt graves in Amore? Moræ.*

Et ille apud Virgilium:

Si mihi non hac lux toto ſit longior anno.

Quipppè ut Sapiens ait Proverb. 14. *Spes quæ differtur affligat animam,* Ita quidem furioſis illis amatoribus moræ omnes ſunt longæ: ac qui fide ſpeque nituntur, nihil in mora ponunt. Fides amorem certum facit, ſpes jucundum. Patriarchæ Iacob ſeptem illi anni, quibus pro ſpecioſiſſima Rachele ſervivit, pauci viſi ſunt dies.

Additamentum.

FRanciſcus Petrarcha lib. 1. de Remedijs vtriuſque fortunæ dialogo 69. accommodatiora ad hunc affectum ſedandum remedia ita proponit. Hæc ſunt, inquit, quæ de multis electa probauerim, loci mutatio, quæ, vt corpori, ſic animo ægrotanti, ſalubris interdum eſt; euitatio omnium fugaque diligens, quibus amati vultus in memoriam retraharis; occupatio quoque traductioque animi ad alias curas nouaſque ſollicitudines, quibus morbi veteris veſtigia deleantur; cogitatio vehemens, & aſſidua, quam turpe, quam triſte, quam miſerum, poſtremò quam breue, quam labile, quam nihil ſit omninò, quod difficultatibus tantis appetitur; quam facile, quantoque melius vel impleri aliter alijſque vijs, vel contemni penitus poſſe atque abijci, interque rerum viliſſima deputari. Multos præterea curauit pudor, quod maximè generoſis animis accidit, dum obuerſatur infamia irriſioque, dumque ſe digito ſignari, vulgique fabulam fieri dolent; dum ſub oculos redit rei fœditas, fructu vacua, plena dedecore, plena periculis, plena doloribus ac pœnitentiæ cauſis. Ad extremum proderit excuſationibus ac falſis opinionibus rejectis nouas induere, nihil hic naturam, nihil fatum, nihil ſtellas agere, nihil denique niſi ſolam animi leuitatem atque liberum judicium. Eſt enim in ægrotantis arbitrio, vt ſanus fiat, mox vt bonâ fide velle cœperit, & blandæ conſuetudinis nexus dulces abruperit; laborioſum certè, ſed volenti poſſibile. Haſtenus Patriarcha. Huc faciunt præcepta temperantiæ, de quibus libro tertio.

TITV-

TITVLVS III.

De Odio.

CAPVT I.

Quid Odium, & quæ eius cauſa?

ODIVM eſt concupiſcentis appetitus perturbatio ex objecta mali ſeu præſentis, ſeu futuri ſpecie proveniens. *Definitio odii.*

Odii cauſa malum eſt illud, quod, ut ſibi contrarium ac repugnans, homo apprehendit. Commovetur enim ac turbatur appetitus, ubi primum ejus ſpecies animum ſubit. Et hæc quidem propinqua eſt cauſa. Remota verò eſt amor, qui id efficit, ut rem aliquam tanquam nobis contrariam, apprehendamus. Quippè ita contingit, ut quis rem aliquam aut perſonam prius amet; deinde ex amore fit, ut odio, quicquid illi contrarium eſt, proſequatur. Id verò etiam certum eſt, maximum nonnunquam amorem ex odio naſci. Cùm enim id iniquum ac falſum deprehenditur, propter quod exorta animorum erat alienatio, clarius amici bonitas eluceſcit, & major emergit amor. *Eius cauſa.*

Additamentum.

SCALIGER exercit. 316. Odium, ait, eſſe appetitum removendi rem aliquam. Negat autem eſſe radicatam iram, quia viri probi improbos ſine ira oderunt. Cum Scaligero ſentiunt, qui odium dicunt eſſe affectum, quo homo aliquid auerſatur, & à ſe repellere ſtudet propter mali in eo apparentis improbationem. D. Th. 1. 2. q. 19. art. 1. conſtituit naturam odii in diſſonantia quadam appetitus, ad id, quod apprehenditur vt diſconveniens ſiue ad malum.

Cauſæ odii ſunt illæ. quæ cauſis amoris ſunt contrariæ. Nam ſicut bonum & pulchrum allicit appetitum & amorem ingenerat, ita malum & turpe auocat & fugat appetitum. Diſſimilitudo frequens eſt odii cauſa, nam efficit, ut facilè in animum inducamus aliquid eſſe malum. Id patet in diſſimilitudine religionis, morum, & aliquando nationum. Nonnunquam ita occulta eſt odii cauſa, ut ipſe, qui odit, eam exponere non poſſit. Ita affectus erat Martialis, cùm ſcripſit,

Non amo te Sabidi, nec poſſum dicere quare,
Hoc tantùm poſſum dicere, non amo te.

Certè prima odii cauſa eſt rei malitia, & eiuſdem diſconuenientia appetitui exhibita. Nam quod naturæ conueniens non eſt, & à quo ipſa abhorret, id pro malo reputari hic dedet.

CAPVT II.

Quid de Odio ſentiant Scriptores.

ID verò diligenti Scriptorum Lectori obſcurum eſſe non poteſt. Multi vix ab ira diſtinguunt, quaſi vetus ſit ira ex pluribus cauſis collecta diuturno tempore perſeverans. Cujus proinde effectus iidem ferè ſunt, qui Iræ, potiſſimùm cùm vehemens eſt odium. Peſſimum verò eſt odium illud, quod eſt occultum. Hinc Seneca, *Peiora ſunt tecta odia, quàm aperta, & agnoſci amat, qui odium oſtendit.* Timon Athenienſis hominum odio ductus hominum commercio ſibi ipſe interdicebat. Malalion vero odio mulierum in ſolitudinem migravit, perque avia montium, cane, quo uno convictore utebatur, feras inſectari ſolitus, revocari domum nunquam potuit. Myſon Strymonis filius, eodem, quo Timon, hominum odio ferebatur, & cùm in ſolitudine ſolus eſſet, ridebat. Quorum & aliorum ejuſmodi hominum odium quandam in eorum natura complexioneque originem habuit. *Vix ab ira diſtinguunt.* *Odii admirabilis exempla.*

Additamentum.

ODium, apud Auguſtinum lib. Definitionum, dicitur vetus ira ex pluribus cauſis collecta, diuturno tempore perſeuerans. Alii eodem ſenſu definiunt eſſe iram inueteratam & continuatam. Alij iterum eſſe affectum ex ira ortum refugientem objectum ingratum cum offenſione longâ. Magnum verò diſcrimen eſt inter odium & iram. Nam iram concitat iniuria, quam patimur; odium verò etiam ex publico, vel alieno malo naſcitur, quemadmodum odimus ſeditioſos, atſi nobis nullam inferant iniuriam. Deindè ira in perſonam vnam, aut paucas fertur, odium aliquando in aliquod genus hominum. Et quia ira furor breuis eſt, tempore minuitur; non item odium, quod tempore creſcit & augetur.

Quod attinet ad odii affectus, ij ſæpè tetri ſunt & virulenti, quales ſunt iræ, vt contemptus, ſubſannatio, maledicentia, excandeſcentia, cæteriſque effectibus amoris contrarii. Sanctus Chryſoſt. lib. 1. de compunct. cordis, Vbi, inquit, amicitia permanet, nihil facilè creditur, nihil facilè recipitur, quod diſſidium operari poſſit: ſi verò inimicitiæ occupauerint animos, omnia, quæ fiunt, quæ dicuntur, quæ audiuntur, ita accipiuntur & intelliguntur, vt ad maiores & longiores proficiant inimicitias. Si quid enim boni dicatur de inimico, non creditur; ſi quid autem mali, hoc ſolùm creditur & confirmatur. Ita ille. Quod ſi ex odio timor oriatur, & adſit poteſtas, ſæpè in ſæuitiam vertitur, vt in Caligula & Nerone, aliiſque ignauis Principibus, qui dum male metuerent, immania odii ſui argumenta ediderunt. Porrò odium aliud eſt naturale, quod oritur ex quadam antipathia ſeu contrarietate naturæ, quâ fit, vt aliqua ſeſe invicem minimè ferant & compatiantur, vt in hominibus, brutis & plantis etiam apparet. Aliud brutale, quod potiùs quidam furor, & rabies eſt, quam effectus, cernitutque in iis, qui non contenti inimicos ſuos interemiſſe, cadaueribus inſultant, & eorum carnibus aut ſangine ſeſe ſatiant. Aliud melancholicum; quod oritur ex copioſâ bile, quâ qui agitantur abhorrent ab honeſtis vitæ oblectamentis, fugiuntque lucem, & hominum conſortium, amantque ſolitudinem; quales ij fuerunt, quorum hic exempla referuntur. Aliud humanum, quod in hominum animis naſcitur ex cauſa ſuprà allegata; & de hoc nobis hic eſt ſermo.

CAPVT III.

Qui fiat quod Heroas odium plerumque comitetur.

Prima cauſa. HVjus odii triplex eſt cauſa. Ac prima Heroum eſt natura indoleſque. Cùm enim vehementiſſimi eorum ſint affectus, quos cohibere reprimereque non poſſunt, aliorum in ſe odium excitant. Sublimia ſemper ipſi ſpectant, & ſubjicere ſibi alios contendunt; dumque ambitione quâdam feruntur, penſi pietatem vix habent. Hinc Iulius Cæſar, ille verò Heroïco ingenio Imperator, hunc Euripidis verſum frequenter uſurpabat:

Si violandum jus eſt, regnandi gratiâ
Violandum eſt, aliis in rebus pietatem colas.

Secunda. Altera eſt, quod inſignibus præditi virtutibus ſint, quam ob cauſam eos invidia ſequitur, quæ ſine odio non eſt. Creſcentis enim dignitatis fortunæque comes ſemper eſt invidia. Et ea prava improborum eſt natura, ut, quos propter virtutem amare non volunt, oderint. Virtutem enim & vera animi bona, tamquam ſuæ improbitati nequitiæque contraria, non ferunt. Tertia eſt præſumptio quædam, qua dum ſe aliorum expoſitos odio vident, ad utramque fortunam exhibere ſeſe paratos ſtudent; quaſi *ſatius ſit inſidias ſubire ſemel, quam ſemper cavere*, ut idē ille Cæſar reſpondebat.

Additamentum.

NOn immeritò Seneca dixit in Thebaide:

Simul iſta mundi conditor poſuit Deus
Odium atque regnum.

Et Horatius lib. 3. Ode 24.

Virtutem incolumem odimus,
Sublatam ex oculis quærimus invidi.

Euitare ergò Heroës odium aliorum non poſſunt,

poſſunt, quod corũ in virtute eminentiam petit. Accedit verò quod, homines quidam proni ſint ad inuidiam &odium, dum aliorum fortunæ ſplendorem vident. Vnde Liv. lib. 45. Nulla ingenia tam prona ad inuidiam ſunt, quàm eorum, qui fortunas ſuas animis non æquant, quia nimirum virtutem & alia bona oderunt. Sed Heroës curare hoc odium non debent, & dicere Rectè faciendo neminem timeo, vt in prouerbio eſt.

CAPVT IV.

An odiſſe ſeipſum quis poßit, aut veritatem.

Fieri ſanè, ut ſeipsũ quis odio habeat, non poteſt. Cùm enim nihil aliud amare ſit, quam bonum alicui velle, nemoque ſibi velle malum poſſit, utique qui ſe non amet, nemo eſt, atque idcircò proſequi odio ſeipſum non poteſt.

De veritate cùm omnium idem ſit conſenſus; odiſſe etiam illam, ſaltem in genere, nemo ſanè poteſt, Poteſt tamen aliquis rei alicujus veritatem odiſſe quandoque, cùm nimirùm bono, quod amatur, contraria eſſe videtur.

Additamentum.

MEnander, ſeipſum, inquit, nullus fatetur eſſe malum. Et Periander, Teipſum, ait, ne negligas. Ita nemo ſe odiſſe poteſt, aut malum ſibi velle. Id nimirum inſitum eſt vnicuique à natura. Charitatis primus gradus eſt ſeipſum amare. Hic verò non intelligo philautiam meritò ab omnibus reprehenſam.

Idem de veritate judicium ponimus. Nam, ut ait Ludouicus Viues lib. 2. de Anima, Nullæ duæ res inter ſe tam amicæ & concordes ſunt, quàm virtus & veritas, nempè germanæ à Deo genitæ, & humanis mentibus ſicut vtiliſſimæ, ita etiã integris jucundiſſimæ. Pythagoras, vt refert Ælianus lib. 12. variar. hiſt. dicebat, hæc duo diuinitùs hominibus data eſſe longè pulcherrima, veritatem amplecti, beneficijs operã dare; & addebat, vtrumque cum Deorum immortalium operibus comparari poſſe. Nemo igitur hanc etiam odit, niſi cùm, vt ait Cicero,

Veritas odium parit.

CAPVT V.

Remedia adverſus odium.

Vis odii.

VEhemens hæc quoque perturbatio. Vno eius, quem odimus, aſpectu lædimur, unâ cogitatione commovemur. Cùm in nobis exurgit, nec vigilãtes pacem habemus, nec dormientes quieſcimus. Quod alicui alteri malum optamus, dum odimus, illud ipſi patimur; & dum, quem odiſſe volumus, animo noſtro objicimus, concutiuntur in nobis dentes, oculi inflammantur, animus ardet. Quod ergò remedium? Certè nihil majori odio habendum eſt, quàm ipſum odium. Seneca in Oedipo:

—— *Odia qui nimium timet*
Regnare neſcit.

Remediũ contra aliorum odium.

Imo contra in nobis.

Igitur contra aliorum odium, cogitandum eſt, odium popularis gratiæ finem eſſe. Odit enim populus quem diligere deberet; & ſicut ſine diſcretione amat, ita ſine cauſa odit. Ad injuriam promptus, ad officium ſegnis. Ad odium in nobis impediendum non amare conſulium eſt, nec rarò utile eſt non noviſſe. Vt autem reprimamus, hoc eſt remedium. Duæ rerum omnium, ut dici ſolet, ſunt anſæ, per unam graviores apparent, leniores per alteram; per illam quod in iis eſt malum ſentimus, per hanc quod bonum eſt. Per alteram itaque anſam rem unamquamque apprehendamus, & quod in ea bonum eſt, amemus; quod malum eſt, ne videre velimus. Nihil odit, qui bona omnia interpretatur. Quid odiſſe cupis? homines? tua in iis eſt natura: res humanas? hæ propter te ſunt omnes; negotia? conſilio utere,

Digitized by Google

lio utere, nulla odii erit cauſa. Si quis oderit te, commiſeratione tuâ, non tuo odio eſt dignus. Optimum contra odium remedium eſt, bene agere, & eũ, qui odit, benevolentia devincire. Dicat unuſquiſque, *Rectè faciendo nihil timeo*. Imò ulciſci contra oſorem qui ſe cupit, rectè agat omnia, vincet. Hæc eſt vera trãquillitas, nihil ſolum, nihil eum aliis in ſe admittere, cujus ipſum vel pudeat, vel pœniteat. Lycurgus cum à quodam erat uno oculo orbatus, ſummâ animi alacritate benevolentiâque inſtruxit, & civem tandem honeſtiſſimum modeſtiſſimumque reddidit.

Additamentum.

QVia injuria plerumque odii eſt cauſa, remedium eſt injuriarum tolerantia. Optimè D. Auguſt. monet conc. 3. in Pſ. 30. Quantumcumque objiciatur in perſona aliqua ſeges plurima odii, tamen cavendum eſſe, ne odium illud, ſi rationis lineam prætergrediatur, fiat arcus doloſus in nos ipſos exerẽs ſagittam, quod fit, cùm per odium rectum, qui alterum odit quia malũ iudicat, malus etiam ipſe efficitur. Inimici homines, inquit, qualeſcunq; fuerint, non ſunt odio habendi, ne cùm odit malus, quem patitur malum, ſint duo mali. Diligat bonus, & quem patitur malum, ut vel unus ſit malus. Potens verò remedium eſt adverſus odium, conſiderare quantoperè noceat odium illi, qui alterum odit, quod notat idem Auguſtinus ſerm. 16. de Verbis Domini. Seneca 3. de Ira cap. 34. monet ad compeſcendum odium obſtruendam eſſe cupiditatem, & quod magno noſtro malo odii cauſa fuit, idem velle. Plura peti poſſint ex effectibus odii.

TITVLVS IV.

De Deſiderio.

CAPVT I.

Quid ſit Deſiderium, & quotuplex.

Definitio deſiderii. DESIDERIVM eſt concupiſcentis appetitus ad bonum aliquod, quod amatur, proſequendum commotio. Vel eſt boni futuri cupiditas. Bonum enim, ut aliquo modo præſens eſt, amatur, ut abſens eſt, deſideratur. Aliud autem deſiderium naturale eſt, aliud non naturale. *Diviſio in naturale & non naturales.* Naturale eſt, quod in bonum naturæ utile tendit, ut deſiderium alimenti. Non naturale eſt, quod ad bonum eſt à ratione dependens, ut honorum vel divitiarum deſiderium. Prius illud finitum eſſe ſolet, & quibuſdam terminis continetur. Neque enim verbi gratia cibum, niſi ad certam menſuram expetimus, nimirum donec famem ſuſtulerit. Hoc verò poſterius ferè eſt infinitum. Nam cum ratione definiendum eſſet, in apprehendendis non naturalibus bonis ipſa ratio ad certam menſuram non eſt definita, ulteriuſque amando cupiendoque ſemper progreditur. Solus Deus cùm immenſus infinituſque ſit, rationem ac deſiderium complet, nec ulterius progrèdi, qui illum amat, ac deſiderat, poteſt. *Deſideria*, inquit Seneca, *finitæ ſunt; ac ex falſa opinione naſcentia, ubi deſinant, non habent. Nullus enim terminus falſo eſt: via eunti aliquid extremum eſt, error ius emenſus eſt.* Igitur naturalia illa juſta ſunt & legitima, quæque in brutis reperiuntur, & ſecundùm quæ nemo omninò eſt pauper. Alia quæ ex noſtra opinione naſcuntur, vana ſunt & ſuperflua. Inanes tantùm ſunt cupiditates; quas cùm beſtiæ ignorent, ſolus homo nullam in iis regulam ſervat, nullam metam habet. His pluribus, quàm mare undis & fluctibus, agitatur, in his inconſtans eſt & mutabilis, ridiculus aliquando & deteſtabilis, mentis incertæ, pendentis conſilii, ſemper pauper, nunquam contentus. Verbo dicam, *ad ſuperuacua ſudatur.*

Addi-

Additamentum.

PHILO lib. 19. Decalogum docet deſiderium eſſe amorem boni abſentis, & exporrectionem appetitivæ facultatis in bonum, quod abeſt, ſive quia futurum eſt, ſive quia jam abiit. Ejus verba ſunt hæc. Omnes perturbationes animi graves ſunt concitantes eum & dimoventes ab ingenio ſuavitateque priſtinâ, ſed nulla æquè nocet, ac concupiſcentia. Quamobrem aliæ videntur exteriùs invitis & inſciis obrepere, hæc verò ſola in nobis oriri, & quidem volentibus. Et paulò pòſt. Quoties aliquis de abſente bono cogitans habere id cupit in longum animum porrigit, extendens eum, ut poſſit rem adamatam attingere, tanquam in orbiculari machina ſemper ſequendo nunquam aſſequendo, quod ſpectamus in curſoribus, quando præcurrentem tardior pervicaciter inſequitur. Ita ille. Diſtinguitur deſiderium ab amore, quod deſiderium feratur in aſſecutionem ſimul & bonum, amor verò feratur in bonum nec dicat ordinem ad ejus aſſecutionem & conjunctionem cum illo procurandam.

Ariſtoteles 1. Rhet. cap. 11. Cupiditatum, inquit, aliæ quidem rationis expertes ſunt, aliæ verò cum ratione. Voco rationis expertes, quas non ex eo, quod exiſtiment aliquid, ſuſcipiunt. Et ſunt tales quæcunque dicuntur eſſe à natura, ut quæ propter corpus inſunt, ut alimentis ſitis & fames, & in unaquaque ſpecie alimenti cupiditas, & quæ cernuntur in iis, quæ guſtatu percipiuntur, & in venereis, & omninò in iis, quæ pertinent ad tactum, & in odoratu ſuavitatis, & in auditu & viſu. Cum ratione verò, quicumque ex eo quod perſuaſi ſunt, concipiunt. Multa enim & perſpicere & poſſidere concupiſcunt, cùm audierint, & perſuaſi ſint. Porrò deſiderii diviſio inſtitui tam multiplex poteſt, quam cupiditatis ſive libidinis; ut notat D. Aug. lib. 14. de Civit. c. 15. Eſt libido, inquit, ulciſcendi, quæ ira dicitur; eſt libido habendi pecuniam, quæ avaritia; eſt libido quomodocumque vincendi, quæ pervicacia; eſt libido gloriandi, quæ jactantia nuncupatur. Sunt multæ variæque libidines, quarum nonnullæ habent etiam vocabula propria, quædam non habent. Eſſe autem non naturalia deſideria infinita præter Senecam oſtendit Simplicius ad cap. 61. Enchirid. Epicteti. Si quis menſuram, inquit, neceſſitatis tranſierit ejuſque terminum, jam ſine termino vagabitur aliud aliis adjiciendo, donec ad extremas delitias, ut in vanitatem præceps feratur. Per hæc enim fit quoddam quaſi divortiū à regula, & quæ id ſequitur inexplebilis egeſtas, & ejus comes, afflictatio. Nam ſi decem paravimus, volumus habere viginti; ſi hæc, quadraginta, & ſic deinceps. Nec ullus finis eſt prolabendi in vaſtum illud atque immenſum pelagus inſatiabilis cupiditatis. Conſtat enim in ſingulis iis, quæ ad uſum corporis adhibentur, poſſeſſionem, quæ limites excedit, recidere in infinitum. Conſonant illa ex Paneg. Conſtantini filii Conſtant. Nulli, ut res eſt, muneribus fortunæ explentur, quorum cupiditates ratio non terminat. Atq; ita eos felicitas ingrata ſubterfiluit, ut ſemper pleni ſpei, vacui commodorum, præſentibus careant, dum futura proſpectant.

CAPVT II.

Quinam ſint deſiderii effectus.

INprimis rei affectatæ immoderata cupiditas triſtitiam quandam & lachrymas excitat. Hinc tot illæ apud Poëtas querulæ lamentationes Penelopes ob abſentis Vliſſis deſiderium. Secundo hæc perturbatio, dum non expletur, hominem aliquando extinguit. Vnde nimio deſiderio concitata Sappho, cùm abſentis Phaonis ferre ulterius deſiderium non poſſet, ex prærupto ſcopulo præcipitem ſe miſit, illud unum poſtulans, ut Cupidineis pennis ſuſtineretur. Notus ille apud Terentium eſt Senex, qui præ filii deſiderio ſeipſum punit in agro nimium ſeſe exercendo, quaſi labore & ærumna lenire deſiderium poſſet. Præterea facit hic affectus, ut deſiderata pluris æſtimentur, cùm ſemel ſunt deperdita. Quippè cariora ea hominibus videntur, quæ cùm bona ſint, defecerunt. Hinc ſuaviſſimum tum videtur vinum, cùm exhauſta jam ſunt pocula. Nam ejus ingenii plerique ſunt homines, ut tum priùs bona ſua intelligant, cùm illa amiſerunt. Vivum

Triſtitia & lachrymæ.

Æſtimatio maior rei perdita.

Exempla.

& cæcum

& cæcum Homerum omnes negligebant, ubi obiit, complures de ejus origine civitates decertarunt. Benè proinde Horatius:

Virtutem incolumem odimus
Sublatam ex oculis quærimus invidi.

Exemplo Apellis id quoque conſtat, cujus tabulæ cùm ab aliquibus non tanti fierent, etſi eſſent excellentiſſimæ, cum Veneris imaginem abſoluto tantùm vultu ac pectore imperfectam reliquiſſet, nec ulli perficere artifices poſſent, omnes Apellis manus, quæ Deam inchoatam abſolverent, deſideraverunt. Eſſe tamen hunc affectum gaudio minorem teſtes fuit illæ duæ apud Plinium matres, quæ cùm ut mortuos apud Cannas filios flevissent, ubi ſubitò comparuerunt, in eorum amplexu gaudio extinguente expiraverunt.

Additamentum.

ADdendum quod deſiderium, etſi rei ſit bonæ, vexet deſiderantem. Ob hanc cauſam ſcribit Seneca beneficium diu deſideratum propter dilationem plurimum gratiæ amittere. Vndè lib. 2. de Benef. cap. 5. ait nihil æquè amarum eſſe, quam diu pendere. Æquiore item quoſdam animo ferre, præcidi ſpem ſuam, quam trahi. Eadem vexatio deſiderantis induſtriam acuit, qui quæ in promptu ſunt, faſtidit, aut frigidè vel non deſiderat, in vetita autem ſæpè exardeſcit, & impatienter fert obſtaculum. Quod obvia vilia ſint, nec acri deſiderio expetantur docet Petron. in Satyrico ſuo his verbis:
Vile eſt quod licet, & animus errore lentus injurias diligit. Vbi hos verſus ſubjungit:

Ales Phaſiacis petita Colchis
Atque Afræ volucres placent palato,
Quod non ſunt faciles, at albus anſer.
Et pictis anas enovata pennis
Plebeium ſapit. Vltimis ab oris
Attractus Scarus, atque arata Syrtis
Si quid naufragio dedit, probatur.
Mullus jam gravis eſt; amica vincit
Vxorem, roſa cinnamum veretur.
Quicquid quæritur, optimum videtur.

Et alibi:

Nolo quod cupio, ſtatim tenere,
Nec victoria cui placet parata.

Auſonius. *Oblatas ſperno illecebras.*
Et Tragic. *Illicita amantur, excidit quicquid licet.*
Ovidius

Nitimur in vetitū ſemper, cupimuſq; negata,
Sic interdictis invidet æger aquis.

Item.

Quicquid ſervatur cupimus magis, ipſáque furem
Cura vocat, pauci, quod ſinit alter, amāt.

Multa de varietate deſideriorum Iuvenalis Satyra decima. Et de ſiti rabida cupiditatis. Seneca lib. 2. de Benef. cap. 27. Nunquam, inquit, improbæ ſpei, quod datur, ſatis eſt. Eo majora cupimus, quo maiora venerunt; multoque concitatior eſt avaritia, in magnarum opum congeſtu collocata.

CAPVT III.

Quænam ſint deſiderii vehementioris remedia.

Non deſiderare quod haberi non poteſt. Statim compeſcere deſiderium. Reſpicere finem.

TRia potiſſimùm ſunt. Primum id quod aſſequi non poſſumus non deſiderare. Vanum enim eſt, id velle ac concupiſcere, quod haberi non poteſt. Secundum ubi innaſcitur hæc in animo cupiditas, ſtatim eſt compeſcenda. Difficile quippè eſt eam extinguere, ubi voluntatem inflammavit. Tertium eſt finem meditari ac reſpicere. Alia remedia eadem pænè ſunt, quæ vehementioris amoris.

Cæterùm illud Caſſiodori natandum eſt. *In qualitate deſiderii, poteſt mens honeſta cognoſci.* Qui enim turpia deſiderat, honeſtus eſſe non poteſt; qui honeſta, turpis non eſt. Illud etiam Divi Auguſtini, *Malâ voluntate unuſquiſque miſer efficitur, ſed miſerior, cùm deſiderium malæ voluntatis impletur.*

Additamentum.

NVllum melius, quam ſtatim deſiderium amputare. Nam compreſſione inutilium deſideriorum poteſt unuſquiſque felicitatem à ſeipſo obtinere. Vnde Seneca epiſt. 119. Quantumcumque eſt, ſatis erit, ſiquicquid deerit, id à nobis petie-

petierimus. Nihil enim, mi Lucili, intereſt, Vtrùm non deſideres, an habeas. Summa rei in utroque eſt eadem, non torqueberis. Nec illud præcipio, ut aliquid naturæ neges. Contumax eſt, non poteſt vinci, ſuum poſcit. Sed ut quicquid naturam excedit, ſcias precarium eſſe, non neceſſarium. Eſurio, edendum eſt. Vtrùm hic panis ſit plebeius, an ſiligneus, ad naturam nihil pertinet. Illa ventrem non delectari vult, ſed impleri, &c. Et paulò poſt, Finem omnium rerum ſpecta, & ſupervacua dimittes, &c. Videatur tota illa epiſtola.

TITVLVS V.

De Fuga.

CAPVT I.

Quid ſit Fuga & quotuplex?

FVGA eſt concupiſcentis appetitus perturbatio ex objecta mali abſentis ſpecie proveniens. Cùm enim malum apprehenditur adhuc abſens ac tale, quod indignum ſit à quoquam poſſideri, oritur quædam ejus in animo deteſtatio, ac deinde declinatio. Hæc autem eſt fuga, quæ cum odio mali omninò non eſt. Quippè naturale eſt, id evitare ac fugere, quod tanquam naturæ noxium animus apprehendit. Duplex autem eſt fuga, naturalis una, altera non naturalis. Naturalis eſt ejus mali declinatio, quod naturæ noſtræ noxium eſt. Non naturalis verò eſt ejus mali declinatio, quod tale eſſe ratio judicat. Vnde Deſiderio contraria eſt Fuga, & ex eo intelligi facile poteſt.

Additamentum.

INTELLIGI Fuga ex iis, quæ de deſiderio ſunt dicta, poteſt; illi enim opponitur. Ab aliquibus Abominatio vocatur; nonnulli propter affinitatem nomine timoris appellant. Differt tamen à timore, quod timor ſit de malo ad evitandum difficili; fuga autem non eſt cum iſta evitationis difficultate. Ejus ergò natura conſiſtit in averſione mali abſentis, quod declinari evitarique poteſt. Et hoc tantùm hic addimus.

TITVLVS VI.

De Voluptate ſeu Lætitia.

CAPVT I.

Quid ſit Voluptas?

VOLVPTAS eſt concupiſcentis appetitus perturbatio ex objecta boni præſentis ſpecie proveniens. Ariſtoteles Ethicorum lib. 10. actionem eſſe, ait, habitus, qui ſecundùm naturam omni impedimento eſt vacans. Primo autem Rhetoricorum libro voluptatem motionem quandam & affectuum animi appellat, qui totus ſimul in naturæ utilitatem tendit. Quod ſi de præteritis vel futuris quandoque delectemur, ideò ſit, quod bonorum quorundam ſpecies animo objiciatur, cujus ratione præſentia exiſtimantur. Hoc affectu maximè juvatur natura, corque dilatatur. Nam dum animus bonum amplectitur, voluptas ſuaviter animum jucundeque movet, ac vitam, quam triſtitia opprimit, in corde fovet. Porrò voluptas pro magnitudine boni, quod oblatum eſt, vel major eſt, vel minor. Item honeſta aut turpis. Honeſta eſt, quæ naturæ & rationi eſt conſen-

Definitio voluptatis *Qualis ſit voluptas.*

conſentanea, qualis ex ſtudiis & rerum contemplatione comparatur. Turpis eſt, quæ rationi repugnat aut eſt immoderata. Ejuſmodi eſt, quæ ex corporis oblectamentis, aut pravis ſtudiis, aut malevolentia capitur. Stoici voluptatem eſſe, aiunt, quandam animi elationem ſine ratione opinantis ſe magno aliquo bono frui.

Dicitur etiam lætitia, gaudium, jucunditas. Cæterùm voluptas alio nomine lætitia, gaudium, jucunditas appellatur, conſiſtitque in ea affectione, quæ boni alicujus præſentis opinione commovetur, dum eo bono animus delectatur. A. Gellius lætitiam eſſe, ait, quandam animi exultationem, qui gaudio ferventior fit propter rerum expetitarum eventum. Vnde alienam à Sapiente eſſe vult, cui licere dicit, ut gaudeat, non item ut lætetur.

M. Tullius diſcrimen hoc inter lætitiam & gaudium ponit, quod gaudio placidè conſtanterque, lætitiâ verò inaniter & effuſè animus moveatur.

Additamentum.

AFFECTVS delectationis aliis nominibus Voluptas, lætitia, gaudium, oblectatio appellatur. Cicero lib. 2. de Finib. Voluptas, inquit, eſt per quam ſenſus accipiens movetur, & jucunditate quadam perfunditur. Item paulò poſt. Voluptas eſt jucundus motus in ſenſu. Dicta videtur aliquibus voluptas à volupe, ſive volupia Veneris miniſtra; unde apud Latinos ſuſpectum hoc nomen eſt, quaſi aliquid turpitudinis indicet. Lætitiã dictam putant, quaſi lætitiam, quod cor & faciem dilatet. Vndè ajunt eſſe motum, quo cor acquieſcit in bono præſenti, ſicque eſt dilatatio, qua cor accipit quodammodò intra ſe, & amplectitur bonum, quod præſens eſt. Magirus lib. 6. Phyſicorum cap, definit eſſe affectum, quo ſe dilatat, & extendit cor amplectendo ſuaviter præſens bonum. Quare Voluptas ſeu Lætitia verſatur circa bonum præſens, vel etiam præteritum aut futurum, quod tanquam præſens per recordationem vel apprehenſionem animo obverſatur.

Triplex autem de voluptate veterum Philoſophorum opinio fuit. Ariſt. 7. Eth. cap. 11. Prima nullam voluptatem bonam eſſe, atque idcircò quod rationem finis non habeat, quod eam vir bonus averſetur, quod impedimento ſit prudentiæ, eamque pueri & beſtiæ judicio carentes appetant. Secunda Voluptates aliquas bonas, pleraſque malas eſſe, quia nimirum valetudini, honori, fortunis officiunt; probroſæ denique & ignominioſæ ſunt. Tertia etſi omnes ſint bonæ, in iis tamen ſummum bonum non eſſe, nam ad finem tendunt, nec ipſæ finis cenſentur. Inter has opiniones vera ſecunda eſt, & ad eam Ariſtoteles accedit 7. Eth. c. 13. Vbi voluptates in genere bonorum potiùs, quam malorum collocandas eſſe docet, cùm nimirum ſunt honeſtæ. Quod rei malæ opponitur, id eſſe bonum neceſſe eſt, dolori autem; qui omnium conſenſu eſt malus, contraria eſt voluptas. Et cùm vir bonus ex virtutum actionibus capiat voluptatem, non poteſt non eſſe bona. Idem Ariſtoteles lib. 10. Eth. cap. 3. contra Platonem diſputat, qui voluptatem aliquod eſſe bonum negabat. Ipſe eam hoc modo definit. Voluptas eſt operatio ſecundùm naturam non impedita. Quando enim habitus ad ſtatum ſibi convenientem adductus eſt, perpetuò comitem habet voluptatem; ab illo ſtatu ſi recedat, dolorem. Si adſit impedimentum, moleſtiam adfert, quâ cupiditas irritatur potiùs, quam ſatiatur.

CAPVT II.

Quæ ſint voluptatis cauſæ.

Actio. PRima eſt Actio. Voluptas enim omnis ſeu delectatio actionẽ aliquam ſequitur, cùm eſſe ſine boni cognitione conſecutioneque non poſſit. Quippè quicquid delectat, per cognitionem aliquam haberi conjunctumque eſſe debet. Voluptas, quæ ſupervenit, actionem perficit tanquam ejus quoddam bonum.

Spes & memoria. Secunda eſt ſpes & memoria. Nam dum bonum aliquod ſperamus, ſpes illud in animo præſens quodammodo conſtituit, unde exoritur delectatio. Memoria dum bonum illud, quo animus aliquando eſt oblectatus, apud ſe revolvit, naſcitur etiam voluptas.

Tertia

Tertia eſt triſtitia. Hæc amatæ rei memoriam reducit, in cujus apprehenſione delectamur. Si propter malum aliquod, quod evaſimus, triſtitia ſit, non exiguam etiam adfert voluptatem. Carere enim malo bonum eſt. Vnde D. Auguſtinus, *Læti triſtium meminimus, & quanto majus periculum fuit, tanto majus eſt gaudium.* *Triſtitia.*

Quarta Similitudo. Nam quod proprium bonum auget, voluptatis eſt cauſa; id verò ſimilitudo, quæ unitas eſt aliqua, efficit. Simile unum cum eo eſt, cui ſimile eſt, ideoque amabile delectabileque. *Similitudo.*

Quinta Admiratio. Ea cùm ſit quoddam ſciendi deſiderium, id efficit, ut aliquid nobis jucundum acquirere ſperemus. Vel etiam idcircò delectat, Vndè quæ admirabilia ſunt, eadem delectant, non quidem propter ignorantiam, ſed quoniam adjunctum ſciendi deſiderium habent. *Admiratio.*

Sexta eſt aliena actio. Quippè aliena actio id aliquando efficit, ut bonum cognoſcamus & conſequamur, undè exoritur delectatio. Ita actiones, quibus beneficio aliquo afficimur, aut laude gloriaque honeſtamur, jucundæ ſunt nobis. *Aliena actio.*

Poſtremò quicquid naturæ noſtræ arridet, & quadam illam ſuavitate afficit, voluptatem adfert.

Additamentum.

AD cauſas hic enumeratas addo, bonum & ejus poſſeſſionem primariam eſſe delectationis cauſam. Et quia poſſeſſio cognitionem & amorem præſupponit, hæ quoque cauſæ eſſe poſſunt, ſaltem in hominibus. Expectatio boni gratiorem reddit voluptatem. Hinc Proſper epiſt. 63.

Gratior eſt fructus, quē ſpes productior edit,
Vitro objectorum vilius eſt pretium.

Creſcit quoque voluptas, quo major eſt in bono parando labor. Item ex recuperatione poſt jacturæ moleſtias. Idcircò Aug. lib. 8. Conf. cap. 3. Quid agitur in anima, cùm amplius delectatur in ventis, aut redditis rebus, quas diligit, quam ſi eas ſemper habuiſſet? Triumphat victor Imperator, & non viciſſet, niſi pugnaviſſet. Et quantò majùs periculum fuit in prælio, tantò majùs eſt gaudium in triumpho. Et paulò poſt. Edendi & bibendi voluptas nulla eſt, niſi præcedat eſuriendi & ſitiendi moleſtia. Et ebrioſi quædam ſalſiuſcula comedunt, quo fiat moleſtus ardor, quem dum extinguit potatio, fit delectatio. Et inſtitutum eſt, ut jam pactæ ſponſæ non tradantur ſtatim, ne vilem habeat maritus datam, quam non ſuſpiraverit ſponſus dilatam. Vbique majus gaudium moleſtia major præcedit.

Seneca epiſt. 23. docet quanti momenti ſit verum bonum gaudio delectationique præfigere. Fundamentum, inquit, bonæ mentis, quod ſit, quæris? Ne gaudeas vanis. Fundamentum hoc eſſe dixi, etiam culmen eſt. Ad ſumma pervenit, qui ſcit, quo gaudeat; qui felicitatem ſuam in aliena poteſtate non poſuit. Sollicitus eſt & incertus ſui, quem ſpes aliqua proritat, licet ad manum ſit licet non ex difficili petatur, licet illum, nunquam ſperata deceperint. Hoc ante omnia fac, mi Lucili, diſce gaudere. Exiſtimas me nunc detrahere tibi multas voluptates, qui fortuita ſubmoveo, qui ſpes, dulciſſima oblectamenta, divitandas exiſtimo. Imò contra nolo tibi unquam deeſſe lætitiam. Volo tibi illius domi naſci. Naſcitur ſi intra teipſum ſit. Cæteræ hilaritates non implent pectus, ſed frontem remittunt, lenes ſunt. Niſi fortè tu judicas illum gaudere, qui ridet. Plura ille ibidem.

CAPVT III.

Qui ſint voluptatis effectus.

PRimus eſt ſuavitate quadam animum perfundere & cor dilatare. Vbi dilatatum eſt, ſanguinem diffundit, ſanguis autem ſpiritus calidos cæteris partibus communicat, ex quo ſequitur riſus. Secundus, Fletus & lachrymæ. Quippè lætitia diffuſo calore meatus laxat, ac tum oculorum humor egreditur. Secus in mœſtitia fit ac dolore. Dolor enim avocato ad intima corporis conſtringit, unde lachrymæ mox exprimuntur. Illæ, quas, dolor *Suaviter afficere.* *Fletus & lachrymæ.*

dolor fundit, calidæ ſunt; quas lætitia, frigidæ. Quoniam in mœſtitia dolor genas, per quas lachrymæ fluunt, collecto intus calore frigidas reddit; lætitia verò calore ad oculos diffuſo calidas efficit. Atque ita fit, ut calidæ genæ frigidas ſentiant lachrymas, & frigidæ calidas. Tertius eſt voluptatis ipſius dilatatio, tum conſequens quoddam ejus deſiderium. In voluptate enim ex boni convenientis apprehenſione ſeſe natura dilatat. Et dum efficit voluptas, ut quod jucundum eſt, ampliùs expetatur, fit ut ipſa etiam voluptas, etſi præſens, deſideretur. Quartus eſt mors quandoque. Lætitia enim cùm aut immoderata eſt, aut ſubito impetu concitata commotis de repente ſpritibus cor hominis ſuffocat.

Dilatatio & deſiderium voluptatis.

Additamentum.

NAturæ aut hoc quarundam operationum perpetuitati conſultum volens, eis delectationem, tanquam condimentum, adjunxit. Id advertit Seneca epiſt. 116. & experientia oſtendit. Vnde Ariſtoteles 7. Eth. cap. 13. Omnes, inquit, & beſtiæ, & homines voluptatem ſequuntur. Id, ipſam eſſe quodam modo, optimum judicat. Maximus Tyrius diſſert. 33. Reliqua quæ ſequuntur homines, ait, aut artis experientia, aut rationis approbavit induſtria, aut longi judicium temporis conciliavit nobis. Voluptas nec ratione eget, & arte eſt antiquior, & experientiam prævenit, nec tempus expectat. Vt ineffabilis quidam amor unà cum corporibus nobis innatus ſit, qui quaſi fundamentum aliquod animalium ſubjicitur ſaluti, quod ſi quis tollat, ſtatim id quod natum eſt, evaneſcere ſit neceſſe. Idem infrà. Hoc tantùm dico, ſi quis virtuti voluptatem demat, eum vim eius præcedere. Nullum enim, ſi voluptas abſit, peritur honeſtum. Nam qui laborem ex virtutis ſubit præſcripto, amore voluptatis, aut præſentis id facit, aut futuræ, &c.

Porrò lætitia, quæ honeſta & moderata eſt purgat ſanguinem, ſpiritus vitales ſervat, valetudinem roborat, calorem inducit floridum, nitidum, gratum. Inde Proverb. 17. Cor lætum pro medicina eſt, & ſpiritus triſtis exſiccat oſſa. Huc pertinet illud Horatii lib. 2. Od. 16.

Lætus in præſens animis quod ultra eſt
Oderit curare, & amara lento
Temperet riſu, nihil eſt ab omni
Parte beatum.

Et lib. 1. epiſt. 11.

Tu quamcumque Deus tibi fortunaverit horam
Gratâ ſume manu, nec dulcia differ in annum.

Turpis lætitia triſtitiã & acerbiſſimos dolores procurat. Vnde Pindarus Ode 7. Voluptatem ſine iuſtitia manet exitus amariſſimus. Et Horat. lib. 1. epiſt. 1.

Sperne voluptates, nocet empta dolore voluptas.

CAPVT IV.

Quæſtiunculæ aliquot circa voluptatem.

I. AN *voluptas ſit boni maliq; moralis menſura?* Bonum malumque morale in voluntate ſunt, & ex fine, in quo homo acquieſcit, cognoſcuntur: quies verò in bono voluptas eſt. Vnde fit, ut voluptas regula ſit, atque is bonus dicatur, qui bonis honeſtiſque operibus gaudet; malus autem qui malis & inhoneſtis delectatur.

II. *Cur brevis ſit voluptas?* Quia nulla actio, cujus perfectio voluptas eſt, diuturna eſſe poteſt. Ea eſt humanarum rerum conditio, ut propter defatigationem diu ferre muneris alicujus functionem non poſſint.

III. *Cur nonnulla delectant, dum nova ſunt, poſteà verò non æquè?* Quia primo quaſi aſpectu major eſt perfectionis admiratio, quam poſteà.

IV. *Cur variis rebus, & non iiſdē delectamur?* Hominis natura, corpore, animoque conſtat, quæ duæ partes rebus non iiſdem, ſed ferè contrariis oblectantur. In cauſa etiam eſt, quædam hominis improbitas. Ea enim natura voluptatum mutationem expetit, quæ corrupta eſt & vitioſa; quemadmodum qui vitioſus eſt, etiam mutabilis eſt.

V. *Cur voluptates corporis, quā cæteræ magis expetantur, cū bonæ non ſint, niſi moderatæ?* Inprimis quoniā quædam ſunt medicamina dolorum. Deinde

inde verò cùm ſuſtineri rectè vita propter continuos labores ſine aliqua voluptate non poſſit, ſintque ipſæ velut ad manus, ſæpiùs accerſuntur, ſuique ſitim aliquam ac deſiderium uſu ipſo crebriore relinquunt.

VI. *Cur voluptates ſpirituales præſtent corporeis, cùm hæ tamen magis expetantur?* Quia nihil aut nimium habent aut immoderatum; quoque majores ſunt, eo ſunt præſtantiores. Nihil etiam iis admixtum eſt doloris quod à rebus natura ſua, non eventu tantùm jucundis, proficiſcantur.

Additamentum.

AD primam accommodari poteſt illud Caſſiodori: In qualitate deſiderii poteſt mens honeſta cognoſci. Dici enim eodem modo poteſt, in qualitate voluptatis poteſt mens honeſta, aut inhoneſta cognoſci. Etſi verò voluptas regula hic dicatur boni malive moralis, non idcircò vita propter voluptatem eſt, ſed contra. Nam ut Cicero ait 4. ad Heren: Eſſe oportet ut vivas, non vivere ut edas. Quo ſenſu dicebat Socrates alios vivere ut edant, ſe edere ut juvat. Et Anacharſis, Ludere, inquit, oportet, ut res ſerias agere poſſis, non agere ſeria, ut ludere poſſis.

Ad ſecundam, Auguſt. ſerm. 33. Vbi ſunt delitiæ veſtræ, propter quas ambulatis per vias pravas? Non dicimus ubi erunt, cùm hæc vita tranſierit, ſed modò ubi ſunt? Cùm heſternum diem hodiernus abſtulerit, & hodiernum craſtinus ablaturus ſit, quid eorum, quæ diligitis non tranſcurrit & tranſvolat? Quid non fugit penè, antequam capitur? cùm ex ipſo hodierno die nulla poſſit vel hora retineri?

Ad tertiam, Novitas delectationis parens eſt, ſed ipſa voluptas in faſtidium vertitur, ſi nimia & jugis ſit. Et quidem multò jucundior accidit ſi ſit recens ob infrequentiam & raritatem. Hanc cauſam fuiſſe ait Xenophon, commentario de Rep. Laced. cur Licurgi lege mariti uxoribus non conſueſcerent niſi furtivè & perrarò. In prima voluptatis deliberatione nondum perſpiciuntur defectus cum ejus bonitate conjuncti, cùm primò objicitur. Illis autem experimento deprehenſis, non tantùm obtunditur & hebeſcit acer ſenſus voluptatis, ſed etiam ſatietas & faſtidium creatur.

Ad quartam, Lucianus ut oſtenderet homines varietate delectari introducit hominem quendam, qui cùm Deus factus eſſet, mori deſiderabat, ut ampliùs non eſſet. Nam, ut inquiebat, cùm homo eſſem tœdioſa mihi cœpit eſſe vita, quod ſemper eundem ſolem, eandem lunam, eadem aſtra cernerem, iiſdemque cibis & oblectamentis uterer, nunc verò etiam cùm ſim Deus, quia eadem ſemper mihi eſt in divinitate voluptas, mori deſidero, ut hanc commutem.

Ad quintam, addi hæc ratio poteſt, quod multi voluptates præſtantiores ignorent; & eas, quæ ſenſus vehementius afficiunt, conſectentur.

Ad ſextam, addi etiam poteſt, quod voluptates ſpirituales ab operatione perfectiore procedant.

CAPVT V.

Exempla eorum, qui nimiâ voluptate ſeu lætitiâ interierunt.

VIx verisimile eſt, inquit Valerius Maximus, *in eripiendo ſpiritu idem gaudium potuiſſe, quod fulmen; & tamen potuit.* Multi ſunt, qui dolore cùm extingui non potuiſſent, lætitia ſunt conſumpti. Ita voluptas, quæ fovere vitam ſolet, quandoque abrumpit, & abrupit.

Diagoras Rhodius cùm in ludis olympicis filios Athletas eodem die vincere victoreſque coronari vidiſſet, atque in eum gratulabundus populus undique flores jaceret, eodem ſpectante populo medio in ſtadio præ nimia lætitia in oculis & manibus filiorum animam efflavit. Author eſt Cicero lib. 1. quæſt. Tuſc. Gellius lib. 3. Noct. Att. *Diagoras.*

Dionyſius Syracuſanus cum magna felicitate potitus modeſtè ſemper anteà fortunam tuliſſet, accepto nuntio de victoria inter tragœdos partâ nimio gaudio derepente mortuus eſt. Fulgoſius lib. 9. *Dioniſii Syracuſani.*

Subita quoque & recens lætitia Polycritam Naxiam è vita abſtulit. Cùm enim ob eximiam formam prudentiamque Diogeneto atque Erythræis *Polycrita Naxia.*

 Perſua-

perſuaſiſſet, ut Naxi obſidionem ſolverent, ab exercitu in urbem revertens cum publico honore atque omnium lætitia exciperetur, patriæque liberatrix appellaretur, in ipſa urbis porta pæne inter gratulantium amplexus mortua concidit. Idem Fulgoſius & Gellius.

Duarum matrum. Duarum matrum illuſtre apud Valerium Max. eſt exemplum. Vna earum ſoſpiti filio, quem ad Traſimenum lacum cecidiſſe intellexerat, obvia ad ipſam portam facta in complexu ejus exſpiravit. Altera cùm falſo mortis filii nuntio domi mœſta ſederet, ad primum conſpectum redeuntis exanimata eſt.

M. Iuventii Thalnæ. M. Iuventius Thalna, ut idem eſt teſtis, cùm in Corſica ſacrificaret, receptis literis decretas ei ſupplicationes nuntiantibus, intentò illas animo legens caligine ortâ ante foculum collapſus, nimio gaudio mortuus humi jacuit.

Philæmonis. Læto ſed pæne ridiculo mortis genere Philæmon obiit. Cùm enim aſinum ficus menſæ paratas comedentem videret, tanto gaudio diffluit, ut eo exſpiraverit. Eodem teſte.

Sophoclis Philippidis. Philiſtionis. Sed & hoc jucundum fatum Poëtæ ſunt experti. Sophocles accepto tragicæ victoriæ nuntio lætitiam in mortem commutavit. Plinius lib. 7. Philippides Comicus cùm in Poëtarum certamine viciſſet, ſubitę ac nimię lætitiæ ſuccumbens vitam amiſit, ut auctor eſt Gellius. Philiſtion Nicæus Poëta quoque Comicus nimio riſu ſibi mortem acciſcit, ut teſtis eſt Politianus.

Additamentum.

PRæter hic enumerata ſunt hæc: Chilo Lacedæmonius cùm filium in Olympiis coronatum complecteretur immoderatâ periit lætitiâ.

Attila Rex in novæ ſponſæ amplexibus exſpiravit.

Corn. Gallus, & Q. Herius eques Romanus, in Venere ambo perierunt.

Beltrandus Ferrerius eodem modo in Venere exſpiravit Barcellonæ, quæ urbs eſt Hiſpaniæ, ut tradit Iovianus Pontanus.

CAPVT VI.

An deceat Sapientem ridere.

Videtur non decere. PLato ſapientibus poſuiſſe legem, ne riderent, videtur, qui ridere ipſe teſte Laërtio, nunquam eſt deprehenſus; ideoque in ejus Academia ridere nefas olim fuit & inuſitatum. Ne nimirum, ut refert Ælianus, locum illum purum & inacceſſum animi diſſolutione contaminarent. Cæteri Platonici Heroes à riſu abhorruerunt. Ab eo abſtinuerunt Pythagoras, Anaxagoras, Ariſtides, Phocion, Pericles, aliique Græci: apud Romanos M. Craſſus, & Cato. Malebat Ariſton triſtem adoleſcentem, quàm hilarem videre. Apud Indorum Gymnoſophiſtas longè ab arcanis & myſteriis ſapientiæ amovebatur, qui ridere deprehendebatur. Vnde Nazianzenus fructum eſſe Philoſophiæ non exiguum ait, riſus immoderationem compeſcere, quod Philoſophum morum gravitas deceat, & quædam vitæ auſteritas. Meritò Sapiens *Riſum reputavi errorem.* Vel, ut vertit doctus Hieronymus, *Riſui dixi amentiam.* Magnus Helias, Gregorio Nyſſeno teſte, riſus penitus expers fuit.

Decet tamen. At verò quis ita moroſos & ſupercilioſos fingat ſapientes, ut amœna illa riſus amœnitas dedecere illos videri poſſit? Bion, etſi in ipſo Philoſophiæ gremio educatus, penè ridiculus fuit. Democritus nunquam ſine riſu in publico fuit, ut teſtis eſt togatæ Philoſophiæ Princeps Seneca. Ipſi Stoïci, qui duritiem & animi acerbitatem in laude ponebant, à riſu minimè abſtinuerunt. Riſit ipſe Seneca, & deſiluit aliquando riſu, cùm abſurdas Stoïcorum opiniones apud ſe reputaret. Marcus etiam Antonius Imperator,

tor, cui Philoſophia nomen propter vitæ gravitatem dedit, cùm de diuturna ſua peregrinatione concionem ad populum haberet, effusè riſit. Adeò ſapientem non dedecet riſus, modò non cachinnus ſit, nec hinnitus, nec illiberalis & immodeſtus. Quin imò philoſophicus etiam quidam eſt riſus, quem & fatui mores, & vitæ fortunæque excitat inconſtantia. Ita Simonides Philoſophus, cùm ſub Valente Imperatore ad mortem duceretur, riſit ſubitas monumentorum ruinas. Ita Sultanus captus olim à Franciæ Rege, cum nec Regis ſingulari benevolentia, nec Procerum hilaritate, nec multiplicium varietate voluptatum adduci ad riſum poſſet, tandem poſt annos duos, cùm rotas in publica via in orbem agitatas vidiſſet, maximum edidit riſum. Rogatus cauſam, *Occurrit*, inquit, *menti fortunæ imago, quæ modo affligit ad terram aliquos, modo attollit; iterum deprimit, iterum erigit.*

Additamentum.

SApientem riſum decere, non cachinnum docemus. Baſilii ſententia eſt ex Stobæo: Ad lenem uſque riſum, inquit, animi hilaritatem ſubindicare non dedecet; juxta Scripturam, quæ ait, Lætante corde vultus revidet; cachinnari autem voce, & concuti corpore, non eſt hominis animo compoſiti, neque probi. Nam, ut ait Nazianzenus orat. 23. Fructus Philoſophiæ non exiguus eſt, nimii riſus immoderationem compeſcere. De Neſtore tradit Philoſtratus in Heroicis, quòd ſemper hilaris videbatur, atque in riſum proclivis. Homerus Poëtarum ſapientiſſimus cæleſtes Genios & Numina Iovem, Minervam, Apollinem, & alios gaudio delibutos & ridentes effinxit. Hieronymus epiſt. 3. Vitam atque mores Nepotiani ſuâ gravitate cohoneſtans, Gravitatem, inquit, morum, hilaritate frontis temperabat, gaudium in riſu, non cachinnum intelligeres. Ælianus lib. 4. variarum hiſt. cap. 9. Platoni in more poſitum fuiſſe, ait, leniter ſubridere.

CAPVT VII.

Quæ remedia ſint contra voluptatem ſeu lætitiam immoderatam, aut turpem.

DIfficilius eſt, inquit Heraclitus, Ariſtotele teſte, voluptati obſiſtere quam iracundiæ. Naturâ enim ad voluptatem propenſi ſumus. Voluptatem autem blanditiis deliniti, ad ea gerenda omnia, quæ prava ſunt, impellimur; & dolorum cùm admoventur faces, à rectè factis deducimur. Remedia tamen aliqua ſunt.

Atque illud ſanè primum, turpem voluptatem non aliter, quàm ingentium malorum cauſam ſibi repræſentare, reformidareque. Hinc M. Cic. lib. 1. de Finibus: *Plerique propter voluptatem & parvam & non neceſſariam tum in morbos graves, tum in damna, tum in dedecora incurrunt, ſæpè etiam legum judiciorumq; pœnis obligantur.* Et Architas Tarentinus Pythagoricus Philoſophus nullam peſtem eſſe voluptate capitaliorem ait. Veniens fucatâ facie blanditur, abiens dolorem ac pœnitentiam relinquit. Boëtius eleganter: *Primum.*

Habet omnis hoc voluptas,
Stimulis agit furentes,
Apiumque par volantum,
Vbi grata mella fudit,
Fugit, & minus tenaci
Ferit icta corda morſu.

Cicero de Legibus: *Imitatrix eſt boni voluptas, malorum mater omnium, cujus blanditiis corrumpuntur, quæ naturâ bona ſunt.* Et Paradoxo I. *Quo*

major eſt voluptas, eo magis mentum à ſua ſede & ſtatu dimovet.

Aliud eſt brevem ac fugacem voluptatem conſiderare, quæ detracta celeriter ſuavitate longum in animo dolorem derelinquat. Vnde M. Tullius lib. 2. de Finibus, *Fluit voluptas & prima quæque evolat, ſæpiuſq́; relinquit cauſas pœnitendi, quàm recordandi.* Seneca verò epiſt. 60. *Omnes tendunt ad gaudium, ſed unde ſtabile, & magnum conſequantur, ignorant. Ille ex conviviis & luxuriâ, ille ex ambitione & circumfuſa clientum turba; ille ex amicâ, alius ex ſtudiorum liberalium vanâ oſtentatione, & nihil ſanantibus litteris. Omnes iſtos oblectamenta fallacia & brevia decipiunt; ſicut ebrietas unius horæ hilarem inſaniam longi temporis tædio penſat.*

Additamentum.

VT allata hic remedia illuſtrentur notandum quod proverbiorum 14. cap. dicitur. Riſus dolori miſcebitur, & extrema gaudii luctus occupat. Plautus in Amphitruone, actu 2. ſcena 2.

Eſt in ætatè hominum ita Diis placitum,
Voluptati, ut mœror comes conſequatur
Quin incommodi pluſq́; mali ilicò adſit, boni
Si obtigit quid.

Ovidius 7. Metamorphoſeon:

——. Nulla eſt ſincera voluptas
Sollicitumq́; aliquid lætis intervenit.

Maximus Tyrius diſſert. 31. Virtutem negligam libenter; hâc lege dico, ut voluptatem mihi ſolidâ oſtendas, nullis vitiatam doloribus quàm nulla excipiat pœnitentia, voluptatem laude dignam. Quomodo autem oſtendas? Non magis certè; quâ dolorem. Nihil enim horum omni ex parte ſolidum, penituſq́ue ſanum natura hominibus conceſſit. Vtique enim voluptati mœror adhæret, alterumq́ue exemplò imbutum eſt altero; ut neceſſe ſit alterum ſi eligas, alterum quoque exemplò contingat tibi. Eodem modo D. Baſilius homilia de Paradiſo. Roſa, inquit, hic ſpinis eſt conjuncta, externa gratia moleſtiam obtegens, & tantum non aperta nos voce conteſtans & dicens, Quæ jucunda ſunt vobis, ô homines, triſtibus permixta ſunt, &c. Efficax autem remedium ad delectationis moderationem eſt, ſenſuum exteriorum fræpatio; nam per eos voluptas ad mentem irrepit. Quâ de re paſſim authores morales, & ſancti Patres.

TITVLVS VII.

De Triſtitiâ ſeu Dolore.

CAPVT I.

Quid ſit triſtitia, & quæ ejus ſpecies.

Deſintio triſtitia. TRISTITIA (quæ & dolor & ægritudo appellatur) eſt concupiſcentis appetitus perturbatio ex objectâ mali præſentis ſpecie proveniens. Definitur à Cicerone opinio recens mali præſentis, in quâ demitti contrahique animum rectum eſſe videatur. Certè eſt quædam animi contractio, etſi adverſante ratione.

Species, Triſtitiæ ſeu doloris ſpecies quatuor ſunt præcipuæ, Miſericordia, Invi-
Miericordia, dia, Indignatio, Anxietas. Miſericordia eſt dolor de alterius malo ex amore malum alienum tanquàm proprium intuente proveniens. Invidia eſt
Invidiâ, triſtitia de bono ſeu felicitate alienâ, quatenùs illa propriam gloriam di-
Indignatio. minuere exiſtimatur. Indignatio eſt dolor inde proveniens, quod uniuſcujuſque meritis præmium non referatur. Exempli gratia, quod vir bonus malè aut contumelioſè tractetur, vel quod improbus ad honorem evehatur. Ex quo patet ex amore juſtitiæ ejuſmodi dolorem oriri, cùm nimi-
Anxietas. rum violari Iuſtitia cernitur. Anxietas eſt conjunctus cum ſollicitudine dolor, ex eo ortus, quod quid actum, vel agendum ſit, ignoretur. Ipſa autem ſollicitudo non dolor eſt, ſed diligens ad quippiam agendû animi attentio.

Ad has

Ad has ſpecies referri Verecundia poteſt, quæ eſt dolor de peccato vel defectu manifeſto, modicus quidem & parvam faciens conſtipationem. Cùm autem vultus ſit veluti totus homo, natura ex corde partibuſque intimis ſanguinem ad faciem evocat, ut ejus quaſi ſit velamen. Et quoniam in vultu præcipua pars oculi ſunt, fit ut in pudore oculos tegamus, ut ſic alterius quodammodò conſpectum fugiamus, quod per oculos, tamquam per portas intrare ignominia videatur. Quam ob cauſam qui capti oculis ſunt, & in tenebris degunt, abeſſe multùm à verecundiâ ſolent. *Verecundia.*

Additamentum.

SCALIGER Exercit.316. triſtitiam definit eſſe depreſſionem animi ex re non convenienti. Ludovicus Vives lib.3. de Animâ, eſſe animi de malo præſenti contractionem. Alii definiunt eſſe affectum, quo anima malum præſens cum dolore perpetitur. Magirus lib. 6. Phyſicorum cap. 6. dicit eſſe motum cordis, quo ſe contrahit & conſtringit, retractis ad principia ſua ſpiritibus, ut malum præſens evitet. Ex quibus patet triſtitiæ materiam ſeu objectum eſſe malum præſens ſeu reipſa, ſeu quâdam repræſentatione. Quod attinet ad triſtitiæ ſpecies, eæ ſingulæ hic enumerantur & definiuntur. De his pauca hoc loco.

Inprimis invidia circa aliena bona verſatur. Vnde Bion apud Laertium lib. 4. cap. 7. cùm videret mundum quendam demiſſo in terram vultu, Aut, inquit, huic magnum malum accidit, aut magnum bonum alteri. Eodem modo Publius quidam cũ Mutium invidum ſolito triſtiorem conſpexiſſet, Aut Mutio, inquit, neſcio quid incommodi acceſſit, aut neſcio cui aliquid boni, ut refert Macrobius lib. 1. Saturn. cap. 2. Porrò bona, propter quæ excitatur invidia, ſunt primò ea, quæ magni æſtimantur. Vnde Ovidius 1. de rem. Amoris.

Summa petit livor, perflant altiſſima venti,
Summa petũt dextrâ fulmina miſſa Iovis.

Secundò quæ nobis vicina ſunt. Hinc proverbium, *Invidus vicini oculus.*
Et Ovidius 1. de Arte.

Fertilior ſeges eſt alienis ſemper in agris,
Vicinumq́, pecus grandius uber habet.

Et Heſiodus lib. 1.

Semper vicinus vicino eſt æmulus.

Tertiò quæ magna & alta, ſed non maxima & ſumma. Nam, ut ait Plutarchus, Vt fumus ſi ignis convaleſcat & flamma ſe explicet, evaneſcit, ita livor, ſi virtus & gloria augeatur, deſinit. Quartò quæ oſtentari ſolent & jactari. Horat.l.1.ep.17.

Nam tacitus paſci ſi poſſet corvus, haberet
Plus dapis, & rixæ multò minùs invidiæq́.

Quintò quæ noſtris ſunt cognata. Heſiodus lib. 1. operum & dierum, Figulus figulo iraſcitur, & faber fabro, & mendicus mendico invidet, & cantor cantori. Denique viventium potiùs bona, quam mortuorum. Ovidius lib. 3. de Ponto:

Scripta placẽt à morte ferè, quia lædere vivos
Livor, & inviſo carpere dente ſolet.
Paſcitur in vivis livor, poſt fata quieſcit,
Tunc ſuus ex merito quemq; tuetur honos.

Plurimùm verò nocet invidis invidia. Idcircò Iſocrates, Invidiæ hoc unum adeſt boni, quod maximo malo eſt habentibus. Et Cyprianus ſerm. 1. de Invidia. Hinc minax vultus, torvus aſpectus, pallor in facie, tremor in labiis, ſtridor in dentibus, verba rabida, effrænata convitia, manus ad cædis violentiam prompta. Horatius lib. primo epiſt. 2.

Invidiâ Siculi non invênere tyranni
Majus tormentum.

Nocet & aliis cædiumque & bellorum eſt cauſa. Propterea Lucanus lib. 1. ait:

—— Stimulos dedit æmula virtus,
Nec quenquam jam ferre poteſt Caſárve priorem,
Pompeiúsve parem.

Antiſthenes abſurdum eſſe dicebat, triticum repurgare à Lolio, bellum ab inutili milite, & à Repub. non ſecernere invidos. Quippè, ut in proverbio eſt, *Vna domus non duos alit canes.*

Cæterùm Invidia, teſte Cicerone & Ariſtotele, cadit in homines improbos, degeneres, abjectos, puſillamines. Inde Seneca in proverb. Si non invideris, major es; nam qui invidet minor eſt: ſcito, quod invidia eſt dolor animi ex alienis commodis; ſcito etiam illud, quod nulli invidet, qui bonitate præditus eſt. Eraſmus in Adagiis, & Apertæ & expertes invidiæ Muſarum ſunt januæ. Ariſtides, cognomento Iuſtus, cùm ab Athenienſibus ejiceretur manus ad Cœlum tendens, precatus eſt Deum, ut Athenienſibus omnia ita in poſterum feliciter ſuccederent, ut Ariſtidis obliviſcerentur, ſicque invidiæ ceſſit.

Æmu-

Æmulatio non idem cum invidia, ſed quædam ad bonum excitatio eſt; ſeu eſt honeſtum & laudabile ſtudium illud, quo accendimur ad virtutes alienas imitandas aut etiam ſuperandas ſine ullo tamen ipſius ſtudio. Vnde qui æmulatur non dolet, quod bona aliis contigerint, ſed quod ſibi non obvenerint. Hæc in mentes generoſas & præſtantes cadit.

Quod attinet ad Miſericordiam ejus tanta neceſſitas eſt, ut referente Stobæo ſerm. 1. de Virt. dixerit Phocion, Nec è templis Deorum aras, nec ex hominum vità miſericordiam auferendam eſſe. Sed de hac inter virtutes, ſicut etiam de Verecundia.

CAPVT II.

Quæ ſint cauſæ, & qui effectus triſtitiæ ſeu doloris.

Variæ cauſæ. PRima cauſa eſt malum præſens vel bonum amiſſum. Illud enim, & hoc quoque dolorem facit.

Secunda eſt impedimentum appetitui in proſequendo bono objectum. Triſtamur enim cùm id, quod appetimus, conſequi bonum non poſſumus, & moram invita pati voluntas debet.

Tertia vis eſt & poteſtas major, cùm ad id faciendum compellimur, quod voluntati deſiderioque noſtro contrarium eſt. Id verò, quod contra deſiderium noſtrum evenit, vis eſt quædam.

Effectus varii. Effectus triſtitiæ varii ſunt. Triſtitia enim inprimis diſcendi facultatem aufert. Quippè dolor ſenſum feriens animum ad ſe trahit, & quò minus ſtudio ſeſe applicet, non parum impedit. Animus uni actioni dum intendit, ab alia diſtrahitur. Deinde gravat animum dolor, & per modum ponderis motum appetitus impedit, ne quo vult, feratur. Vndè fit, ut humanam actionem triſtitia vel maximè impediat, hilaritatem tollat, mentem obnubilet, uſum ſermonis penè auferat, providentiam in nobis hebetet, animum quaſi conſopiat, virtutem cohibeat, totum hominem ineptum & deformem reddat.

Triſtitiæ etiam effectus eſt quandoque morbus, & ſubita vitæ extinctio. Ita Diodorus Dialecticus, Fulgoſio teſte, cùm tam citò, ut voluiſſet, quæſtionem à Stilpone propoſitam non diſſolveret, repentina anxietate preſſus animam egit. Heli quoque Iudæorum Pontifex ac judex accepto triſti nuntio de clade, qua Palæſtini hoſtes capta arca occiſiſque ipſius filiis, Iudaicum exercitum affecerant, magno ſubitoque dolore oppreſſus, cùm à Regio ſolio ſupinus caderet; effracto collo confeſtim periit.

Magnus omninò & vehementer perturbans effectus eſt triſtitia. Vnde Salomon proverb. 25. *Vt veſtem tinea & lignum teredo, ita cor viri triſtitia lædit.* Et Menander:

Multorum malorum cauſa omnibus eſt ſuaptè naturâ.
Triſtitia, propter hanc etiam inſania oboritur
Multis, & ægritudines incurabiles.
Interficiunt etiam aliqui ſeipſos præ triſtitia
Cùm quod infert mœrorem majus eſt, quam unde ſperatur ſalus.

Antiphanes *Triſtitia inſaniæ vicina mihi eſſe videtur.*
Philæmon Syracuſanus Poëta, *Morbum ferre ſatius eſt, quam triſtitiam.*
Hinc in Oreſte ita conqueritur Euripides:

Triſtitia potiſsimum perdor.
Gravis enim dea eſt veruntamen curabilis.

Dicam cum Comico Græco, *Caruiſſe triſtitia felicis eſt viri.*

Additamentum.

LVdovicus Vives 3. de Anima, Affectio hæc, inquit, frigida eſt & ſicca, idcircò invaleſcit in frigidis temporibus & locis, omninoque in iis, qui ingenium obtinent melancholicum, ut in Autumno & hyeme, & tempore nubilo, & de no-

ſte, tum ad Septentrionem, in quibus regionibus plures abſumit mœſtitia, quam vel in Hiſpania, &c. Solitudo quoque nos facit triſtiores cum noſtra mala nobis ob oculos ponat ſine aliarum occupationum interpellationibus, & ut ea ſubinde meditemur, faciat. Quod attinet ad effectus optimè Menander:

Multorum cauſa malorum omnibus ſuaptè eſt natura
Triſtitia; propter hanc enim inſania oboritur
Multis, & morbi incurabiles,
Et nonnulli per triſtitiam ſeipſos ſuſtulerunt.

Idem, Non eſt triſtitia, ſi quis rectè judicet, majus malum in hominis naturâ. Philemon, morbum, inquit, longè faciliùs eſt, quam triſtitiam ferre. Hinc illa Symbola, Pythagoræ *cor ne edito. Anguſtum annulum ne geſtato.* Proverb. 17. cap. Spiritus triſtis exſiccat oſſa. M. Tullius 3. Tuſculanarum quæſt. Cùm omnis perturbatio, inquit, miſeria eſt, tum carnificina eſt ægritudo. Habet ardorem libido, levitatem lætitia geſtiens, humilitatem metus; ſed ægritudo majora quædam; tabem, cruciatum, afflictionem, fœditatem; lacerat, exeſt animum, planeque conficit. Exemplum apud Poetas eſt in Niobe, quæ præ nimio mœrore in ſaxum verſa dicitur. Et Hecula, quæ in canem mutata fingitur, cùm ejus mœror in rabiem & deſperationem verſus eſſet. Huc referenda Octavia Marcelli mater, cujus rigidiſſimum mœrorem Seneca in conſolatione ad Marciam expreſſit. Nullum finem, inquit, per omne vitæ ſuæ tempus flendi gemendique fecit, nec ullas admiſit voces ſalutare aliquid adferentes; nec avocari ſe quidem paſſa eſt, intenta in unam rem, & toto animo affixa. Talis per omnem vitam fuit, qualis in funere. Non dico non auſa conſurgere, ſed allevari recuſans, ſecundam orbitatem judicans lachrymas omittere. Nullam haberi imaginem filii chariſſimi voluit, nullam ſibi fieri de illo mentionem. Oderat omnes matres, & in Liviam maximè furebat, quia videbatur ad illius filium tranſiiſſe ſibi promiſſa felicitas. Tenebris & ſolitudini familiariſſima, ne ad fratrem quidem reſpiciens. Plura ibidem. Videri etiam poteſt Nilus oratione de Triſtitia, & ſanctus Chryſoſtomus lib. 2. & 3. de Providentia, & epiſt. 7.

CAPVT III.

De natura eorum, qui Triſtitia commouentur.

TRiſtitiâ qui afficiuntur, eorum corpora terrenam quandam naturam attingunt. Atræ bili obnoxii eſſe ſolent, quos proinde Ariſtoteles ait, non animo tantùm, ſed etiam corpore vexari, ſemperque medicina egere, quod, aſſiduè abrodantur, vehementer appetant, multum ſumant, parum concoquant. Proni etiam ſunt ad invidiam, fraudem, avaritiam, ignaviam. Atque hinc eos Aſtronomi Saturno ignavo & hominibus infeſto ſyderi ſubjiciunt. Macilentos ac triſtes fugiendos eſſe Cæſar dicebat, quales erant, de quibus tum loquebatur Brutus & Craſſus. Triſtes illi homines hominum cœtus oderunt, comites fugiunt, ſolitudinem amant, ſeipſos cruciant. Ideò dicebat Pythagoras. *Cor non eſt edendum*, triſtitia nimirum animum non eſſe excruciandum. Notum etiam adagium eſt, *Arctum annulum ne geſtato.* Scilicet ne vixeris anxiè. Poëtæ, ut quantum hominis animo triſtitia noceret, oſtenderent, Prometheum in Caucaſo monte religatum finxerunt, cujus cor Aquila roderet. Sed quoniam cogitatio cogitationem parit, cor eius quoque renaſci dixerunt, ac ſi nunquam deficere perpetuoque reparari. His de cauſis inutilis & indecora Principibus eſt triſtitia, quod cum hominibus agere ipſi debeant, non verò aut cœtus, aut ſermones fugere. De amariori triſtitia loquor.

Sunt obnoxii atræ bili.

Proni ad inuidiam.

Fugiunt homines.

Additamentum.

FRacaſtorius lib. de Sympathia c. 18. tradit eos eſſe triſtitiæ obnoxios, qui contrariis ægrius reſiſtunt, nec ad lætitiam obeunda ſunt idonei. Tales ſunt ſenes, & ægri, & qui valetudinem nondum confirmarunt, quia pauci caloris ſunt, exangueſque & debiles. Item qui melancholici & amariori ſanguine abundant, atque idcircò alieni ſunt à jocis & quibuſcunque lætis. Plinius lib. 7. cap. 19. de quorundam ſeveriori naturâ agit. Ferunt, inquit, Craſſum, avum Craſſi in Parthis interempti nunquam riſiſſe, ob id Agelaſtum vocatum; ſicut nec fleviſſe multos. Socratem

tem clarum ſapientia eodem ſemper viſum vultu, nec aut hilari magis, aut turbato. Exit hic animi tenor aliquando in rigorem quendam torvitatemque naturæ duram & inflexibilem, affectuſque humanos adimit. Quales apathes Græci vocant multos ejus generis experti, quodq; mirum ſit, authores maximæ ſapientiæ Diogenem Cynicum, Pyrrhonem, Heraclitum, Timonem; hunc quidem etiam in odium totius humani generis evectum. Tales etiam ſunt iracundi, quod ira admixtam habeat triſtitiam ratione mali offendentis, quod bilem concivit.

CAPVT IV.

Quomodo Triſtitia ſeu Dolor leniatur.

Lachrymis. Lachrymis primo lenitur. Quippe per lachrymas melancholicus, qui caput occupabat humor, reſolvitur. Et fletum cum malum quodammodo ipſum exiſtimemus, ille dum emittitur, dolor noſter recreatur.

Conſolatione. Conſolatione etiam amicorum mitigatur. Eos enim tunc eſſe amicos experimur, quod ſanè longè nobis gratiſſimum eſt. Ii dum voluptatem læta narratione adferunt, non poſſunt non præcedentem dolorem minuere. Ac deinde quia miſeriam ferre quodammodo nobiſcum videntur, potiſſimùm ſi ipſi etiam aliquid patiantur, ſublevari omninò videmur.

Averſione imaginationis. Deinde imaginationis averſione. Cum enim ſublata cauſa effectum tolli ſit neceſſe, & imaginatio præſentis mali triſtitiæ ſit cauſa, illâ remotâ, hæc ceſſat.

Somnus & balnea. Mitigant etiam triſtitiam ſomnus & balnea. Turbatam ſiquidem naturam vitæ ſtatui reſtituunt, & membris motum ſuum antea impeditum reddunt; unde quædam exſurgit delectatio, quæ dolorem mitigat. Præterea oblectamenta viſus & auditus, muſica, narratiuncula lepida, ambulatio in campis cœloque aperto, cibi calidi & humentes, vinumque potiſſimum. Vnde illud, *Da vinum mæſto.*

Ovidius 4. Triſt.

Fletq; meos caſus; eſt quædam flere voluptas,
Expletur lachrymis, egeriturq; dolor.

Seneca in Troade. —— *Arbitrio tuo.*

Implere lachrymis, fletus ærumnas levat.

D. Auguſtinus, ut ipſe in Confeſſionum libris fatetur, ut dolorem, quem ex matris Monicæ morte conceperat, abſtergeret, ipſo funeris die in balneum ivit, parum tamen profuit. Ad ſomnum deinde ſe contulit, ac poſteaquam experrectus eſt, magna ex parte mitigatum dolorem deprehendit. Idem verò Auguſt. in Ioannem. *Si paupertas angit, ſi luctus mæſtificat, ſi dolor corporis inquietat, ſi ulla calamitas vexat, adſunt boni homines, qui non ſolum gaudere cum gaudentibus, ſed flere cum flentibus norunt, leniuntur aſpera, revelantur gravia, ſuperantur adverſa.*

Additamentum.

Lachrymis, conſolatione, averſione imaginationis, ſomno, balneis. Cauſa verò triſtitiæ attendenda eſt ut opportuna ſit curatio. Melancholicis triſtitiam excutit rerum jucundarum aſpectus vel narratio, iiſque ſoli amœnitas cælique ſerenitas capranda eſt. Vinum quoque triſtibus propinandum eſt. Ideò apud Hebræos morituris præbebatur; item apud Athenienſes. Horatius lib. 1. ode 18.

Siccis omnia nam dura Deus propoſuit; neq; Mordaces aliter diffugiunt ſollicitudines

Quis poſt vina gravem militiam aut pauperiem crepat?

Vide Athenæum initio libri ſecundi, & Macrobium lib. 2. Saturnalium, cap. 8. ubi oſtendit vino ad rationis præſcriptum hauſto triſtitiam dilui. Idem eſt judicium de aliis humidis & calidis, quibus atra bilis tepeſcit, & paulatim diluitur. Quod ſi triſtitia ex incurſu mali alicujus externi proveniat, optimum eſt cogitationem alio avocare, ut oblivio ſubrepat. Magnam vim habet cantus ad mœrorem levan-

vandum, dum animum ſuaviter ſeducit. Vnde Chryſologus ſerm. 10. initio, Omnes, inquit, qui arduas operum ſublevant & ſolantur anguſtias, probant ad ſolatium laboris datam nobis naturaliter cantilenam. Hinc nautæ cantu ſuperant marina diſcrimina: hinc immenſa pondera adducunt levamine canticorum: hinc viatores colles arduos facit tranſcendere vox ſonora: hinc præliatores ipſos præcedens cantus ſubire concitat amara bellorum. Ac ne multis, omne quod duri operis, quod laboris, dulcis vincit & efficit cantilena. Chryſoſtomus in Pſalm. 41. Noſtra certè natura uſque adeò delectatur canticis & carminibus, & tantam cum iis habet neceſſitudinem & convenientiam, ut vel infantes ab uberibus pendentes, ſi fleant & affligantur, eâ ratione ſopiantur. Nutrices quidem certè, quæ eos geſtant in ulnis, ſæpè abeuntes & redeuntes, & quædam puerilia eis carmina decantantes, ſupercilia eorum ita ſapiunt. Quocirca ſæpè viatores meridie agentes jugalia animalia, hoc faciunt canantes, itineris moleſtiam illis canticis conſolantes, &c. Ludovicus Vives lib. 3. de Anima multa ſimul complexus eſt his verbis: Tollitur triſtitia vel malo ſublato, vel reddito amiſſo bono, aut rebus lætis majoribus affluentibus, quas pluris æſtimamus, quàm illas, quarum abſentiâ dolebamus. Diluitur etiam iis, qui tepeſfaciunt atram bilem, ut cibis calidis, & potiſſimùm vino, de quo eſt in Sacris litteris, *Da vinum mæſto*. Item oblectamentis viſus & auditus, ut cælo aperto, Muſicâ, averſatione cogitationis, narratiunculis lepidis, &c.

CAPVT V.

An deceat virum fortem mæſtum eſſe ac lugere.

NOn decere ſanè videtur, quòd mæſtitia mollitiem animi oſtendat, virtutem enervet, languidiorem hominem reddat. *Non videtur decere* Iam ea olim Spartanorum puerorum diſciplina fuit, ut ad aram Iovis cæderentur, ferreque plagas ſine mœrore ac lachrymis conſueſcerent. Nec inventus eſt unquam quiſquam, qui ingemiſceret. Quod ſi quis mœroris ſignum oſtendiſſet, ita ab æqualibus ridebatur, ut aram iterum conſcendere patique plagas cogeretur. Quâ conſuetudine omnium Græcorum fortiſſimi facti ſunt Lacedæmonii; ipſæ etiam fœminæ puerique, cùm ab Antigono Macedonum Rege victi tandem eſſent, invicto animo fortunæ mutationem tulerunt. Vitio datum eſt Ciceroni, etſi tantæ excellentiæ viro, quod flens mutatâque veſte, ne in exilium abire cogeretur, penè ſingulos adierit. Nec fortior Cicerone Demoſthenes, qui præ mœrore animo cadens exilium ſubire potiùs ſtatuit, quàm judicio certare. Hæc quidem humani generis infirmitas eſt, virum tamen fortem non decet hâc ægritudine perturbari, ſed terrena omnia ſuam infra fortunam opinari. Decemvirales illæ duodecim tabularum leges viris ac mulieribus funebrem fletum prohibebant. Ingemiſcere tamen etiam viro aliquando conceſſum eſt, etſi perrarò. Si interitus ſit virorum vita & factis clariſſimorum, eorum fama gloriaque lachrymas omnes abſtergit. Nec ferendi ſunt graviter illi caſus, quos nullo conſilio vitare, aut vincere poſſumus. Communis legis, & humanæ conditionis recordatio levat dolorem, quod non ſatis decere videatur id lugere, quod omnibus accidit. Laudatur Lacæna illa mulier, quæ auditâ filii morte pænè ridens gratias egit, quod filium eiuſmodi peperiſſet, qui pro patriæ ſalute occubuiſſet. Eodem pænè modo Xenophon cùm coronatus in ſacrificio de filii morte nuncium accepiſſet, coronam depoſuit; ubi verò fortiter pugnantem occubuiſſe dictum eſt, coronam recepit, actiſque gratiis rem divinam facere perrexit. Innumera alia ſunt conſtantis in luctu animi exempla. Nec immeritò notatus Cato Iunior quod mortem Cæpionis fratris ſui moleſtius, quàm par erat, tulerit. Fateor tamen difficile omninò eſſe, ut eorum, quos dileximus, interitus non triſte in nobis deſiderium relinquat. Quam multis etiam graviſſimis viris eiuſmodi in occaſione lachrymæ eruperunt? Humanitatem hic diſſimulare pænè non

licet. Rectè Chryſippus Sapientem quidem dolere dicebat, ſed non torqueri, non cruciari, non demiſſo animo reddi. *Inſipientum dolores ratione carent*, ut ajebat Architas Pythagoreus, *Sapientum verò non ultra progrediuntur, quam ratio de rebus componendis ſollicita permittit.*

Additamentum.

NOtum eſt illud, Boni viri facilè lachrymantur. Ipſe mundi ſervator Chriſtus fleviſſe legitur. Hiſtorici quoque & Poëtæ viros ſummos lachrymas fudiſſe, aut ab iis temperare ſibi non potuiſſe referunt. Videri poteſt proverbium, Boni viri lachrymabiles, apud Eraſmum Chiliade 2. centuria 7. proverb. 64. Neque ſanè lachrymarum & luctus cauſæ minus in viris fortibus poſſunt, quam in aliis. Non tamen eorum lachrymæ ſunt ab ignavia, timiditate, impatientiâ, vindictæ cupiditate, & deſperatione; ſed à juſta indignatione, præ commiſeratione, honeſto gaudio promanant, & ſemper moderatæ.

Chryſoſtomus hom. 1. in epiſt. 2. ad Timothæum. Prorſus neminem invenies, inquit, triſtitiæ ac doloris exortem, etſi alius magis, minuſque alius doleat. Non itaque feramus graviter, neque nos tantummodò triſtia pati arbitremur. Neque enim fas eſt, ut homo, qui ſit, mortalemque hanc agat vitam, dolorisangoriſque ſit expers.

CAPVT VI.

Quæ ſint aduerſus triſtitiam remedia.

Varia remedia. PRimum eſt venturi mali præmeditatio. Hinc Seneca, *Præcogitati mali mollis ictus venit*. Et commune verbum, *Tela præuiſa minus feriunt*. Epictetus in Enchiridio. *Si vis triſtitia vacare, quæ futura ſunt ſic æſtima, veluti iam accidiſſent.*

Secundum eſt ea, quæ contingunt, mala, cogitare humana eſſe, quæ tulerunt antea multi, & ferent poſtea alii.

Tertium eſt, cùm malum evenit, æquo illud animo ferre. Virtutis enim exercendæ materia eſt & boni acquirendi. Triſtitia in virtutis materiam trahere indolis eſt admodum generoſæ. *Multum ſibi adiicit*, inquit Latinus Philoſophus, *virtus laceſſita*. Et certa Nazianzeni ſententia, *Multa tuliſſe magiſterium eſt fortiter ferendi*. Imò perſtandi diſciplina eſt, vacillaſſe. Si fortunæ auferatur, cogita id evenire, ut conſtantius reponantur. Ferrum quo ſæpiùs canduit, durius eſt; nec radices altas agit ſeges, niſi quam nix alta oppreſſit.

Quartum evocanda cogitatio, quantum fieri poteſt, à præſenti mœſtitia, & ad ea bona, quæ aliquando quis habuit, vel habiturum ſe ſperat convertenda. Imò *Adducendus eſt animus ad alia ſtudia, ſollicitudines, curas, negotia, loci, denique mutatione ſæpe mutandus eſt*. Medici cùm purgare aut exſiccare catharrum non poſſunt, in alias corporis partes ipſum minori cum periculo derivant. Illi verò, quibus membrum aliquod ferro reſcindendum eſt, aut exurendum, aut aperiendum, alio oculos deflectunt.

Quintum eſt revocare in memoriam calamitates eas, quas antea quis eſt expertus, & ex quibus aliquando, etiam præter ſpem, evaſit; ut hoc modo non minor ſpes, quam antea, concipiatur. Cogitandum etiam non minus futurum propterea malum, ſi triſtitia percellamur; nos autem miſerrimè per triſtitiam eſſe conficiendos.

Additamentum.

ADdo ad allata hic remedia aſſuetudinem patiendi magnum eſſe triſtitiæ lenimentum. Pulchrè Themiſtius apud Stobæum ſerm. 121. Quomodo caput tonſum levitatem & facilitatem percipit, comatum autem gravitatis ſenſum non evidenter exhibet? Et qui vinculis ſoluti ſunt, gaudent, vincti verò non dolent? Et lumen illatum ſubitò in convivium clamorem applauſumque præ gaudio excitat, priùs autem aëris obſcuritas non moleſta, nec triſtifica videbatur oculis? Nempè iſtorum omnium vna cauſa reddi debet, quod res præter natu-

ram

ram paulatim conſuetudine & familiaritate ſuâ ita afficit *ſenſus*, ut patiens aliquid non admodum ægrè ferat. Vbi verò deinde priori affectu liberatus & naturæ reſtitutus fuerit, maximè gaudet & oblectatur. Statim enim re nobis commoda & oblectante fruentes, grave ac moleſtum fuiſſe, quod præceſſit deprehendimus, &c. Aliud remedium eſt ſi noſtrâ opinione malum, quo affligimur, diminuamus; totum enim à noſtra opinione dependet. Item ſi conſideremus ea, quæ patimur, naturæ communis eſſe mala, quibus alii etiam ſunt obnoxii; imò virtutum eſſe argumenta. Neque enim, niſi in tempeſtatibus, nautarum induſtria apparet, & in adverſitate potiſſimùm virtus elucet. Nec Mutium Scævolam hodiè ſciremus, niſi ob Porſenam non occiſum manum in ignem conjeciſſet; nec Attilii Regulitam celebre nomen eſſet, niſi Carthaginenſium crudelitatem conſtantia viciſſet. Sanè adverſitas theatrum eſſe virtutis videtur. Poſtremò ſciendum eſt dolore dolorem non leniri, ſed augeri. Huc referri poſſunt, quæ de fortitudine & patientiâ lib. 3. dicuntur.

CAPVT VII.

An triſtitia ſit hominis naturalis.

Naturalis certè non eſt, ſed noſtræ inimica naturæ. Tota eſt ab opinione; imò tota eſt ab errore, & abjecti animi ſemper eſt ſignum. Si à natura hic affectus eſſet, eo homines omnes commoverentur. Multa quæ triſtitiam nonnullis adferunt, eadem lætitiam aliis apportant; & eadem res ridere aliquos facit, alios flere. Flentibus qui adſunt, à fletu eos revocant. Imò qui triſtes ſunt, imbecillem ſæpè affectum ſuum damnant, & aliorum in adverſitatibus conſtantiam laudant. Quis dolori ſuo luctum ſuum accommodat? una eſt, quæ eventum futurum reformidat, opinio. Tantum abeſt, ut naturæ noſtræ hic affectus ſuffragetur, ut etiam illi adverſetur. Delet ille & extinguit, quicquid in nobis natura bonum pulchrumque finxit. Caput inclinat, adfigit in terram oculos, vocem intercludit, membra concutit, ex oculis lachrymas extorquet, hominem velut ſtatuam efficit. Quam multi ſunt, qui in Naturam inque Deum ipſum dolore aliquo perciti conſurgunt, & quaſi malè mulctati conqueruntur? Ita impius eſt hic affectus, & noſtræ conditiones ignorantiam in nobis arguit. Nati ſumus & in hanc lucem miſſi, non ut legem naturæ ponamus, ſed quicquid evenerit, ſubmiſſo & conſtanti animo excipiamus, Fruſtrà fit, quicquid aliter fit. Decipimur ſanè, & dum dolorem prodeſſe putamus, damnum ſentimus. Non extrahit ex animo ferrum, ſed altius imprimit. Internus eſt hoſtis, & in nobis & ex nobis naſcitur aliturque; proque hoc beneficio pudore nos confundit, infamia cumulat, in tenebras cogit & deturpat. Quid iſta luctus & triſtitiæ ſigna? quid obvelata facies? quid veſtes ſordidatæ? Naturæ ſanè noſtræ dehoneſtamenta, quæ ut viros parum decent, ita eos emaſculant. Conſidera triſtem illam apud Poëtas Niobem:

Diriguit viſu in medio; calor oſſa reliquit,
Labitur & longo vix tandem tempore fatur.

Triſtitia non eſt à naturâ.

Etiam contra naturam eſt.

Ita verè dictum. *Curæ leves loquuntur, ingentes ſtupent.* Et illud, *Triſtitia exſiccat oſſa.* Nec malè quidam, *Triſtitia virum Eunuchum facit.* Vnde non immeritò Thraces fœminarum veſtibus virum lugentem induebant. Et primæ in Romanorum Republica leges ejuſmodi lamentationes, ne Natura deformaretur, jure prohibebant. Celeberrimus ille olim pictor, cùm in Ephigeniæ ſacrificio aſtantium amicorum dolorem vario geſtu ac vultus immutatione expreſſiſſet, Agamemnonis parentis faciem velo texit. Rectè ſanè, ut quam induxerat triſtitia deformitatem, obvelaret. Fictitiæ tantùm ſunt, & artificiales pompæ funebres, in quibus præficæ olim, conductæ nimirum, ut lugerent, mulieres. Adeò etiam ab opinione ſunt non à natura ejuſmodi lachrymæ, eo tantùm fine, ut appareant.

Additamentum.

Titulo 1. cap. 3. hujus libri oſtendimus affectus ita naturales eſſe, ut tamen voluntatis imperio ſubjaceant. Et verò triſtitia non aliter naturalis dici poteſt, quàm ex quâdam complexione, ut inter cauſas dictum eſt. Cæterùm admodum dedecet, ſi non regatur, ut fusè hic oſtendimus, dum nimium illi homines indulgent, externo etiam apparatu, & cùm ſe in luctum effundit. Legibus 12. tabulatum ejulatus fletuſque funebris jure viris fæminiſque prohibitus fuit, etſi ingemiſcere nonnunquam etiam viris côceſſum. In funere virorum illuſtrium fama & gloria rerum geſtarum abſtergere lachrymas omnes debet, & diuturna eorum memoria conſolationem adferre. Graves caſus, qui conſilio vinci aut vitari poſſunt non graviter ſunt ferendi. Quippè nihil præter mortalium conditionem accidit, levatque dolorem communis legis & conditionis humanæ recordatio.

TITVLVS VIII.

De Spe.

CAPVT I.

Quid ſit Spes?

Definitio Spei.

SPES eſt iraſcentis appetitus commotio ex objectâ boni futuri ſpecie proveniens. Vel eſt affectio ex imaginatione boni futuri orta. Cùm enim quod obtinendum eſt bonum difficultates aliquas, ſed quæ vinci ſuperarique poſſunt, habere apprehenditur, excitatur in animo ejus conſequendi ſpes à quo minores vel pauciores ſunt eæ difficultates, eo ſpes eſt major. Hinc ebrii multum ſperant, quoniam cùm habeant capita vaporibus repleta, conſopitam quoque habent imaginationem, nec quicquam ſibi, quod arduum ſit, repræſentant: puer item & adoleſcentes ob imperitiam nihil ſibi difficilè arbitrantur, Senes quoque & nautæ cùm ſæpè votorum ſuorum compotes ſint facti, ſperare non ceſſant.

Additamentum.

SCALIGER Spem ait eſſe expectationem boni. Ludovicus Vives Exercit. 314. Spes, inquit, eſt fiducia, eventurum, quod cupimus. Alii affectum eſſe dicunt, quo cor bonum futurum appetit, ſeque ad illud accipiendum aperit ac præparat. Apud Magyrum 6. Phyſ. cap. 16. Eſt ſuavis motus cordis dilatantis & præparantis ſeipſum ad bonum abſens amplectendum cùm venerit. Vt autem Spei natura intelligatur, quatuor ejus objecti conditiones eſſe debent. Prima, ut ſit bonum; ſpes enim non niſi ad bonum fertur. Secunda, ut ſit futurum; cùm enim præſens eſt, non ampliùs ſperatur. Tertia, ut ſit cum difficultate conjunctum; quod enim quis facilè conſequi poteſt non tam ſperat, quam habere jam ſe putat. Vnde Philoſophi obſervant cùm aliquo timore ſpem eſſe propter difficultatem, & quæ objici impedimenta poſſunt, & in hoc ſpes à deſiderio diſtinguitur, quod nullam ſibi difficultatem repræſentat. Quarta, ut adſit veriſimilis perſuaſio ſuperandi difficultatem illam, & omnia impedimenta. Multùm hic imaginatio poteſt, quæ certam confidentiam parit, & animum vehementer excitat. Nec eſt opus ut certò ſciamus eventurum nobis bonum, ut illud ſperemus, ſed opinio aliqua & probabilis conjectura ſufficit. Sæpè enim parva leviſque ratio ſpem in nobis excitat.

Quæres quinam ad ſperandum maximè ſint apti, ſeu qui facilè ſperent? Reſpondeo juvenes imprimis. Vnde Ariſtoteles 2. Rhet. cap. 2. Iuvenes ſunt bonæ ſpei. Vt enim temulenti, ſic juvenes calidi ſunt natura. Simul verò etiam, quia nondum in multis opinione ſunt lapſi, & vivunt ut plurimum ſpe. Nam ſpes futuri eſt, memoria præteriti. Iuvenes autem futuri multum habent, præteriti verò parum. Deinde ebrii. Ita docet Ariſt. 3. Eth. c. 8. & in Problemat. ſect. 30. q. 1. Horatius lib. 1. epiſt. ad Torquatum loquens de ebrietate.

Spes jubet eſſe ratas, in prælia trudit inermem.

Ebrii autem & juvenes nihil ſibi nimis arduum

duum repræſentant. Prætereà, qui potentes habent amicos tanquam maxima ad comparandam rem concupitam ſubſidia. Ideò, quod advertit Ariſtoteles etiam, pii facilè in ſpem exiguntur, quoniam Deo ſe charos ſciunt, quo annuente nihil eſt impoſſibile. Huc ſpectat proverbium, *Probi malos ſuperant bonâ ſpe*, ut refert Sineſius epiſt. 103.

CAPVT II.

Quænam Spei ſint cauſæ, & qui effectus.

PRima Spei cauſa eſt, cùm vinci difficultas facili negotio poteſt. Difficultatis ſi nihil ſit, deſiderium exoritur. *Cauſa dua.*

Altera eſt experientia. Facit enim hæc, ut aliquid fieri poſſe appareat. Vnde Ariſtoteles, bonæ ſpei ait eſſe, qui multoties vicerunt.

Effectus Spei ſunt hi. Nutrit hominem, eiq́ue animum addit, cor dilatat, & vigorem caloremq́ue in membra omnia diffundit: ut nimirum quod ſperat, alacriter & expeditè proſequatur. Adfert etiam voluptatem. Bonum enim quod in ſpe eſt, quodammodò præſens eſt. D. Auguſtinus, *Qui gaudet in ſpe tenebit & rem, qui autem ſpem non habet, ad rem non poterit pervenire.* Et Origenes ad Exodum homil. 9. *Futurorum ſpes laborantibus requiem parit, ſicut in agone poſitis dolorem vulnerum mitigat ſpes coronæ.* Effectus omnes in omnibus complexus eſt Poëta Ovid. lib. 1. de Ponto. *Effectus varii.*

Hæc Dea cùm fugerent ſceleratas Numina terras
In Diis inviſâ ſola remanſit humo
Hæc facit ut vivat foſſor quoque compede vinctus,
Liberáque à ferro crura futura putet.
Hæc facit, ut videat cùm terras undique nullas,
Naufragus in mediis brachia jactet aquis.
Sæpè aliquem ſolers medicorum cura relinquit,
Nec ſpes huic venâ deficiente cadit.
Carcere dicuntur clauſi ſperare ſalutem,
Atque aliquis pendens in cruce vota facit.
Hæc Dea quam multos laqueo ſua colla ligantes
Non eſt propoſitâ paſſa perire nece.
Me quoque conantem gladio finire dolorem
Arguit, injectâ continuitque manu.

Additamentum.

CRedulitas adipiſcendi boni, & ſubſidia ad illud obtinendum oportuna magnam ſpem hominibus adferunt. Languet enim ſpes, cùm nulla adipiſcendi boni via ſupereſſe videtur. Quanquam in maximis etiam incommodis & difficultatibus ſpes ferè ſemper ſupetat. Propterea Seneca lib. 7. de Benef. cap. 31. Neminem, ait, ab excitanda domo, ruina deterruit; & cùm penates ignis abſumpſit, fundamenta tepente adhuc area ponimus, & urbes hauſtas ſæpiùs, eodem loco condimus. Adeò ad bonas ſpes pertinax animus eſt. Franciſcus Petrarcha lib 2. de Remediis refert de Nauta quodam, qui cùm eſſet interrogatus ubi pater ejus obiiſſet, Ille, inquit, in mari obiit, & ibidem avus, proavus, omneſq́ue majores. Cùmq́ue alter intuliſſet, & nunquid tu mare ingred non times? Tum Nauta diſſimulans, ubinam, ait, tuus parens obiit? cùmq́ue alter patrem ſuum & omnes majores in lecto obiiſſe reſponderet, ſubjunxit Nauta, Num tu tuum non times lectum aſcendere? Sperandum igitur ſemper. Tibullus lib. 2.

Finirent multi letho mala; credula vitam
Spes fovet, & melius cras fore ſemper ait.
Spes alit agricolas, ſpes ſulcis credit aratis
Semina, quæ magno fœnore reddat ager.
Hæc laqueo volucres, hæc captat arundine piſces,
Cùm tenues hamos abdidit ante cibus
Spes etiam validâ ſolatur compede vinctum,
Crura ſonant ferro, ſed canit inter opus.

Horatius lib. 2. od. 10.

——— *Non ſi malè nunc, & olim*
Sic erit.

Quod attinet ad effectus ſpei, fuerunt olim Philoſophi à Græcis Elpiſtici dicti,

qui vitam ſpe potiſſimùm contineri affirmabant,& oblectatione illam conſequente abſciſſa vitam fore tolerabilem negabant, ut refert Plutarchus 4. Sympoſ. cap. 4. Philo initio libri de Abraham, Quoniam, inquit, principium parandorum bonorum ſpes eſt, etiam hanc tanquam publicam viam oſtendit & aperit, anima veri boni ſtudioſa, quæ primum amicum, ſpei nominat hominem, vocabulum totius generis commune tribuens ei per excellentiam. Nam Chaldæi hominem Enos vocant, ac ſi ſolus verè homo ſit, qui res bonas expectat, & bonâ ſpe ſe ſuſtinet. Vnde manifeſtum eſt, quod ſpe carentem hominem non exiſtimat, ſed beſtiam humanâ formâ præditam, cui deſit ſpes proprium ornamentum humanæ animæ. Tertullianus lib. de Pudicitia. Conſideremus ſementem cumprimis neceſſariam, quam fecit conditor ille in agro bono ſcilicet rationali animâ. In hâc præcipuum ſemen eſt ſpes, à quo fonte, victus ratio promanat. Nam ſpe lucri negotiator varios quæſtus aggreditur; Nauclerus ſecundùm curſum ſperans maria trajicit. Ambitioſus ſpe bonorum accedit ad tractandam Remp. ſpe coronarum athleta ſubit certamina. Spe felicitatis animum applicant ad Philoſophiam, quicunque ſunt dediti virtutum ſtudio, quod ejus ope ſe putant perventuros tum ad naturæ notitiam, tum ad vitæ activæ contemplativæque perfectionem &c. Alibi, vocat ſpem alimentum animarum, & virtutem amantium. Cicero 4. in lætitiam ſola ſpes hominem in miſeriis conſolari ſolet. Cato Major ſpem, ait, ea quæ magna ſunt puſilla facere, quæ puſilla prorſus nulla. Theocritus:

Fidere, Batte, decet, melius cras fortè habebis,
Sperandum eſt vivis, non eſt ſpes ulla ſepultis,
Nunc pluit, & clarus nunc Iupiter æthere ſurgit.

CAPVT III.

Quid Antiqui de Spe ſenſerint.

Variæ veterum ſententiæ. PLurimi dulciſſimam eam affectionum omnium eſſe dixerunt. Simonides Poëta Reginam hominum ſpem appellavit, tunc nempè quando cum ratione & virtute incedimus. Vnde Alexandro multa amicis largienti cū Perdiccas dixiſſet, *Quid tibi relinquis ô bone Rex? Spē*, inquit, *mihi reſervo*. Exiſtimabat quippè nihil ei deeſſe poſſe, qui per virtutem omnia ſe aſſecuturum ſperaret, & per virtutis officium benignus eſſet. Cujus ſententiæ fuit etiam Perdiccas, cum Alexandro ſubjungit, *Et hæc quidem ſpes nobis tecum communis futura eſt*. Quidam ſpem numerant inter virtutes (de Theologis, quarum quidem una eſt, hic non agimus) quod etſi ita non rectè, vim tamen quandam habet virtutis; & ut dicebat Plutarchus; *Spes paſcit exules*, ita jam proverbium eſt, *Spes alit agricolas*. Interrogatus aliquando Thales, quid maximè commune eſſet omnibus, *Spes* inquit, *hanc enim etiam illi habent, qui aliud nihil.* Diogenes ſpem in vita rerum omnium extremam; Bias omnium dulciſſimam eſſe dicebat. Seneca verò in Epiſtolis, *Spes*, ait, *eſt ultimum adverſarum rerum ſolatium. Memoriæ minimum tribuit quiſque, ſpei plurimum*.

Quæſtiunculæ duæ. I. *An ſpes etiam ſit in brutis?* Quæ futuri boni cognitionem non habent, ſpe carent. Spes enim circa futurum eſt bonum. Quod tamen ita futurum eſt, ut quodammodò ſit præſens, ad ſpem in brutis excitandam ſufficere videtur. Ita ſperant canes, cum feris inſidiantur.

II. *An à deſiderio Spes diſtinguatur?* Omninò. Siquidem magnum eſt aliquando rei alicujus deſiderium, cujus aut nulla, aut exigua, ſpes eſt. Diverſarum etiam affectus ſunt facultatum. Spes quidam eſt ventus, quo accenditur in homine deſiderium; ſed cum fumum non rarò excitet, rationem & intellectum aliquando obfuſcat,& cogitationem abripit. Multi dum ſperant, etiam vigilantes ſomniant, & velut inter nubes pendent.

Additamentum.

PLato, nec ſine cauſâ, ſpem dixit eſſe vigilantium ſomnium. Ælianus lib. 3. var. hiſt. Sicut enim ſomnium variis illuſionibus mentem decipit, ita ſpes va-

riis

riis imaginationibus animum eludit. Plinius lib. 29. cap. 1. Blanda ſit, inquit, ſperandi pro ſe, cuique dulcedo. Sineſius lib. de Inſomniis, conſtantiæ medicamentum appellat. Eandem nobis Pcëtæ per Pandoræ pixidem repræſentarunt, in quâ ſola ſpes remanſit. Pindarus ſpem ſenectutis altricem appellat. Olim autem talem ſpei ſtatuam fingebant. Primò, ſuſcipit cælum, quia bona omnia à Deo. Secundò, viridis eſt ejus palla; quia ſpes omnia virere florereque facit. Tertiò, gerit fracta mortis tela, quia ſæpè mortem vincit. Quartò, inſidet dolio, quia cùm cætera mala in orbem evolarent, ipſa in fundo manſit. Quintò, adeſt illi cornix, quæ

Eſt benè cùm nequeat dicere, dixit, erit.

Sextò, Comites adſunt eventus bonus, & cupido præceps, quia facit, ut ſæpè expetamus, quæ non licet. Septimò, præeunt ſomnia vigilantium, ſi nimirum vana ſint, & aſſiſtit Nemeſis vindex ſcelerum, ut ſperemus tantùm, quod licet. Cæterùm plura, quam par eſt, aut majora ſpe concipere non debemus. Vt enim crura, ſic ſpem quoq; non ampliùs extendere convenit, quàm fieri commodè poteſt ait Epictetus. Deinde notandum eſt illud Socratis, Neque mulier ſine viro, neq; bona ſpes abſq; labore utile quicquam parit. Veteres ſpem, ſed incertam & fugitivam pingebãt imagine anguillæ, quam manus per caudã apprehenderet, ut refert Pierius lib. 29. Nam ſicut lubricitate ſua anguilla, ita incertitudine ſpes elabitur. Certam autem ſpem repræſentabant per anguillam folio ficulneo obvolutam; nam illud ſuâ ſcabritie anguillam retinet.

CAPVT IV.

Conſilia quædam pro Spe regenda.

ILlud inprimis Plauti in Moſtel. conſiderandum; *Primum.*

Inſperata accidunt magis ſæpè, quam quæ ſperes.

Proinde non abripiatur nimium ſpe ſuâ animus; illa inopinatis ſæpè eventibus luſa conſumitur. Illud deinde Ovidii in Epiſtolis: *Secundum*

Alternant ſpeſque timorque fidem.

Vnde dum multa ſperat homo, & multa mutua oportet. Sine metu enim ſpes non habitat, ut ait Franciſcus Petrarcha. Nam ut oppoſita ſpes timori eſt, ſic aduerſo de fonte oritur; & neceſſe eſt, quod ſperare quis cœperit, ejus contrarium ut formidet.

Præterea cùm ferè ſemper eveniat ut læta ſperemus, ea incerta eſſe nunquam obliviſcamur. Hinc Sylius Italicus lib. 7. *Tertium.*

Spes heu fallaces! oblitaque corda caducum
Mortali quodcumque datur.

Attendendum hoc quoque, futura ſperantibus ſæpè præſentia dilabi. *Nam qui longinqua proſpiciunt, ea quæ ſub oculis ſunt, non vident, & qui cras vivere deſtinant, hodie non vivunt*, ut idem ait Petrarcha. Nondum eſt, cujus initium ſperatur. Vir ſapiens ſpem perditam lucrum vocat, ſeque infinitâ cupiditate liberatum ab expectationibus vanis ad gaudendum bonis ſuis cogi gaudet. *Quartum*

Hoc certum eſt levitatis & amentiæ argumentum ingens eſſe, obvias paſſim ſpes amplecti, & his paſci. Vnde qui ſapit, ad illas eſt tardus. Experientia tardum faciet. *Quintum.*

Credendum illud etiam, verè tantùm bonam ſpem eſſe, quæ de vero bono ritè concepta eſt. Itaque non tantùm proponere ſibi bonum oportet, ſed etiam benè. *Sextum.*

Subſtrahenda ſæpè ſpei anchora eſt, vel in rerum humanarum fluctibus relinquenda, ut liberam vitæ proram gubernaculo providentiæ ad ſalutis portum dirigamus. *Septimum*

Benè ſperando & malè habendo tranſit vita mortalium.

Cogitet quiſque qualis eſſe debeat, qui ſperat. *Spes impiorum peribit* Proverbiorum 10. Et ut dicit Sapientia, *Spes impii tanquam lanugo eſt,* *Octavum*

quæ à vento tollitur, & tanquam ſpuma gracilis, quæ à procella diſpergitur, & tanquam fumus, qui à vento diffuſus eſt. Itaque Proverb. 16. *Qui ſperat in Domino beatus eſt.*

Additamentum.

DIvus Bernardus ſerm. 10. in Pſalm. 91. Tria, inquit, conſidero, in quibus tota ſpes mea conſiſtit, charitas adoptionis, veritas promiſſionis, poteſtas redditionis. Prodeſt ad ſpem regendam conſideratio varietatis fortunæ, quæ permutat ima ſummis, facitque ut in ſecundis non nimium ſperemus, in adverſis non deſperemus. Huc faciunt illi Senecæ verſus in Thyeſte:

Nemo confidat nimium ſecundis,
Nemo deſperet meliora lapſus,
Miſcet hæc illis, prohibetque Clotho
Stare fortunam; notat omne fatum
Nemo tam divos habuit faventes
Craſtinum ut poſſet ſibi polliceri.

Idem Seneca epiſt. 13. Quam multa non expectata venerunt, quam multa expectata nuſquam comparuerunt. Horatius lib. 2. ode 10.

Sperat infeſtis, metuit ſecundis
Alteram ſortem benè præparatum
Pectus; informes hyemes reducit
Iupiter, idem
Summovet.

Idem, ibidem.

Rebus auguſtis animoſus, atque
Fortis appare, ſapienter idem
Contrahes vento nimium ſecundo
Turgida vela.

TITVLVS IX.

De Deſperatione.

CAPVT I.

Quid ſit Deſperatio, & unde potiſſimùm oriatur.

Definitio Deſperationis. DESPERATIO eſt iraſcentis appetitus perturbatio ex objecta boni futuri, quod haberi non poſſe videtur, ſpecie proveniens. Vel ut Cicero lib. 4. Tuſcul. quæſt. Deſperatio eſt ægritudo ſine ullâ rerum expectatione meliorum. *Vnde oriatur.* Oritur ex eo potiſſimùm, quod quis delictorum veniam, vel auxilia ad ſalutem nulla ampliùs expectet. Vnde fit, ut Deſperatio ſit animæ homicida, ut D. ait Auguſtinus; vel certa mors, ut D. Ambroſius affirmat. *Quanta vis ejus.* Tanta quippè vis ejus eſt, ut ad vim ſibi inferendam, naturamque violandam impellat, quo quidem nihil eſſe terribilius poteſt.

Additamentum.

DESPERATIO ſi Deum ſpectet, cujus miſericordia plena eſt terra, impia & blaſphema eſt; ſi autem bona, quæ eſſe & non eſſe poſſunt, ſtulta; ſi ea quæ fieri non poſſunt, omninò non culpanda. Cauſa deſperationis præcipua eſt impoſſibilitas boni obtinendi per intellectum repræſentata, dum intellectus judicat bonũ, in quod fertur, non ſecuturum. Deſperationem, quæ de ſalute concipitur Antiochus hom. 27. perfectum diaboli gaudium, appellat; atque idcircò, quod nihil calamitatis accedere poſſit ad eum cumulum, quo deſperatio animam obruit. Hinc oritur mœror, angor, abjectio mediorum, & voluntatis plerumque retorſio in contrariam partem. Vnde Auguſtinus lib. de Natura & gratia cap. 35. Quidam in peccata prolapſi deſperatione plus peccant; nec ſolùm pœnitendi negligunt medicinam, ſed ad explenda inhoneſta & nefaria deſideria ſervi libidinum & ſceleratarum cupiditatum fiunt, quaſi perdant, ſi non fecerint, quod inſtigat libido, cùm eos jam maneat certa damnatio.

CAPVT II.

De aliâ quâdam Deſperatione.

Eſt Deſperatio ratione circumſtantiarum. ESt & alia quædam deſperatio, quæ tantoperè nequaquam perturbat. Oritur illa ex eo, quod difficultates bonum deſideratum circumſtantes vinci & removeri non poſſe videantur. Et hæc contrahit cor, revocat

vocat ab externis membris calorem, quæ concidere proinde videntur. Mixta eſt cum dolore: bonum enim deſideratum haberi cùm non poteſt, malum putatur. Porrò hæc perturbatio ei ipſi maximo & exitiali eſt malo, qui illa eſt affectus. Eſt & acerba & gravis omnibus Reipublicæque minime toleranda.

Additamentum.

HÆc eſt illa, quæ reſpicit bona, quæ fieri non poſſunt, non autem ſalutis deſperatio. Huic obnoxii ſunt, qui ob pectoris anguſtiam & animi dejectionem facilè adducuntur, ut bonum propoſitum impoſſibile judicent, aut certè impediendam ejus aſſecutionem. Item melancholici, quibus omnia gravia videntur, & conſideratione difficultatum propoſitarum animo quamprimùm concidunt. De his loquitur Philoſophus in Problematibus ſect. 3. quæſt. 1. Etiam illi, quibus præcedentes calamitates animum dejecerunt. Porrò hi omnes priorem quoq; deſperationē interdum admittunt, & à reſti ſeu laqueo remedium petunt, dum putant ſe mali gravitate & pondere premi, aut cùm in illis ſubitò extinctus eſt calor, nec judicium de rebus occurrentibus præmittunt. Eodem pertrahuntur nonnunquam, qui ardentius gloriam famamque aut ſimile bonum ſectantur. Hinc, ut refert Cromerus lib. 6. cùm Boleſlaus III. Poloniæ Rex Palatino cuidam leporis pellem, colum, & fuſum ad ignaviæ exprobrationem tranſmiſiſſet, ille verò gloriæ amantiſſimus ignominiam iſtam non ferret, laqueo vitam abrupit. Ignavi quoque facilè deſperant, dum aliquid ſupra vires ſuas apprehendunt, quod infrà jacet. Chryſoſtomus in priore paraneſi ad Theodorum, quæ tandem eſt, inquit, radix & mater deſperationis? Ignavia, inquam. Imò quam quis haud ineptè nominaverit non judicem tantùm, ſed parentem & altricem &c.

CAPVT III.

Remedia contra priorem illam Deſperationem.

SVggerit Auguſtinus. *Nemo diffidat, nemo veterum conſcius peccatorum præmia divina deſperet: novit Dominus mutare ſententiam ſi tu noveris emendare delictum.* Et D. Ambroſius. *Nullus deſperet veniam, etiamſi circa finem vitæ ad pœnitentiam convertatur: unumquemq́ enim Deus de ſuo fine, non de vita præterita judicat.* Nec malè ſanè Sen. in Med. *Qui nil poteſt ſperare, deſperet nibil.* *Remediũ eſt ſemper ſperare.*

Quamvis enim, ut ait Valerius Epiſcopus in ſermonibus, ſint aſpera & difficilia, quæcunque ſunt in excelſis poſita, non dubio tamen ſit, ut in apertum campum veniant, ſi itinerantibus nihil deſperationis occurat. Pulchrum documentum eſt Hugonis lib. de vera ſap. *Prima ſalus eſt declinare culpam, ſecunda non deſperare veniam: quia ipſe ſe in æternum punit, qui apud verum judicem ad pœnitentiam non recurrit.* Deſperavit aliquando Iudas, ſed audi Leonem Pontificem in ſermonibus. *Sceleratior omnibus ô Iuda & felicior extitiſti, quem non pœnitentia duxit ad Dominum, ſed deſperatio traxit ad laqueum.*

Ovidius lib. 2. de Pont.

Accipitrem metuens pennis trepidantibus ales,
Audet in humanos feſſa venire ſinus.
Nec ſe vicino dubitat committere tecto;
Quæ fugit infeſtos territa cerva canes.

Non eſt pernitioſum in prælio vulnerari, ſed poſt vulnus acceptum deſperatione curandi medelam ulceri denegare. Nullus ſe demergit naue fluctibus demerſa, ac poſt totum onus perditum deſinit navigare; ſed rurſus ad maria nuduſque feſtinat, rurſus immenſa pervolat freta, & iterato feliciùs curſu caſus prioris damna compenſat. Sæpè etiam Athletas videmus poſt frequentes lapſus & dejectiones plurimas coronari. Militem quoque ſcimus poſt fugas multas virum fortem fuiſſe, & viciſſe victores. Ita Chryſoſt. hom. 21. ad Eutropium.

Addi,

Additamentum.

VNum & efficaciſſimum hic ſuggeritur ſperare ſemper. Poëtæ ut oſtendant nunquam eſſe deſperandum Philoctetem Herculeæ Pharetræ hæredem deſtitutum ab omnibus præ vulneris putore inducunt, inopemque, nudum, mendicum, ac doloribus miſerabilibus affectum per ſylvas vagantem. Dicunt autem eum vitam aucupio diutiùs propagaſſe pennarum contextu, corporis tegumentum effeciſſe. Hic tamen ſenex & calamitatibus obrutus nunquam de conſciſcendâ ſibi morte cogitavit. Maluitque infelicem vitam, ut poterat, tolerare, quam naturæ injurius eſſe. Caius Marius, quanquam à Sulla victus, & Minturnis in carcerê conjectus nunquam deſperavit. Poſtquam enim percuſſorem ad ſe miſſum oculorum atrocitate perterruit, & ex carcere evaſit, in Africâ exercitum, & poſteà fortunam ſuam reparavit. Optimum etiam remedium eſt, ſi conceptus error de boni unpoſſibilitate ab intellectu removeatur, & ejus adipiſcendi poſſibilitas faciliaſque oſtendatur. Hoc facto erigenda firmandaque voluntas eſt depulſo mœrore, qui abjectionem animi fovet: demonſtranda ſimul ſubſidia ad ſalutem parandam, aut bonum adipiſcendum. Si deſperatio de ſalute ſit, proponenda eſt divina miſericordia, & benignitas, quæ omnibus parata eſt & in promptu.

CAPVT IV.

An Deſperatio viros fortes reddat.

Quidam putant. ITa Politici quidam credunt. Omni enim arte neceſſitas eſt efficacior, inquiunt, & præſidia inuſitata novaque non uſitato modo adhibet. Et cùm deſperatio victoriæ non raro hoſtes audaciores reddat, contra deſperatum obſtinatumque hoſtem pugnam eſſe difficillimam periculoſiſſimamque tradunt. Ideoque præcipiunt, hoſti abire volenti nequaquam abitum eſſe intercludendem, ſed pontem ſternendum illi argenteum, ut in proverbio eſt. Nimirùm ne in deſperationem converſa neceſſitas viam ſibi non ſine multo ſanguine aperiat. Illuſtre eſt apud Iuſtinum lib. 20. exemplum. Cùm proceſſiſſent in aciem Locrenſes. & Crotonienſium centum viginti millia armatorum conſtitiſſent, Locrenſes paucitatem ſuam reſpicientes (nam ſola quindecim millia militum habebant) omiſsâ ſpe victoriæ in deſtinatam mortem ſpirant; tantuſque ardor ex deſperatione ſingulos cepit, ut victores ſe putarent, ſi non inulti morerentur: ſed dum mori honeſtè quærunt, felicius vicerunt. Nec alia cauſa victoriæ fuit, quàm quòd deſperaverant. Hæc verò etſi ita ſe habeant, & contingant, nunquam *Reſolutio quæſtionis* tamen verè fortes deſperatio reddit. Neque enim ea vera fortitudo eſt, quæ ex certo animi propoſito non oritur, ſed ex impetu motuque animi temeratio naſcitur. Modum ſiquidem nullum adhibet, ſed furioſæ inſtar beſtiæ ruit. Apparens igitur tantùm eſt fortitudo, quæ ſpecioſo aliquo nomine, cùm extrema neceſſitas eſt, ad pericula ſubeunda homines impellit.

Additamentum.

FAtendum eſt ex deſperatione plerumque ſecuritatem enaſci, dum metus in ſtuporem attonitum abit. Hinc Seneca epiſt. 30. Mors admota etiam imperitis animum addit non vitandi inevitabilia. Sic gladiator tota pugna timidiſſimus; jugulum adverſario præſtat, & errantem gladium ſibi attemperat. Et Patatus in Paneg. Si ultima ſupra caput ſteterit mons, & venerit dies nunquam reverſurus, ac ſe confeſſa mors fuerit, non timentur extrema cùm certa ſunt. Hinc reorum uſque ad damnationem metus, poſteà attonitus ſtupor, & ex deſperatione ſecuritas, & ad locum ſupplicii voluntaria, carnifice non trahente, properatio. Fatendum quoque ex deſperatione felicem quandoque rerum eventum evenire, quæ deſperantibus ſalutem adfert, & iis, qui timebantur, calamitatem. Tum enim ſanguis mœrore frigefactus conniſu deſperationis recaleſcit, & per antiperiſtaſin ita incenditur, ut animos ſæpè ſupra vires ſuggerat. Quippè perditis, ut putant, rebus ſuis quando ſui ſervandi conſilium abjiciunt, in ſolam ultionem ſunt intenti, & id ſollicitè ſatagunt, ne multi pereant. Sic fit, ut alacri impetu ferantur, & cla-

& cladem ſuis adverſariis inferant. Idcircò nunquam præcludendum eſt hoſtibus omne effugium. Nam ut ait Vegetius l. 3. Audacia clauſis ex deſperatione creſcit, & cùm ſpei nihil eſt, ſumit arma formido. Et lib. 4. cap. 25. Neceſſitas quædam virtutis eſt deſperatio. His non obſtantibus negamus ex deſperatione fortitudinem, ex deſperantibus fortes exiſtere. Neque enim hic conſilium, ſed temeritas, nec virtus, ſed neceſſitas. Quâ de re iterum lib. 3. titulo 3. de Fortitudine cap. 7.

TITVLVS X.

De Timore.

CAPVT I.

Quid ſit Timor, & quæ ejus cauſæ.

TIMOR eſt iraſcentis appetitus perturbatio ex objecta mali futuri & imminentis ſpecie proveniens. Nimirùm cùm vitari non poſſe ſperatur. Bifariam in bonum & malum dividitur; ille rationi conſentaneus eſt, hic contra rationem. Item alius naturalis eſt, ut mortis timor; alius non naturalis, lupi timor. Hic poſtremus communis omnibus non eſt. *Definitio Timoris.* *Duplex diviſio.*

Cauſæ Timoris potiſſimùm tres ſunt. Prima eſt non recta corporis conſtitutio, maximè ex melancholiâ multoque phlegmate. Altera eſt inſita penitùs de re aliquâ opinio: unde fit, ut ſpectra & tenebras aliqui metuant, alii iſtis nequaquam moveantur. Tertia eſt ſolitudo: hæc enim melancholiam auget & frigus; ideoque facilius metuunt homines ne malum aliquod eveniat, cùm præſens eſt nemo. Seneca in Epiſt. *Plura ſunt, quæ nos terrent, quam quæ premunt, & ſæpiùs opinione ampliùs laboramus, quam re. Citò accedimus opinioni, & ſic vertimus terga; quemadmodùm aliquos pulvis motus fuga pecorum exuit caſtris, aut quos aliqua fabula ſine authore conterruit: neſcio quomodo vana perturbant. Vera enim modum ſuum habent; veriſimile aliquid futurum mali, non ſtatim verum eſt. Quàm multa exſpectata nunquam comparuerunt?* *Tres cauſæ Timoris.*

Additamentum.

ARISTOTELES lib. 3. Ethic. cap. 3. definit eſſe mali exſpectationem. Scaliger exercit. 312. appellat animi demiſſionem propter exſpectationem futuri mali. Ciceroni ex ſententia Stoicorum eſt opinio impendentis mali, quod intolerabile eſſe videatur. Dividitur hic in bonum & malum. Vterque ex malo æſtimatur; Nam ſi malum tale ſit, ut illud vitare oporteat, quale eſt ira Dei, vitium, infamia, & ſimilia, bonus eſt timor; Malus verò ſi de malo, quod ratio non metuendum judicat. Cleanthes cuidam objicienti quod nimium meticuloſus eſſet, Ob id, inquit, parum pecco, ut refert Laertius in ejus vita. Xenophanes cùm à Laſo Hermioneo, quia ludere alea nolebat, timidus vocaretur, Fateor, inquit, ſum timidus, ſed ad turpia & inhoneſta, ut refert Plutarchus de nimia Verecundia. Seneca in Troade: *Vbi timor, ibi pudor.*

Generalis timoris cauſa eſt malum, Seneca Epiſt. 75. Deum, ait, timendum non eſſe, cùm malus non ſit. Sed agit de timore ſervili. Cæterùm dum Deus homines punit, videri ipſis quoddam malum poteſt, & hinc timent. Præſupponit autem timor non tantùm cogitationem mali, ſed etiam boni illius amotem, quod per malum, quod timetur, exſcindendum judicatur. Hinc Auguſtinus, Nulli dubium eſt, non aliam metuendi eſſe cauſam, niſi ne quod amamus, aut adeptum amittamus, aut non adipiſcamur ſperatum. Porrò obnoxii timori ſunt inprimis, qui mala omnia, propter inexperientiam aut judicii imbecillitatem, magna arbitrantur; cujuſmodi ſunt pueri, mulieres, qui pàrum calidi ſanguinis habent, & qui atra bile abundant. Ariſtoteles lib. 2. de Part. c. 4. Timidiora ſunt, inquit, animalia, quibus ſanguis dilutus nimium eſt: metus enim refrigerat. Itaque ea, quibus ejuſmodi temperamentum in corde habetur, metuendi affectioni ſunt opportuniora; aqua enim

enim frigore congelaſcit. Quamobrem cætera, quæ exſanguia, timidiora ſanguineis ſunt animalibus, &c. Præterea meticuloſi ſunt, qui ardenti voluntate bonum aliquod exſpectant, quod ipſi magni faciunt. Ac propterea Sapiens mortem reformidat, quia vitam ſuam pretioſam arbitratur, ut notat Ariſt. 3. Eth. cap. 9. Senes quoque timidi eſſe ſolent. De iis Ariſtoteles 2. Rhet. cap. 13. Senes, inquit, quoniam multorum annorum vitam duxerunt, & in pluribus decepti ſunt, & errarunt, & res ſunt plures pravæ, neque affirmant aliquid, & longe minus omnia, quam oportet, putant, &c. Et paulò pòſt: Timidi ſunt, & omnia prætimentes. Contrario enim modo affecti ſunt ac iuvenes; refrigerati enim ſunt, & illi calidi ſunt. Quare viam aperuit ſenectus timiditati. Nam timor refrigeratio quædam eſt, &c. Sed & prudentes quandoque timidi ſunt, ut obſervavit Fracaſtorius lib. de Sympath. cap 19. quia ſuis momentis diſcrimina æſtimant, & proſpiciunt, quò res inclinare poſſint, ea reformidant, in quibus alii minus oculati minorem timendi occaſionem deprehendunt. Hinc fit, ut noctambulis periculoſa ſit ſomni ſolutio, quia per ſomnum non æſtimant difficultates & periculum; ſomno autem ſolunto diſcrimen agnoſcunt, & inde metus, ac plerumque caſus & exitium.

CAPVT II.

Qui ſint Timoris effectus.

Turbatio mentis. Timor inprimis ita vehementer quandoque mentem perturbat, ut quidam officii & proprii nominis obliviſcantur. Secundò vocem intercludit. *Vox interclufa.* Quippe anima ita attonita redditur, ut quid agendum ſit nec intelligat, nec attendat, ſpirituſque ad cor confluentes pectoris muſculos & pulmones deſtituant; unde fit, ut neceſſaria ad formandam vocem inſtrumenta impediantur. Idem efficiunt humores illi noxii, qui ex capite cerebroque in fauces defluunt. Virg. 3. Æneid.

Tum verò ancipiti mentem formidine preſſus
Obſtupui, ſteteruntque comæ & vox faucibus hæſit.

Ideò Hypperides Orator timorem vinculum eſſe orationis aiebat.

Sudor ſanguineus. Tertiò ſudor nonnunquam etiam ſanguineus ex vehementi mali præſentis imaginatione emittitur. Imaginatio enim ingenti præſentis mali apprehenſione ſpiritus corporis omnes perturbat, efficitque ut vehementer diſtracti inque extremas venarum partes evocati eas quodammodò diſrumpant, & quia illæ extremas quoque corporis partis attingunt, fit ut ſudor inde ſanguineus ſequatur.

Palpitatio tremor, rigor. Quartò cor palpitat, membra extrema tremunt, comæ rigent, facies palleſcit. Ovidius lib. 1. Faſt.

Extimui, ſenſique metu riguiſſe capillos,
Et gelidum ſubitò frigore pectus erat.

Dum enim color ſanguiſque ad interiora ſeſe colligunt, oritur in extremis corporis partibus atque in ipſo cranio ſeu calvaria frigus, cujus proinde cutis contrahitur, rigereque capillos facit. Quoniam verò congregatus interius calor multò vehementior eſt, fit, ut cor celerius quoque moueatur ac palpitet. Plautus in Truculento:

—— Timeo, totus torpeo
Non ædepol nunc ubi terrarum ſim ſcio ſi quis roget,
Neque ut hinc abeam, neque ut ad hunc adeam ſcio, timore torpeo.

Odium. Quintò timor odium generat. Etenim qui timentur, òdio, ut communiter dicitur, habentur.

Solutio ventris. Sextò efficit, ut venter ſolvatur. Nam calor dum in pectus ventremque ſe recipit, inteſtina veſicamque dilatat; ac tum dum erumpere geſtit calor, excrementa ſecum trahit.

Lachryma, triſtitia, fuga. Sept. lachrymas excitat. Quippè recurrente ad cor calore cerebrū frigeſcit, &c

cit,& oculus, ex quo mox velut ex ſpongia compreſſa defluit aqua. Generat etiam triſtitiam, fugamque. Timenti enim præſens eſt, quod timetur malum,& hoc auertere fugereque animus conatur. Virg. Æneid. 8.

—— Fugit ilicèt ocyor Euro
Speluncamq́, petit; pedibus timor addidit alas.

Octauò mortem nonnunquam adfert. Nam calor dum ad cor confluit, illud ſuffocat. Et quoniam animus ſubitò quandoque obſtupeſcit, fit vt continuò corpus lethali quodam motu concutiatur. Ariſtoteles lib. de Reſpir. *Iis, qui in metu ſunt, partes extremæ refrigerari ſolent: calor autem qui pedetentim fugit & contrahitur, facit motum, ita in anguſtum locum compulſus, ut interdum animantes metu affectioneq́ quæ morbum parit, enecentur.* Morte.

Denique timor tenebras menti offundit, & inani futuri mali ſpecie nos decipit. Quæ non ſunt animo repræſentat, & ſæpè ſolo morbi timore morbus oritur, & mortem quandoque metus mortis facit. Tædioſa & crudelis eſt hæc perturbatio; ſuſpitionibus, coniecturis, opinionibus nititur tantùm, at interim pungenti dolore cor lancinat, iudiciumque ita perturbat, vt non raro id fugiamus, quærere quod deberemus.

Adeò pauor etiam auxilia formidat.

Additamentum.

VArii hic exponuntur, & rationibus ſinguli ſuis explicantur ac probantur; hic eoſdem pluribus authoritatibus confirmabimus. Nazianzenus Orat. 2. in Iulianum. Quod quiſque pati extimeſcit, id paſſus eſt, etiamſi non patiatur, graviuſque à ſe fortaſſe, quàm ab iis, qui ſupplicium inferunt, torquetur. Seneca epiſt. 98. Calamitoſus eſt animus futuri auxius, & ante miſerias miſer, qui ſollicitus eſt, ut ea, quibus delectatur, ad extremum uſque permaneant. Nullo enim tempore conquieſcet, & exſpectatione futurâ, præſentiâ quibus frui poterat, amittet. In æquo autem eſt, dolor amiſſæ rei, & timor amittendæ. Lucanus lib. 7.

—— Multos in ſumma pericula miſit
Venturi timor ipſe mali, fortiſſimus ille eſt
Qui promptus metuenda pati.

Martialis lib. 2.

Non ſi me tonſor, cum ſtricta novacula ſupra eſt
Tunc libertatem divitiáſque roget
Promittam: nec enim rogat illo tempore tonſor,
Latro rogat. Res eſt imperioſa timor.

Cicero lib. 6. epiſt. ad Torquatum. Plus in metuendo mali eſt, quam in eo, quod timetur. Ovid. 6. Metamor.

Occupat obſeſſos ſudor mihi frigidus artus,
Caruléaque cadunt toto de corpore guttæ.

Homerus lib. 5. Iliados:

Semper degeneris mutatur enim color, atque
Stare loco haud patitur ment irrequieta paventem
Vſq; metu mortis quatiens præcordia, & ipſos
Colligens trepido dentes ſtridore ſonantes.

CAPVT III.

Exempla eorum qui nimio timore animum abiecerunt, aut ſubitò interierunt.

PVlchrè Seneca, *Stultitia eſt timore mortis mori. Venit qui occidat, expecta, quod occupet, Cur ſuſcipis alienæ crudelitatis procurationem? Vtrùm inuides carnifici tuo an parcis?* In Epiſt. 71. Et tamen Lycas dum furentem Herculem fugit, complexus aras tremebunda manu mortem metu conſumpſit, vt nimio timore exanimatus mortem ſenſiſſe non videatur. Lyce.

Quid non potuit in Pontifice Marcellino timor? Cùm Diocletianus Idolis ſacrificare nolentes morti traderet, ad ſimulachra ipſe perductus metu mortis immolauit. Quid non in Artemone? Hic ita metu fractus ſtupiduſque fuit, vt diu intra domus ſepta ſeſe contineret duobus ſeruis æreum ſcutum ſupra eius caput ſuſtinentibus, ne quid noxium ſuperne excideret. Si quando autem tecto egredi cogeretur, lectica tectus adoperta geſtabatur. Marcellini. Artimone.

Piſandri. Quid non in Piſandro? in hoc ita prodigioſus timor fuit, vt metueret necubi animæ ſuæ occurreret, à qua viuus eſſet deſtitutus. Hâc perturbatione *Antilochi.* agitatus Antilochus clypeum abjecit. Demoſthens prius propriam cauſam *Demoſthenis.* ſummus Orator deſeruit fugitque, quam in iudicium deuenit. Perſes Macedoniæ Rex fractis regni opibus ad Æmilij pedes turpiter ſeſe abiecit. Cn. *Perſis.* Vatienus ne bello Italico intereſſe cogeretur, ſiniſtræ manus ſibi digitos amputauit. *Vatienis* Ariſtogiton, ne exercitum ſequi deberet, crus obligauit & baculo innixus claudicantem ſe finxit. Theagenes ita ſuperſtitiosè timidus fuit, vt *Theagenis* domi Hecates ſimulachrum haberet, nec vſquam pedem, niſi illo conſulto, moueret. Quã vero ridiculus timore ſuo Dioniſius Syracuſanus fuit? Ton- *Dionyſij* ſoribus remotis carbone ſibi capillum adurebat, filias remoto ferro tondere docebat; has quoque cum reformidaret, candentibus juglandium putaminibus ſibi barbam tollebat, cum populo non niſi ex feneſtra agebat, lectum ſuum per ſcalas conſcendebat, & attractis poſtea ſcalis decumbebat. Inſania hæc quædam eſt. *Quid prodeſt*, inquit Seneca, *mala accerſere, & præſens tempus futuri metu perdere? Stultum eſt antequam futurus ſis miſer, eſſe iam miſerum* Epiſt. 24.

Additamentum.

ADdendum his exemplum Tiberii Cæſaris, qui ita meticuloſus fuit, tonitrua fulguraque adeò metuebat, ut corona lauri ſemper uteretur, & ubique pellem marini vituli circumferret. Tradunt enim Laurum ex plantis, vitulum marinum ex piſcibus, aquilam ex volatilibus à fulgure non tangi. Idem Tiberius cum minima tempeſtatis ſuſpicio erat, in abditum concameratumque locum ſe recipiebat. Notatur in Pompeio animi abjectio, quod in pugna Pharſalica cùm primam militum ſuorum converſionem ex pulvere conſpicatus eſt, animo collapſus in tabernaculum relicta acie abierit, nulloque Imperatoris officio ſit functus, ac tandem fugam arripuerit, cùm ingruentes hoſtes animadvertit. Similis timor reprehenſus in Xerxe eſt, qui pugnantibus ſuis, ſedit in littore & paratas ad fugam naves tenuit, cùm intereà acerrimè cum reliquis certaret Artemiſia Halicarnaſſi Regina, ita ut in hâc virilis fortitudo, in illo muliebris timor cerneretur. Sunt, qui mortem aliquando per timorem præveniunt, potiſſimùm in naufragio. Ita fecerunt milites illi, apud Sineſium epiſt. 4. qui in proximo naufragii diſcrimine ſtrictis gladiis ſtetiſſe dicuntur, optimum eſſe; quamdiu in foris adhuc ſtarent, animum in auras effundere, non in fluctus. Vidit & retulit Sineſius.

CAPVT IV.

Quæ ſint Timoris ſpecies.

VAriæ ſunt, aut varia certè variorum timoris effectuum nomina. Eſt inprimis Pigritia laboris futuri timor. Eſt Terror animum concutiens, Pallor pallidum efficiens; Calor mentem loco ſuo dimouens: Conturbatio cogitationes commouens. Eſt Formido terror continuus; Adulatio alieni dominij metus. Addi ſolent, etſi non proprie, Admiratio, quæ eſt intenta grauis alicuius effectus cogitatio, cuius cauſa neſcitur. Stupor, qui eſt attenta mali inuſitati animum ſuſpenſum tenens conſideratio. Pudor, qui eſt ex facto infamiæ timor Erubeſcentia, quæ eſt infamiæ ex re futura metus.

Additamentum.

SPecies hic aliquæ enumeratæ ſunt quidam Timoris effectus. Pigritia enim ſeu torpor oritur à fuga caloris ad interiora. Pallor à ſanguinis & ſpirituum ad cor refluxu. Ex eadem ratione eſt Horror. Terror naſcitur cùm vehementer animus conturbatur. Stupor cùm ſpiritus quodammodò congelantur, de quo Virgilius 10. Æn.

Frigidus Arcadibus coit in præcordia ſanguis.

De aliis alibi dictum, aut adhuc dicendum.

CAP-

CAPVT V.

Quæ ſint nimij timoris remedia.

PRimum illud, tollenda aut certè minuenda eſt mali futuri opinio. Sæpè enim contingit, vt timore trepidemus, vbi nulla timoris eſt cauſa; Sen. Epiſt. 24. *Quicquid vereris ne eueniat, euenturum vtique propone, & quodcunque illud eſt malum, tecum ipſe metire, ac timorem tuum taxa. Intelliges aut non magnum, aut non longum eſſe, quod metuis.* *Varia remedia.*

Secundum eſt, cogitare non decere ante tempus cruciari; etſi futurum omninò ſit, quod timemus, malum. Idem Seneca Epiſt. 74. *Quemadmodum aues inanis fundæ ſonus territat, ita nos non ad ictum tantum exagitamur, ſed ad crepitum. Inter ſuſpecta malè viuitur. Infirmus animus antequam opprimatur, malis quatitur: præſumit illa, & ante tempus cadit. Quid autem dementius, quam angi futuris, nec ſe tormento reſeruare, ſed accerſere ſibi miſerias?*

Tertium eſt, cogitare leui momento maxima quæque etiam mutari. Inde ſæpè ſalus eſt, vnde ruina timebatur. Vnâ pilei cogitatione fulmen auertitur. Magna fortunæ momento ruunt. Humana prudentia facilè decipitur, & quod futurum eſt ſæpiùs decipit. Quiſquis times confidenter dicas, *Quamdiu ſpiro, ſpero.* Experientia ſpem auget, & qui malis aſſueuit, rarò mala, antequam eueniant, timet.

Quartum eſt, confidere in Deum, quo tutore nihil eſt timendum. *Firmamentum eſt Dominus timentibus eum.* Pſal. 34. *In Deo ſperaui, non timebo, quid faciat mihi homo,* Pſalm. 55. Arcana ſunt Dei conſilia; aliter homo deliberat, aliter Deus diſponit.

Additamentum.

EPictetus cap. 10. Enchiridii: Homines, inquit, perturbantur non rebus, ſed iis, quas de rebus habent, opinionibus. Paulò pòſt: Cùm igitur impedimur aut diſtrahimur, non alios culpemus, ſed noſmetipſos, hoc eſt noſtras opiniones. Plura apud eundem ſimilia, & Arrianum lib. 1. & 2. Seneca Epiſt 110. Non eſt quod quicquam timendum putes, inquit. Vana ſunt iſta, quæ nos movent, quæ nos attonitos habent. Nemo noſtrum quid veri eſſet excuſſit, ſed metum alter alteri tradidit. Nemo auſus eſt ad id, quo perturbatur, accedere, & naturam ac bonum timoris ſui noſſe. Itaque res falſa & inanis habet adhuc fidem, quia non coarguitur, &c. Remedium igitur unum eſt tollere aut minuere mali futuri opinionem. Secundùm remediũ approbat Seneca Epiſt. 13. Ne ſis miſer ante tempus, cum illa, quæ velut imminentia expaviſti, fortaiſe nunquam ventura ſint, certè nondum venerint. &c. Epiſt. 5. docet non ſperare remedium eſſe timoris. Denique, inquit, ſperare, ſi timere deſieris. Quærit deinde quomodo iſta conjuncta ſint, & reſpondet, quemadmodum eadem catena cuſtodiam & militem copulat, ſic iſta, quæ tam diſſimilia ſunt, pariter incedunt. Spem metus ſequitur. Cogitandum quoque in timore vanum ſæpè alias fuiſſe timorem. Id idem docet Epiſt. 13. Monitum verò planè Chriſtianum adfert Epiſt. 102. Quid tibi videbitur divina lux, cùm illam ſuo loco videris? Hæc cogitatio nihil ſordidum ſubſidere animo ſinit, nihil humile, nihil crudele. Deos omnium rerum eſſe teſtes ait; illis nos approbari, illis in futurum parari jubet, & æternitatem proponere, quam qui mente concepit, nullos horret exercitus, non terretur tuba, nullis ad timorem minis agitur. Quid ni non timeat, qui mori ſperat?

TITVLVS XI.

De Audacia.

CAPVT I.

Quid ſit Audacia, & in quibus ſit.

Definitio Audaciæ.

AVDACIA eſt iraſcentis appetitus perturbatio ex obiecta ſpecie abſentis mali, ſuperari quod poteſt, prouemens, & ad illud propulſandum excitans. Sumit incrementum ab amore & ſpe. Eo enim faciliùs quis propulſare malum aggreditur, quo difficultatis minus in eo repellendo percipit. Facit autem amor, vt excœcata imaginatio multa non videat, quæ videre alioquin deberet. Alia eſt naturalis, vt in iuuenibus; alia experientiâ & vſu acquiſita, vt in ſenibus. Item alia eſt vituperio, alia laude digna. Solet autem in ijs audacia vigere, qui naturâ calidi ſunt. Calor enim ad eiuſmodi perturbationem animũ diſponit. Vnde ea animantia, quæ cor exiguum habent, vt Leones, audaciſſima ſunt. Quippe inſtar hippocauſti facile cor paruum incaleſcit. Audacia, quæ ex ſuperatis acquiſita periculis eſt, ad fortitudinem pertinet.

In naturæ calidis eſt.

Additamentum.

AVDACIA aliquando pro perturbatione, interdum pro fortitudine accipitur, nonnunquam etiam pro vitio. Hic illam pro perturbatione ſeu affectu capimus. Ejus cauſa eſt imprimis ſpes boni: nam ſicut pharmacum inſuave nemo hauriret, niſi ſpes recuperandæ ſanitatis impelleret, ita nemo facilè periculum intraret, niſi boni ſpes incitaret. Vnde ad audaciam excitandam oportet boni magnitudinem & excellentiam oſtendere, contraque difficultates ſubſidia proponere. Et ſi ſit diſpendium aliquod futurum, boni acceſſione compenſabitur. Creſcit audacia, cùm ſocii & adjutores eandem aleam ſubeunt. Hinc Diomedes, apud Homerum Iliad. 10. hoſtium caſtra exploraturus ſocium ſibi adjungi poſtulat, rationem hanc reddens: Si me quis alius vir ſequetur, major mihi ſpes & audacia erit, Euntibus ſimul duobus, alter ante alterum intellexerit, quid tandem utilius ſit. Solus verò etſi intelligat, tamen ei tardior animus eſt, debiliſque conſilium. Accommodati autem ad audaciam ſunt, qui ſpem firmiorem concipiunt, & minoris pericula ducunt. Idcircò Ariſtoteles 2. Rh. cap. 5. eos audaciores eſſe dicit, qui putant propitio ſe numine uti, potiſſimum ſi injuriâ ſint laceſſiti contra juſtitiam, pro qua ſtat Deus. Qui experientiam nullam habent, facilè pericula contemnunt. Inde illud ex Thucydide Luciani, Inexperientia audaces efficit; res conſiderata timore percellit. Sanctus Hieronymus aliter expreſſit. Eruditio, inquit, timorem creat, imperitia confidentiam. Docet experientia quotidiana, eos facilè de quavis re pronuntiare, qui ad pauca attendunt. Sunt etiam audaces, qui corde ſunt parvo. Hinc Ariſtoteles lib. 3. de Partibus c. 4. Pavida ſunt, inquit, quibus cor grandius, audentiora fidentioraque, quibus minus aut mediocre. Affectus enim, qui accidit ex metu, jam in iis præeſt, quoniam calorem proportione cordis non habent, ſed parum caloris in magno conceptaculo exoleſcit. Itaque ſanguis frigidior fit. Cor magnum proportione lepori, cervo, muri, hyenæ, aſino, pantheræ, muſtelæ, & reliquis ferè omnibus, quæ apertè timida ſunt, &c.

CAPVT II.

Exempla eorum, qui temere audaces fuerunt.

Phaetonis.

TEmerarium hæc perturbatio hominem reddit: conſilium enim excludit, & iudicio non vtitur. Nota Phaetonis temeritas eſt. Is idoneus nequaquam auriga paternum currum temerariâ audaciâ regendum ſuſcepit. Meritò proinde Ouid. lib. 1. Triſt.

Vitaret

Vitaret cœlum Phaeton ſi viueret, & quos
Optauit ſtulte tangere nollet equos.

In iiſdem Poëtarum fabulis temerarius & nimium audax Icarus celebris eſt, qui pennis à Dædalo patre confictis ſupra modum intumeſcens, deſerere patris volatum, & in ſublime niti auſus fuit, donec liquefactis à ſole pennis præceps in mare decidit. Ouid. 1. Triſt.

Dum petit infirmis nimium ſublimia pennis
Icarus, Icarijs nomina fecit aquis.

Nimia fuit Iaſonis & Typhis audacia, qui vitam ventis primi commiſerunt, & vias, quas natura negat, tentauerunt. Temerarium etiam & nimis audax Sinonis facinus fuit, dum in vtramque paratus aleam fatalem fabricati equi machinam ſolus in medios Troianos duxit. An non etiam Milonis Crotoniatis ex audacia confidentia fuit, dum arborem manibus in cuneorum locum coniectis diducere tentauit? Hæſit in conatu, & pœnas morte dedit. Rectè Chilon dicebat, ea non eſſe tentanda, quæ fieri non poſſunt. Periculoſa eſt enim audacia, ſi vires ſpiritibus non ſuppetant. *Iaſonis & Typhu. Milonis Crotoniatæ.*

Additamentum.

AD allata hæc addi poſſunt. Celtæ, ut tradit Ælianus, nec ruinas parietum, nec ædium incendia fugiebant, & marinis fluctibus ſtrictis gladiis occurrebant, priùs aquis obruti, quam in fugam verſi, Proteſilaus cùm ſciret pereundum illi, qui primus è navibus Græcorum in littus Trojanum exiluiſſet, auſus eſt in terram egredi & confoſſus penit, ut tradit Euſtachius ad lib. 2. Iliados. Alexander Magnus teſte Iuſtino lib. 12. & Plutarcho in ejus vita, in prima acie ſemper militabat, primus in Tyri muros inſiliit, & in urbem Mallorum non niſi duobus comitantibus Peuceſte & Limnæo ſe immiſit non ſine maximo vitæ periculo, nec tam ſuâ virtute, quàm æquitate fortunæ ſervatus eſt. Pirdiccas, ut refert Ælianus lib. 12. in ſpeluncam leænæ ingreſſus ipſam feram non offendit, ſed catulos. Non minor Poloni cujuſdam in Aula Matthiæ Regis Hungariæ temeritas, ut eſt apud Crantzium lib. 9. Saxon. c. 24. de Pyrrhonis amentia in periculis non vitandis vide Laërtium in eius vita. Cicero lib. 2. de Finibus docet nonnullos idiotas mortis metu penitus liberos eſſe, omninò contemnere, & illud Menandri in ore habere Mihi ſex menſes ſatis ſunt vitæ, ſeptimum oreo Spondeo.

CAPVT III.

Quæ ſint aduerſus audaciam remedia?

SVggerit primum Statius lib. 10. Thebaidos. *Duo remedia.*

—— Ne fræna animo permitte calenti;
Da ſpatium tenuemque moram, mala cuncta miniſtrat.
Impetus.

Alterum Idem.

Adde moram ſceleri & metire quod audes.

Quædam honeſta ſunt & magnifica, ſed malo reip. tentantur, ſi perficere nequeas. Atque hæc eſt boni conſultoris præcipua pars, non ſolùm quid per ſe optimum ſit, ſed quid pro temporum ratione poſſit obtineri, videre. Comicus Græcus.

Audens ita eſto, ſit procul vt audacia,
Audere multa, multa nos labi facit.
Audacia aliena ſapiente eſt à viro,
Ex temeritate multa naſcuntur mala.

Additamentum.

FRænum audaciæ eſt periculi æſtimatio, & ſecuturi nocumenti conſideratio, cui jungenda eſt propriæ imbecillitatis. Hinc Archidamus, teſte Plutarcho in Laconicis Apophtegmatibus, cùm filium ſuum videret in pugna adverſus Athenienſes audaciâ elatum, & ſupra vires audentem, monuit ut vires ſuas æſtimaret. Aut adde, inquit, viribus; aut magnanimitati detrahe. Seneca lib. de Tranquilli-

tate animi cap. 4. Ante omnia, ait, neceſſe eſt ſeipſum æſtimare, quia ferè plus videmur nobis poſſe, quam poſſumus. Et cap. 5. Æſtimanda ſunt deinde, quæ aggredimur, & vires noſtræ, cum rebus, quas tentaturi ſumus, comparandæ. Debet enim ſemper plus eſſe virium in latore, quàm in onere. Neceſſe eſt opprimant onera, quæ ferente majora ſunt. Hâc de re iterum cùm de fortitudine agemus.

CAPVT. IV.

An nulla ſit probanda audacia.

Prabanda quæ moderata eſt.

OMninò, & ea quidem, quam decem millibus emere Iſocrates volebat, quæ nihil aliud eſt, quam quædam excitata alacritas, & moderata confidentia. Sine hac enim nimium actiones omnes languent. Virgil. *Audentes fortuna iuuat.* Nimia animi timiditas plurimos ad quiduis agendum inutiles reddit. Nihil enim præclari vnquam egerunt nimium timidi. Erigit animum & vires dat moderata audacia. Prodeſt verò plurimum in bello conſulta audacia. Alexander Magnus cùm Darium Perſarum Regem multas militum myriades parare intelligeret, *Vnus*, inquit, *lupus multas non timet oues.* Cùm autem conſideratio periculi hominum audaciam reuocare ſoleat, Iulius Cæſar de rebus magnis gerendis, quæ periculo obnoxiæ ſunt, conſultandum non eſſe dicebat, quod ad eas perficiendas plurimum momenti celeritas haberet. Cogitandum tamen ſemper, quod dixit Aratus, *Differre magni facere virtutem, & vitam nihili facere.* Aliquando aut viribus addendum eſt, aut animis adimendum.

Additamentum.

PRobanda ea eſt, quæ moderata & conſulta, ſine qua vires languent, & facilè ſeſe timiditas inſinuat. Notum proverbium eſt, Timidi nunquam ſtatuerunt trophæum. Plato lib. 1. de Legibus. Duo ſunt, quæ victoriam pariunt, adverſus hoſtes quidem audacia, adverſus verò amicos turpis infamiæ timor. Certè qui nullam audaciam habet, nec in conſulendo, nec in agendo præclari quicquam poteſt. Plura iterum titulo de Fortitudine lib. 3.

TITVLVS XII.

De Ira.

CAPVT I.

Quid ſit Ira.

Deſinitio iræ.

IRA eſt appetitus iraſcentis ad præſens malum vindicandum perturbatio. Apud Ciceronem in quæſt. Tuſcul. Eſt libido puniendi eius, qui iniuriâ læſiſſe videtur. Nam cum aliquid eſt cauſa, cur malum patiamur; excutere iratus appetitus malum illud conatur: & quia ſi vindicta de mali auctore ſumatur, quodammodo excuti videtur, inde vindictæ deſiderium naſcitur. Phyſici Iram definiunt ſanguinis circa cor commotionem, ſeu inflammationem. In ira enim commouetur ſanguis & caleſit maxime, dum anima ſeſe ad malum propulſandum & ad vltionem colligit. Deinde cor dilatatur, ſanguiſque & calor ad partes extremas confluunt; vnde plerumque rubor eſt in irato. Secus aliquando fit tamen.

Additamentum.

LActantius lib. de Irâ Dei cap. 17. definit Iram libidinem ulciſcendi. Ibidem Poſſidonius Cupiditatem puniendi ejus, à quo te putes læſum. Seneca lib. 2. de Irâ cap. 3. concitationem animi ad ultionem voluntate & judicio pergentis. Ariſtoteles 2. Rhet. cap. 2. appetitionem cum dolore conjunctam, ejus, quæ apparet, ultionis, propter eam, quæ apparet, deſpici-

deſpicientiam vel in ſe, vel in ſuorum, quempiam non convententer. Dicit (ejus, quæ apparet ultionis) quia proponi intellectui poſſibilis ultio debet, aut', ſi talis non ſit, mœror & triſtitia oritur, non ira. Diſtinguitur ab odio, quod odium ſit circa malum, ira circa bonum, nimirum ultionem, quam iratus ſibi bonam arbitratur; illud deinde lentum eſt, hæc præceps; illud ob quamcumque injuriam, hæc ob contumeliam potiſſimùm & deſpicientiam.

CAPVT II.

Quæ cauſæ ſint Iræ.

Contemptus. PRima eſt Contemptus. Colligitur hic contemptus tum ex obliuione; obliuiſci enim ea ſolemus, quæ contemnimus; tum ex triſtium denunciatione, & aliorum in noſtro infortunio hilaritate, cum alij malum, quod patiamur, parui facere videntur.

Impedimentum. Secunda eſt propoſiti noſtri, vel implendæ voluntatis impedimentum.

Contumelia. Tertia eſt Contumelia. Hæc enim excellentiæ noſtræ derogare videtur, potiſſimùm ſi iniuſtè inferatur; vt cùm diues in pecunijs, Orator in dicendo deſpicitur.

Quarta eſt quædam iraſcentis infirmitas. Qui enim infirmi ſunt & defectibus obnoxij, facile læduntur *Inualidum omne natura querulum eſt. Nuſquam ſine querela ægra tanguntur.*

Infirmitas. Denique quicquid efficit vel auget apprehenſionem iniuriæ, vel minuendæ vtilitatis, ad iram excitandam confert. Multum hic luxus poteſt, & inanes delitiæ, & ſui ipſius amor. Leue delictum maximum hic eſt malum. Delicatuli homines leuiter offenſi vehementer iraſcuntur. Ijs ſi vitrum aut criſtallum puer imprudens frangat, in flammas iratæ mentis ilico abeunt, clamoribus inconditis omnia replent, ſupplicia extrema denuntiant. Quippè *nulla res magis iracundiam alit, quàm luxuria.*

Curioſitas. Quinta cauſa Curioſitas eſt. Certum enim eſt illud, *Qui nimis inquirit, ſeipſum inquietat.* Ita non ad curioſos homines ira venit, ſed ad illam ipſi currunt. Quærunt illam, & quietis impatientes perturbari volunt. *Credulitas.* Sexta eſt nimia Credulitas. Qui facilè credit, ſeipſum ſæpè lædit. Multi aut incerto, aut falſo rumore grauiter commouentur; nimirum quia nimis cito credunt.

Additamentum.

DVæ præcipuæ ſunt contumelia & contemptus cæteræ adjuvantes ſunt, vel occaſionem præbent. Hinc facilè iraſcuntur pauperes, & corpore vel animo debiles. Facilè enim ſe contemni arbitrantur, cùm argumenta contemptus ſemper oſtentet. Item pueri, qui animo ſunt infirmo & anguſto, quales etiam ſunt mulieres. De pueris Terentius in Hecyra,

Pueri inter ſeſe, quàm pro levibus noxis iras gerunt?
Quapropter? quia qui eos gubernant, animum infirmum gerunt.

De mulieribus Iuvenalis Sat. 6.

——— *Quoties facit ira nocentem*
Hunc ſexum, & rabie jecur incendente feruntur
Præcipites, ut ſaxa jugis abrupta, quibus mons
Subſtrahitur, clivóque latus pendente recedit.

Omnes denique, quotquot contemptu magis tanguntur; quales ſunt ſtudioſi, cujus cauſam dat Lud. Vives lib. 3. de Anima, quod in iis ob cogitationis laborem plurimus ad cerebrum calor cõvolet. Sed ea cauſa eſſe videtur, quod puriſſimos ſpiritus conſumant, & atrum ſibi plurimum ſanguinem creent, unde facilis in iram prolapſio eſt. Melancholici quoque facilè in iram prorumpunt, ex corporis conſtitutione, quia teter in iis humor abundat, qui infigit iis cogitationem deſpicientiæ, & humorem hilaritati accommodatum diſpellit, ſpirituſque exugit, unde triſtitia & obnubilatio animi, acriorque ex deſpicientiâ morſus. Propter eandem cauſam defatigatio eſt iracundiæ oportuniſſima. Seneca lib. 3. de Irâ c. 9. loquens de laſſitudine corporis. Conſumit, inquit, quicquid in nobis mite placidumque eſt, & acria concitat. Ideò quibus ſtomachus ſuſpectus eſt, proceſſuri ad res agendas majoris negotii, bilem cibo temperent, quam maximè mouet defatigatio,

gatio; ſive quia calorem media compellit, & nocet ſanguini, curſumque ejus venis laborantibus ſiſtit; ſive quia corpus attenuatum & infirmum incumbit animo. Certè ob eandem cauſam iracundiores ſunt valetudine aut ætate feſſi. Fames quoque & ſitis ex iiſdem cauſis vitanda eſt; exaſperat enim & incendit animos. Vetus dictum eſt, *A Laſſo rixam queri.* Æquè autem, & ab eſuriente, & à ſitiente, & ab omni homine, quem res aliqua urit. Nam utulcera ad levem tactum; deinde etiam ad ſuſpicionē tactus condoleſcunt; ita animus affectus minimis offenditur. Adeò ut quoſdam ſalutatio, epiſtola, oratio & interrogatio ad litem evocent. Nunquam ſine querela ægra tanguntur. Hactenus Seneca.

CAPVT III.

Quæ ſpecies ſint Iræ.

Iracundia

IRæ ſpecies ſeu partes tres ſunt. Prima eſt, Iracundia propriè dicta, quæ citò excitata citius euaneſcit. Et hæc in ſāguineis cholericiſque reperitur. Cholera enim ſeu flaua bilis ſubtiliſſima eſt, tota ignea, facilè inflammatur, facilè conſumitur. Secunda eſt acerbitas, quā laborant ij, qui tarde quidem admodum inflammantur, at eam diu retinent, & niſi vindictam ſumpſerint, placari nolunt. Hi ſunt melancholici, qui cholerâ craſsâ terreſtrique abundant; hæc verò nec accenditur facilè, nec accenſa citò conſumitur. Tertia eorum eſt, qui citò commoventur, nec prius iraſci deſinunt, quàm injuriam ſint vlti. Prima reprehenſionem aliquam meretur, ſecunda deterior eſt, tertia omnium graviſſima; quippè in qua malitia quædam & voluntatis obſtinatio reperitur.

Acerbitas

Subita & diuturna ira.

Additamentum.

INter eos qui citò iraſcuntur Ludovicus Vives numerat aquæ potores, quod tenues habeant ſpiritus, qui citò corripiuntur ab incendio iræ. Inter eos verò, qui tardius ad iram incenduntur, ſunt timidiores & modici ſanguinis frigidioriſque. Qui autem benè valentes multique ſanguinis & levioris ſunt, omnia quidem veluti læta recipiunt nec facilè excandeſcunt, cùm tamen ſe offenſos agnoſcunt, promptè iram exponunt. Segnes quoque ad iram deponendam eſſe ſolent, quibus craſſus & fibroſus eſt ſanguis concepti ſemel ardoris tenax. De his Philoſophus 2. Rhet. cap. 2. ubi ait. Quorum animalium ſanguis, fibris admodum multis craſſiſque refertus eſt, hæc terrena ampliùs conſtant natura, & animoſa, iracunda, proindeque furibunda ſunt. Ira enim calefacit. Solida autem firmioraque omnia concalefacta vehementius, quam humida, concalefaciunt; fibræ verò ſolidæ terrenæque ſunt. Porrò, ut apparet, tres iratorum ſpecies hic enumeratæ, ad triplicem in homine ſanguinem referuntur. Sanguis enim vel tenuis & ſubtilis eſt, multumque atræ bilis admixtum habet. Hic primum genus eorum efficit, qui citò iraſcuntur & citò placantur. Tales dicuntur eſſe Scythæ, Germani, & Galli. Vel eſt craſſus & viſcoſus, in quo non parum melancholiæ. Hic efficit tertium genus, eorum, qui pertinaciſſimè iraſcuntur, nec ſine ultione placantur. Tales ferunt eſſe Hiſpanos, qui plumbeam & Saturninam iram habent. Vel eſt medius, in quo uterque humor confuſus. Hic efficit ſecundùm genus eorum, qui tardè iraſcuntur, ſed iram diu retinent. Tales ſunt Itali.

CAPVT IV.

Qui ſint effectus.

Ferror ſanguinis.

PRimus eſt ſeruor quidam ſanguinis ſpirituumque circa cor. Vnde ſæpè in iratis cor palpitat, tremit corpus, facies igneſcit, ardent oculi, frons in rugas contrahitur, calcibus morſibuſque inſultatio oritur, clamor excitatur. Vere dictum, *Ira furor breuis eſt.*

Perturbatio rationis.

Secundus eſt perturbatio rationis. Vnde Virgilius, *Furor iraque mentem præcepitant.* Vnde in ijs, qui ſtimulis iræ concitantur, exulat pietas, legum iuſtitiæque obſeruatio perit, & quod furor ſubminiſtrat, rectum putatur; nulla gravitas eſt, prudentia deſideratur, dotes ingenij omnes obſcutantur. Quamdiu nimirum hic ardor durat. Qui enim irâ inflammantur, non niſi tempore ab

re ab inſanis differunt; & dum ratione,conſilio, judicioque deſtituuntur,ſui planè diſſimiles redduntur, & vix homines ſunt. *Homo non homo iratus.* Symbolum eſt Fl. Criſpi Imp.

Tertius eſt taciturnitas quædam,& vultus confuſio. Nam in lingua,facie, oculis veſtigium irati cordis expreſſius relucet. Hinc in iratis vox tremula eſt,& oratio interrupta. *Taciturnitas.*

Quartus eſt, quod in cædes cæco quodam impetu hominem impellat. Inflammatus irâ Theodoſius Imperator ad ſeptem hominum millia Theſſalonicæ trucidari iuſſit. Alexander Magnus Lyſimachum leoni obiecit, Clytum haſtâ traiecit, Calliſthenem mori coegit. Caracalla eos omnes vno edicto interfici curauit, qui ridiculè geſtus illius expreſſerant. Lyſander, Sulla, Cambyſes, Totila, aliíque innumeri iracundiæ ſuæ horrenda monumenta reliquerunt. Horrendum & ad poſteritatem memorabile Maioracenſis cujuſdam ſervi eſt exemplum, quod paſſim referunt Hiſtorici. Graviſſimè cæſus erat ab hero ſuo hic ſeruus, & leuem ob culpam. Mox irâ vindictæque cupiditate inflammatus, hero abſente, domum clauſit, ac matrefamilias arctius vinctâ, filios heri tres in editiorem domus partem ſecum adduxit, domini ibi reditum expectans: qui domum reuerſus cùm ſeruo de culmine ſeſe oſtendenti minari cœpiſſet, ilicò duos hic filios è tecto præcipites iecit. Hoc caſu conſternatus pater, cùm etiam tertio timeret, facti veniam, & libertatem ſeruo pollicitus eſt. At nihil, hic inquit, efficies; nares oportet tibi præcidas, ſi tertium ſeruare filium cupis. Accipit miſer conditionem, ſed naſo iam mutilato, tertium cum matre è tecto ſeruus deijcit, tandem ſeipſum. Simile de Xanthia muliere legitur. Hæc laqueo ſeſe ſuſpendit, paruulum filium à ſe necatum manu vnâ, alterâ facem incenſam, quâ domum accendit, tenens. Verè dixit Ennius, *Ira eſt initium inſaniæ.* Atque ideò Baſilius illam *Animæ ebrietatem & feram truculentam* appellat. *Magna ira multos perdidit mortalium*, inquit Euripides in Archelao. Et Horat. *ira procudit enſes.* *Impulſio in cædes.*

Et miſeras inimicat vrbes.

Quintus eſt pertinacia. Vnde fit, vt qui ardenti irâ inflammati ſunt, ſi quæ iuſta defenſio proponatur, protinus in veritatem ipſam & innocentiam excandeſcant. Quippè *pertinaciores nos facit iniquitas irâ, quaſi argumentum ſit iuſtè iraſcendi grauiter iraſci.* Qui iraſcitur & iudex eſſe vult, & actor, odit eos, qui partem ſuam & iram non probant, atque ideò pertinaci animo ſuæ adhæret opinioni, & alterum conſilium excludit. Plurimorum ab ira malorum paſſim Hiſtorici meminerunt. *Pertinacia.*

Additamentum.

SEneca lib. 2. de Irâ cap. 36. & 37. luculenter iræ effectus expreſſit. Videndum eſt, inquit, quàm multis ira per ſe nocuerit. Alii nimio fervore rupêre venas, & ſanguinem ſupra vires elatus clamor egeſſit, & luminum ſuffudit aciem in oculos vehementiùs humor egeſtus, & in morbos ægri recidêre. Nulla celerior ad inſaniam via eſt. Multi itaque continuaverunt iræ furorem, nec quam expulerant mentem, umquam receperunt. Mortem liberis, egeſtatem ſibi, ruinam domui imprecantur, & iraſci ſe negant, non minùs quam inſanire, furioſi. Amiciſſimis hoſtes, vitandique cariſſimis. Legum, niſi qua nocent, immemores, ad minima mobiles. Non ſermone, non officio adiri faciles. Omnia per vim gerunt, gladiis & pugnare parati, & incumbere. Maximum enim malum illos cepit, & omnia exuperans vitia. Alia paulatim intrant. Repentina & univerſa vis hujus eſt, omnes denique alios affectus ſibi ſubjicit. Amorem ardentiſſimum vincit. Transfoderunt itaque amata corpora, & in eorum, quos occiderant, jacuere complexibus. Avaritiam duriſſimum malum, minimumque flexibile, ira calcavit, adacta opes ſuas ſpargere, & domui rebuſque in unum collatis injicere ignem. Quid? non ambitioſus magno æſtimata ira projecit inſignia, honoremque delatum repulit? Nullus affectus eſt, in

quem

quem ira non dominetur. Vide ejuſmodi multa apud Gregorium Nyſſenum Orat. 2. ubi oſtendit ex iræ effectibus hominem iratum in feram immanem tranſire. D. Gregorium 1. Moral. cap. 30. qui idem probat, Chryſoſtomum hom. 29. S. Baſilium hom. 10. adverſus iraſcentes. Græcus quidam iræ florem, inſaniam eſſe dixit. Cato iratum ab inſano tempore tantum diſtingui. Seneca Epiſt. 18. Immoderata, inquit, ira gignit inſaniam. Perſius Satyra 3.

Nunc face ſuppoſita ferveſcit ſanguis, & irâ
Scintillant oculi, diciſque faciſque quod ipſe
Nō ſani eſſe hominis, non ſanus juret Oreſtes.

Ad allata exempla adjungi hæc poſſunt. Hercules ob nimiam bilem ſacro morbo fuit obnoxius. Vnde Proverbium, Morbus Herculanus. Perſes Rex à Paulo Æmylio victus, duos ex amicis, qui fugientem ſolari volebant, irâ percitus interfecit. Tam atrox facinus in cauſa fuit, ut ab omnibus deſtitueretur, teſte Plutarcho in Æmylio. Eurylochus Poëta per iracundiam ſæpè correpto veru cum carnibus ad forum uſque cocum ſequebatur. In Elide cùm quæſtionibus eruditorum fatigaretur, abjecto pallio Alpheum fluvium trajecit, ut refert Laertius in vita Pyrrhonis, Valerius Maximus lib. 9. cap. 3. dubitat Syllane prior, an iracundia Syllæ ſit extincta. Is irritatus à Cranio Principe Puteolorum, nimiâ animi concitatione & immoderato vocis impetu convulſo pectore ſpiritum cruore ac minis mixtum evomuit. Poſſunt huc referri omnium crudelitatis exempla; nam ira paulatim in crudelitatem vertitur, aut crudelitas ab ira eſt.

CAPVT V.

Quæ ſint contra Iram remedia.

Varia remedia. PRimum eſt naſcenti Iræ quam primùm reſiſtere, imò naſcentem opprimere. Facilius enim initio repellitur, quàm admiſſa ſuperetur. Itaque expedire ſe ijs cauſis & occaſionibus oportet, quæ iram excitant & incendunt. Cotys Rex Thracum, cùm multa ei cælato opere figulina vaſa, quæque frangi facillimè poterant, offerrentur, gratum ſe offerenti exhibuit, ac mox omnia confringi curauit. Rogatus cauſam, *ne in ſeruos*, inquit, *facilè peccantes facilius excandeſcam; & acrius quàm par ſit in eos animaduertam.* Auguſtus Cæſar, cùm ſeruum ſuum in piſcinam abijci Pollio curauiſſet, quod cryſtallum imprudens fregiſſet, dimitti ſeruum iuſſit, omniaque comminui cryſtalla, ne iræ in poſterum eſſet occaſio.

Secundum eſt in ſpeculo ſeſe conſiderare. Sapienter proinde Plato, Fulgoſio teſte lib. 7. diſcipulos ſuos admonebat, vt iratos ſe in ſpeculo contemplarentur. Quippè ab ira ſibi temperaturos, ſi deformem faciem ſuam intuerentur, in qua frons caperata atque in rugas contracta, oculi ceu flammæ ardent, labia mordentur, lingua præpeditur. Monſtri quiddam ſimile eſt, Mineruam ſemel, cùm à Satiro admoneretur, vt tibias abijceret, genaſque ſibi conformaret, in fluuio vultu ſuo conſpecto ex indignatione eas abieciſſe.

Tertium eſt in Ira tacere, linguamque continere. Hinc Seneca. *Optimum eſt, ad primum mali ſenſum mederi ſibi, tum verbis quoque ſuis minimum libertatis dare, & inhibere impetum.* Danda verò potiſſimùm opera, ne quid contra decorum dicatur.

Quartum eſt, Curioſum non eſſe. Ideò Cæſar cùm victoriâ potitus hoſtium ſuorum litteras intercepiſſet, flammis omnes etiam non viſas aut lectas tradidit, ſicque omnem iracundiæ materiam eodem igne conſumpſit. *Vt non ſis iracundus, ne ſis curioſus*, ait Seneca.

Quintum, nihil prius verbo vel facto tentare, quàm iræ furor ſeſe remiſerit. Plato ſeruo ſuo iratus, cùm eum caſtigaturus eſſet, & Xenocrates interueniret, *Flagella*, inquit, *hunc puerum, nam ipſe ſum iratus*. Bene enim ſuadebat Demonax, non facilè iraſcendum eſſe hominibus, ſi delinquerent, ſed vitia potius eſſe corrigenda, medicorum exemplo, qui ægrotis non indignantur, ſed ſedato animo & condolenti morbum ſanant. Hinc qui iracundi ſunt & moroſi ad teneram ætatem inſtituendam parum ſunt idonei. Item qui truculenti & aſperi.

Sextum

Sextum eſt, cogitare præclararum omnium actionum iram magnum eſſe impedimentum. Hinc Pyrrhus quidam gymnici certaminis præfectus, ijs, quos exercebat ne iraſcerentur, præcipiebat, quod irâ artem pertubaret, dum non quâ caueat, ſed quâ noceat, tantùm aſpicit. *Per iram*, inquit D. Gregorius in Moralibus, *Sapientia perditur, vt quid, quoue ordine agendum ſit, neſciatur: per iram iuſtitia relinquitur, quia dum perturbata meas iudicium ſine ratione exaſperat, omne, quod furor ſuggerit, rectum putat.* Cato *Impedit ira animum ne poſſit cernere verum* Et, Euripides, *Mens nil in ira rectè quicquam conſulit.* Vnde apud Terent. Demea in Adelp. ait ſe apud ſe non eſſe, non eſſe animi compotem, quod ardeat iracundia. Denique cogitare oportet turpiſſimam eſſe in ſapiente iram; multa etiam in nobis eſſe vitia multoſque defectus. Minuenda quoque exiſtimatæ iniuriæ opinio, quæ per iram, ſicut per nebulam corpus, maior ſemper apparet. Fugiendum iracundorum conſortium, etſi prodeſſe dicebat Pythagoras, cum muliere iracunda exercitationis causâ, conſuetudinem habere.

Additamentum.

HAc de re Plutarchus librum unum, Seneca tres conſcripſit. Pro ea frænanda hic allatis aliqua adjungemus. Et primò optimum eſt, per dies aliquot ſibi imperare vovereque iræ refrænationem. Hic enim paulatim profligabitur. Secundò Moroſorum & anxiorum conſortia fugere, ut ſuggerit Seneca lib. 3. cap. 7. & 8. Nam, ut ait Ovidius de Arte:

Si ſpectent oculi læſos, læduntur & ipſi,
Multaq; corporibus tranſitione nocent.

Tertiò Mora & cunctatio lentũ mali præcipitis remedium eſt. Anthenodorus Philoſophus Cæſari Auguſto abiturus hoc cõſilium dedit. Ne quid iratus diceret vel faceret, priuſquam Græcarum litterarum elementa ſecum recitaſſet, ut refert Plutarchus in Apophtmeg. Rom. Eodem modo Divus Ambroſius Theodoſium Imperatorem monuit, ut ſupplicia capitalia poſt Imperatoris reſcriptum per dies 30. ſuſpenderentur, ut ait Nicephorus, lib. 12. cap. 41. Neque enim feſtinatione eſt opus, cùm puniendi voluptas non pereat, ſi differatur, & qui hodie reus eſt, cras etiam erit & perindie. Et, ut rectè Seneca lib. 2. cap. 43. Pœna dilata poteſt exigi, ſed exacta non poteſt revocari. Quartò Vtile eſt cùm quis iraſci contra aliquem incipit, ſtatim in ſeipſum deſcendere, & illud Platonicum ſibi dicere, Num & ego talis? Ptolomæus Lagus Grammaticus ob inſcitiam ſubſannans rogabat, quis Pelei pater fuiſſet; cui Grammaticus, Prius, inquit, dicito quis Lagi pater fuerit. Quo dicterio cùm Generis obſcuritatem Regi objiceret, illud non ferendum amici judicabat, ſed ille, Si non, ait, Regum eſt ſalsè dicta ferre, nec ſalsè dicta in alios jacere Regium erit, teſte Plutarcho de ira cohibenda. Quintò Danda eſt amico alicui ea poteſtas, ut liberè nos corripiat & ſeverè cùm iraſcimur, nec iræ noſtræ aſſentiatur. Suggerit hoc Seneca lib. 3. cap. 13. Sextò Prodeſt conditionem eius, in quem ira concitamur, conſiderare, quamque re vera noxius non fuerit. Hinc Antoninus lib. 9. num. 36. Si cujus, inquit, impudentia offenderis, ſtatim percuntare teipſum, an poſſit fieri, ut nulli ſint in mundo impudentes. Non poteſt autem hoc fieri. Ne igitur poſtula, id quod fieri nequit: alioquin ipſe quoque unus eris ex impudentibus jis, quos eſſe in mundô oportet. Idem de Verſuto, infideli, omni denique quocunque modo vitioſo, in propmpus ſit tibi cogitare. Nam ſi recorderis neceſſario id genus hominum eſſe, ſingulis æquiorem te præbebis.

CAPVT V.

Quæſtiunculæ aliquot.

AT *qui poſſumus aliorum à nobis iram auertere?* Inprimis ſi alterius iræ non ſtatim obſiſtamus, ne iram tanquam ignem accenſum, dum extinguere volumus, augeamus, & quaſi ventilemus. Quippè in remiſſionibus morborum remedia proſunt, quies autem eorum initia curat. Deinde ſi pacatè ac ſubmiſſè iratum alloquamur. Nam mollis reſponſio frangit iram. Tum ſi culpam agnoſcamus, ac demus operam, vt quod commiſimus, à contemptus ſuſpitione longè remoueamus. *Quæſtiuncula prima.*

Quid

Quid ſi obtrectationes, calumniæ, maledicta ad iram nos extimulent? Non idcircò conuitijs ſaleque nigro, vt dicitur, certandum ilico eſt, aut iraſcendum. Cogitemus calumniatores noſtra ira indignos eſſe. Agatocles & Antigonus, eos, à quibus iniuriâ laceſſebantur, ridebant; Cæſar contemnebat: Quippè *magnam fortunam magnus animus decet*. Pulcherrimum victoriæ genus eſt, aliorum convitijs non moueri. *Convitia ſi iraſcare, agnita videntur, ſpreta exoleſcunt*, inquit Tacitus 4. Annal. Magnus eſſe non poteſt, qui vno convitio flectitur. Cogitemus, quod ſicut vmbra corpus comitatur, ita eruditionem, virtutem, actiones honeſtas invidia, & huius ſoboles obtractatio ſequitur: cadit autem in eos, qui ſua in virtute præſidium poſitum nullum habent, alienâ cruciantur. Cur aliorum nos potius de gradu improbitas deijceret, quàm noſtra erigeret virtus ac pietas? Maledictum in actam honeſte vitam coniectum, aut temporis progreſſu perit, aut ſuo interitum auctori parit. Hoc efficiunt calumniatores, vt attentius nos ipſos obſeruemus, nihil temerè, diſſolutè, improbè dicamus, aut faciamus. Optimus vltionis ac vindictæ modus eſt, honeſte viuere. *Regium eſt benefacere, & malè audire.* Agebat Phillppus Macedo Athenienſibus gratias, quod ſuis calumnijs efficerent, vt virtuti ac honeſtis rebus magis, quàm ante, ſtuderet.

Quid ſi quis in nos ſit ingratus, iraſcendumne eſt? Minimè ſanè. Viri magni boniique eſt, tam diu ingratos ferre, donec grati fiant. Qui dolere de ingratitudine non vult, cogitet priùs, in quos ſua beneficia dignè conferat. Neque ita beneficia conferuntur, vt nomina fiant. Satis magna laus eſt bene feciſſe.

An ergo contemni ſe quis patietur? Monet Seneca auctor grauiſſimus, ei qui ad honeſta pergit, omnino contemnendum contemptum eſſe; neque quicquam veri in his reperiri, quæ famæ placent. Imò laudis loco habendus eſt improborum contemptus. Indicium enim eſt nos illis ſimiles non eſſe. Ariſtippus Philoſophus apud Dionyſium Tyrannum infimo in loco accumbere iuſſus, nihil contemptu illo commotus fuit, quod non locus viris, ſed loco viri dignitatem conciliarent. Egit proinde Dionyſio gratias, quod honorificum reddere poſtremum locum voluiſſet. Bis paſſus repulſam Cato in præturæ & Conſulatus petitione, non ſibi; Præturæ Conſulatuique injuriam factam eſſe dixit. Epaminondas ſtruendarum viarum miniſterio fungi iuſſus, ſordidiſſimum officium, inquit, ſplendidiſſimum reddam. Domanda igitur in nobis ſemper eſt ira. Quod ſi cùm rationis regula congruat, etiam laudanda eſt, & eſt quidam ad res præclaras gerendas, vel turpes reijciendas ſtimulus. De Affectibus dictum iam ſit ſatis.

Additamentum.

PRo ira ab aliis avertenda varii ſuggeruntur modi. Primò Ne pueri iracundi fiant, & quaſi cum lacte iram ſugant, matres & nutrices ab ira ſibi cavere debent; adhibenda eſt inſtitutio & educatio moderata; vinum non dandum pueris; ſi cibis non impleantur, ſi modici ſint eorum luſus; ſi majores vereantur, & nihil per iracundiam extorqueant; ſi modo fræna, modo ſtimuli adhibeantur; ſi directores illorum non truces & feri ſint, ſed mites & placidi; ſi cibi non nimis delicati & veſtis non nimis pretioſa. Vide Senecam lib. 2. de Ira cap. 22. Secundò Quod ſi ira violentior ſit & pertinacior medicum imitari convenit, qui cùm Regis filiam ſanare deberet, ut ait Seneca, nec ſine ferro poſſet, dum membrum tumens leniter fovet, ſcalpellum ſpongiâ tectum induxit. Sic per ambages iratis obviam eſt eundum, iraque ſimulanda, ut plus fidei nobis habeatur; majorque pœna quærenda, ut præſens differatur. Prodeſt & ſermones gratos novoſque miſcere, ut animus cognoſcendi cupiditate ab ira avocetur; deinde contemnendus eſt is, qui offendit, ut tantâ perturbatione pro eo vexari ſit indignum. Tertiò Accommodare ſe iratorum moribus oportet, & ſi objurgationibus deliniri non poſſint, precibus unicantur. Quartò Si qui alienam comprimere vult iram magnæ vir authoritatis ſit, &

irato

irato formidabilis, poteſt iratum apertè aggredi, & iram eius gravi objurgatione frangere, ut Auguſtus Cæſar fecit erga Pollionem.

Quod attinet ad obtrectationes, calumnias, & maledicta, quæ ad iram extimulare nos ſolent, cogitandum eſt, quod Tiberius, teſte Suetonio, dicere ſolebat, In libera Civitate liberas mentes & linguas eſſe debere. Magni omninò animi eſt maledicta contemnere. Talis erat Alphonſus Aragoniæ Rex, quem cùm in foro Capuenſi miles quidam apprehenſo equi fræno ſiſteret, & petulanter convitiaretur, Rex nihil animo commotus eſt, nec illum conſpicatus perrexit.

Propter ingratos iraſci nemo ſapiens volet. Nam, vt inquit Petrarcha, lib. 2. de remedijs vtriuſque fort. dial. 28. Gratitudinem nulla barbaries Gentium, nulla morum immanitas non laudabit; nemo uſquam non vituperabit ingratitudinem. Perfer igitur, inquit, & gaude potius ingratum ferre, quàm ingratus fieri. Multi enim benefici dici volunt, jactatores ſunt atque exprobratores. Non eſt iraſcendum illis, quibus benefecimus, etſi ſint ingrati; cogitandum verò, quod nullum bonum opus perit, & eius fructus in agentem redit. Eò liberalitas major eſt, quò ſpes præmii minor eſt.

An quis ſe contemni patietur? Cogitet nihil eſſe crebrius, quàm ſapientem ab inſanis contemni. Quatuor bona eſſe dixerunt quidam, Spernere mundum, ſpernere nullum, ſpernere ſeſe, ſpernere ſe ſperni. Hoc ultimo opus eſt omnibus. Qui contemni ſe videt, agat bonum magnumque aliquid, quo contemni nequeat. Virorum excelſorum eſt pati contemptores. Sprevit Achilem Therſites, Homerum Zoilus, Auguſtum Antonius, Virgilium Evangelus, Ciceronem Calvus; Chriſtum Dei filium Herodes. Is contemptum vincit, qui contemptores irridet & ſpernit.

Finis Commentariorum in Librum Secundum Inſtitutionum Moralium.



I NICO-

NICOLAI VERNVLÆI INSTITVTIONVM MORALIVM

LIBER TERTIVS.

De Virtutibus & Vitiis.

TITVLVS I.

De Virtutibus in genere.

CAPVT PRIMVM.

Quid ſit Virtus?

Definitio Virtutis.

VIRTVS, definiente Philoſopho, eſt habitus animi ad conſulto ſponteque agendum aptus, in ea, quam ratio nobis præſcribit, & quæ prudenti probatur, mediocritate poſitus. Eius ſedes in animo eſt; quippè habitus eſt animi; & cùm conſtans ſit, non naturalis eſt affectus, ſed vſu exercitationeque comparatur. Quoniam etiam ad conſulto ſponteque agendum eſt, ſequitur voluntariam omnem eſſe virtutis actionem, quæ non exceſſu defectuque peccet, ſed in quadam mediocritate, bonorum prudentumq; virorum iudicio determinata, conſiſtat. Vnde conſtat per habitum Virtutis liberam hominis voluntatem ad agendum rectæ rationi convenienter incitari. Per rectam autem rationem nihil aliud intelligimus, quàm ipſam Naturæ legem, atque illas rerum notiones, quæ mentibus noſtris divinitus inſitæ ſunt, vt de rebus bonis & malis, de honeſtis & turpibus rectè iudicemus. Ex quo fit duas efficiendæ virtutis præcipuas eſſe cauſas. Mentem rectè judicantem, & voluntatem rectè judicanti præcipientique Menti obtemperantem. Vtraque per Doctrinam plurimum adjuvatur. Ea enim cognitionem earum rerum. quæ natura nobis inſunt, ac lumen divinitus datum, ſed magis ſæpè tenebris obſcuratum, illuſtrat. D. Auguſtin.

Variæ deſcriptiones virtutis.

Virtutem *bene recteq́; vivendi artem definit.* M. Cicero interdum *rectam rationem* appellat; interdum *affectionum animi conſtantem convenientemq́; ac laudabiles efficientem eos in quibus eſt.* Horatius verò *Virtus eſt medium vitiorum utrimque redactum.*

Iamblichus *Virtutem animi perfectionem, & modum vitæ optimum eſſe* ait, *eandem rationis, mentis, & cogitationis ſummam puriſſimamq́; actionem,* Metopus Pythagoricus *abſolutionem humanæ naturæ* illam nominat. Eſt quippè regula & norma actionum humanæ vitæ; ſiquidem de rebus omnibus judicat, de ipsâ, nulla, vt doctiſſimus ait Seneca. Quod ad nomen attinet *Virtus ex viro appellata eſt*, inquit Cicero. Vnde Lactantius, *Vir dicitur eo quod major vis eſt in eo, quàm in fœmina, & hinc virtus nomen accepit.*

Addita-

Additamentum.

ARISTOTELES lib. 2. Eth. cap. 6. Virtutem Moralem definit eſſe habitum, qui bonum facit habentem,& opus ejus reddit bonum. Affinis illi eſt definitio Auguſtini, lib. 2. de libero Arbit c.28. Virtus eſt bona qualitas mentis, quá rectè vivitur,quà nemo malè utitur,quam Deus in nobis ſine nobis operatur. Rogatus aliquando Gorgias apud Platonem in Menone, quid virtus eſſet, enumeravit plures Virtutes, ut Temperantiam, Iuſtitiam, Fortitudinem, tacuitque vim ac naturam Virtutis, de quà quærebatur. Quod Reſponſum probat Ariſtoteles, & oſtendit cap. 7. lib. 2. Eth. non eſſe hærendum in univerſali Virtutis definitione,ſed ad particulares Virtutes deſcendendum, cùm actiones circa particularia verſentur. Veteres Virtutem fœminę imagine finxerunt, quod ipſa viros pariat. Cicero Officium, ab efficiendo appellat, quod viros efficiat, Ægyptiorum Sacerdotes Virtutis Hieroglyphicum os Omygdali fecerunt, quod pluribus ſtigmaticis notis, & quaſi cicatricibus redundat, eiuſque arbor clavo fixa fertilior redditur, nucleus verò amarus ebrietati maximè reſiſtit, cumque cortex amariſſimus ſit,ſuaviſſimus tamen fructus edit.

CAPVT II.

Quid ſit illud medium,ſeu mediocritas illa Virtutis?

Medium aliud eſt rei aliud rationis

DVplex conſtituunt Philoſophi medium, rei vnum, rationis alterum. Medium rei eſt,quod ab extremis æqualiter diſtat, apud omnes eſt idem. Arithmeticum hoc dici ſolet. Medium rationis eſt, quod modum in exceſſu non tranſit,nec deſerit in defectu,& apud omnes non eſt idē. Geometricum dicitur. Ita quaternarius numerus inter binarium ſenariumq; medium eſt rei; idem inter binarium & octonarium medium eſt rationis; illū bis continet,bis ab hoc cōtinetur. Virtus itaq; cum in medio ſeu in mediocritate poſita dicitur, de medio rationis intelligendum eſt. Quippè virtutis actiones nec excedere modum debent, nec à modo deficere,etſi ab extremis non æquè ſemper diſtent. Vnde ſi duo panes,exempli gratia,famelico non ſufficiant,& decē plures,quam oporteat, ſint, non ilicò ſex panibus veſcendum eſſe ſequitur,ſed aut quatuor,aut quinque ſicut famelici exigere neceſſitas videtur. Neq;enim par omniū eſt ratio. Poſitam in mediocritate virtutem duæ apud Philoſophum rationes manifeſtant. Vna quod rationis medium Ars obſeruet,multò proinde magis virtus. Altera quod in arduo difficiliq́ue conſiſtat. Sicut autem ad extrema vergere, modiſque infinitis aberrare facillimum eſt,ita tenere medium cùm aliquid in moribus agimus, perturbamurque longè eſt difficillimum. Vno tantùm modò ſcopus attingitur,nimirum per rectam lineam;at innumeris ab eo modis aberratur. Deinde cùm in humanis actionibus exceſſus defectuſque ſint mali,ſequitur mediocritatem bonam eſſe,bonum autem Virtus quærit. Et cùm virtutis bonitas ex conformitate ad rectæ rationis regulam æſtimetur,à qua recedere niſi per defectum exceſſumque non contingit, rectè in mediocritate conſiſtere Virtus dicitur,quod nihil aliud eſt,quàm cum rectæ rationis regula congruere, quæ nec excedere permittit, nec deficere. Ita cùm animus aliquid æquo remiſſius languidiuſque agit, aut intentius concitatiuſque quàm par eſt, recta ratio modum adhibet,& quaſi limando ſuâ regulâ animi affectum conformat, vnde virtus exiſtit. Et hæc eſt pulchra in homine harmonia, & ſimilis ſuauiſſimo concentui, quem aut ſoni,aut voces inter acumen nimium & nimiam grauitatem temperatæ efficiunt.

Quod medium virtutis.

Quæſtiuncula.

An virtus dici etiam medium poſſit inter extrema duo vitia? Medium equidem eſt, at non tale, quod vtriuſque particeps ſit, ſed quod de neutro quicquam habeat, dum illud exceſſu,hoc defectu peccat; in virtutis autem mediocritate nec vitioſa eſt exſuperantia nec vitioſus defectus.

Additamentum.

MEdiocritas Virtutis hic explicata aſſeritur ab Ariſtotele in definitionis allatæ expoſitione. Theages Pythagoricus lib. de Virt. In Vniverſum, inquit, Virtus eſt congruentia quædam irrationalium partium animæ, ad eam, quæ ratione prædita eſt. Ea fit, ſi voluptatis & doloris finem ſuſcipiat eum, qui eſt decorus: Nihil enim aliud vera Virtus, quàm habitus ipſius decori. Ipſum autem decorum eſt, quod convenit fieri. Indecorum autem, quod non decet fieri. Indecori duæ ſunt ſpecies; hæc exuperatio, illa defectus. Ac exuperatio quidem eſt, quod plus eſt, quàm conveniat; defectus verò, quod minus, quàm conveniat. Ipſum autem decorum, cùm id fit, quod eſſe decet, & extremum utique fuerit, & medium: extremum, eò quòd nec ablatione, nec additione egeat; medium, quòd ſit inter exceſſum & defectum. Ita ille, quibus verbis docet Virtutem medium & extremum eſſe. Plato, ut eſt apud Apuleium lib. de Prudentia, Virtutes vocabat Summitates & Medietates. Summitates quod vitiorum ordini oppoſitæ longè eminent; Medietates, quòd in meditullio quodam vitiorum ſint ſitæ. Notum illud Cleobuli Sapientis de Virtute dictum, *Modus optimus.* Cui conſonum eſt illud, *Ne quid nimis.* Seneca lib. 2. de beneſ. cap. 16. Cùm ſit utrinque Virtutis modus, æquè peccat, quod excedit, quàm quod deficit. Et lib. de Vita beata c. 13. Voluptas nocet nimia. In Virtute non eſt verendum, ne quid nimium ſit, quia ipſa eſt modus. Hieronymus in Epitaphio Paulæ, Modus Virtus eſt, vitium nimietas reputatur. Nyſſenus hom. 6. in Eccleſiaſten. Quis neſcit, inquit, Virtutem eſſe menſuram, quam metitur medium eorum, quæ juxta eam conſiderantur? Non enim poteſt eſſe Virtus, cui vel deeſt, vel eam excedit conveniens menſura. Vt in magna & excelſi animi Virtute, cujus quod deficit quidem eſt timiditas, quod exuperat autem eſt audacia. Plura ejuſmodi paſſim apud alios. De hac Virtutis mediocritate eſt illud Horatii lib. 1. Epiſtola 1.

Eſt modus in rebus, ſunt certi deniq; fines,
Quos ultra citraq; nequit conſiſtere rectum.

Et Epiſtola 6.

Inſani ſapiens nomen ferat, æquus iniqui
Vltra quam ſatis eſt, Virtutē ſi petat ipſam.

Referenda huc quoque, quæ apud Ovidium ſunt de Phaetonte lib. 2. Metam.

Altius egreſſus cæleſtia ſigna cremabis,
Inferius terras, medio tutiſſimus ibis.

CAPVT III.

An virtus nobis inſit à natura?

Non ineſt à natura.

CVm frequenti honeſtarum actionum exercitio virtus comparetur, à natura ſanè nobis non ineſt. Quis neſcit ſæpenumero homines ad vitium à virtute deflectere? Quod à natura eſt, mutari variarique non poteſt. Quanquam verò à natura non inſit, præter tamen aut contra naturam non acquiritur à nobis. Quippe nihil in nobis à natura eſt, quod virtuti ſit repugnans, cùm & ipſe ſentiens appetitus, vt rationi rectæ obediat, naturaliter ſit aptus. Ipſa etiam Natura noſtros animos ad virtutem ſuſcipiendam quodammodò diſpoſuit, vnde & ipſa naturalis dici rectè poteſt.

Dici tamen poteſt naturalis.

Additamentum.

PEripatetica ſanaque Philoſophia Virtutem innatam & internam non agnoſcit. Ariſtoteles lib. 2. Eth. cap. 1. Et lib. 10. cap. 9. ex inſtituto Virtutem à natura ingenitam non eſſe docet. Rationes eius ſunt. Inprimis quod quæ à natura inſunt, mutari nequeant; neque fieri poteſt, ut lapis ſurſum, ignis deorſum feratur; at multi de Virtutis ſtatu decidunt, & improbi etiam experientia teſte aliquando optimi fiunt. Deinde eorum, quæ naturâ inſunt, prius vim & facultatem habemus, quàm uſum, ſiquidem prius eſt videndi facultatem habere, quàm videre; atqui ſecus in Virtutibus fit, quarum actiones prius exercere neceſſe eſt, quàm earum habitibus exornari. Præterea, ſi Virtus à natura competeret, quorſum legiſlatores Virtutem tanquam arduam commendarent, & ad eam omni ſtudio hominem inducerent? Denique Virtutes ſicut frequentatis actionibus bonis ingenerantur, ita malis & vitioſis excluduntur, ut Ariſtoteles ſimilitudine artificum confirmat, quos exercitatio frequens rectè & ex artium legibus continuata peritos efficit, vitioſa autem imperitos. At quæ ab actionibus oriuntur & corrumpuntur à

natura

natura non ſunt; ſic enim ſeipſam natura quaſi luderet, & inſtabilis eſſet. Has Philoſophi rationes illuſtrant & confirmant omnes eius Interpretes. Neque refert, quod Platonici Virtutum alias naturales, alias morales conſtituant; per illas enim non niſi facultates nativas & benè affectas intelligunt. Ariſtoteles quoque dum de virtute naturali loquitur, diſpoſitionem animi & proclivitatem ad illam intelligit, ut cap. 13. lib. 6. Eth. ubi ſic ait: Simili modo Virtus ſe habet, ſicut prudentia cum calliditate; non idem quidem, ſed ſimile tamen quid eſt. Ita virtus naturalis, cum ea, quæ propriè virtus dicitur. Omnibus enim ſinguli ex moribus eſſe quodammodo naturâ videntur. Nam & juſti, & temperantes, & fortes ſumus, & cætera ſtatim ab ipſo ortu habemus.

Quæres, an ergò alii aliis ad virtutem à natura ſint aptiores? Reſpondeo id veriſſimum eſſe, juxta illud Senecæ Epiſtola 95. Vt dii immortales nullam didicere virtutem, cum omni editi, & pars naturæ eorum eſt, eſſe bonos; ita quidam ex hominibus egregiam ſortiti Indolem, in ea, quæ tradi ſolent, perveniunt ſine longo magiſterio, & honeſta complexi ſunt, cùm primum audierunt. Vnde iſta tam rapacia virtutis ingenia, vel ex ſe fertilia? Idem in eadem Epiſtola: Quid ergò? non quidam ſine inſtitutione ſubtili evaſerunt probi, magnoſque profectus aſſecuti ſunt, dum nudis tantùm præceptis obſequuntur? Fateor, ſed felix illis ingenium fuit, & ſalutaria in tranſitu rapuit. Porrò etſi alii aliis ad virtutem ſint aptiores, non tamen virtus illis inſita eſt; ſed quædam virtutis duntaxat ſemina, quæ, ſi cultura acceſſerit, lætas tandem fruges dant. Hinc Seneca Epiſtola 73. Semina, inquit, in corporibus humanis divina diſperſa ſunt, quæ ſi bonus cultor excipit, ſimilia origini prodeunt; & paria his, ex quibus orta ſunt, ſurgunt. Et Apuleius lib. de Philoſophia ex ſententia Platonis docet, hominem ab ſtirpe ipſa neque abſolutè bonum, nec malum naſci, ſed ad utrumque proclive ingenium eſſe. Habere quidem ſemina utrarumque rerum cum naſcendi origine copulata, quæ educationis diſciplinâ in partem alteram debent emicare.

CAPVT IV.

An ergò virtus frequenti actionum honeſtarum exercitio & conſuetudine acquiratur.

ACquirendæ virtutis hæc vna certaque via eſt. Inprimis opus eſt occulto quodam Dei beneficio, ac Sancti Spiritus gratiâ. Sine hac enim fieri nihil rectè poteſt. Deinde recto mentis iudicio parere oportet, & ad honeſtum liberâ voluntate conniti. Tum adſit diligentia & aſſiduus honeſtarum actionum vſus. Profectò nemo vnquam veras virtutes niſi diuino munere conſecutus eſt. Quam ob cauſam verè Plato virtutem à Deo dari, non à natura nobis ingenitam, in Menone ſcribit. Illud verò etiam certum eſt, crebris actionibus, non ſolâ cognitione, virtutem comparari. Vnde Philoſophus iuſtè agendo iuſtos nos effici ait; & temperanter agendo temperantes, & fortibus actionibus aſſueſcendo fortes. Nimirum quemadmodum vulgò dicitur. *Scribendo fit ſcriptor, & fabricando faber.* Sapienter, proinde Antiſthenes *Virtutem eſſe rem operum* dicebat. Et Democritus, plures exercitatione bonos fieri, quàm naturâ. Pantoholldas legatus, cùm in Athenienſium Gymnaſio diſputantes de Virtute philoſophos audiuiſſet, ac, num placerent, quæ dicta erant, interrogaretur, *Probæ*, inquit, *profectò ſunt diſputationes illæ, ſed inutiles planè vobis, qui virtutem habetis in ore, factis non oſtenditis.* Teſtis eſt Plutarchus in Apohteg. Ita non in verbis virtus eſt, ſed in factis, & factis acquiritur. *Modus acquirenda virtutis.*

At verò quomodo virtutem exercebit, qui virtutem nondum acquiſiuit? Certè etiam agere iuſtè poteſt, qui iuſtus nondum eſt, etſi non ex Iuſtitiæ habitu. Quædam enim in nobis ſunt naturalia ad virtutem ſemina, per quæ honeſtæ nonnullæ actiones à nobis produci poſſunt, vnde tandem eorundem exercitio virtutis in nobis habitus generatur ac corroboratur. *Quæſtiuncula prima.*

An actiones, quibus virtus comparatur, euiſdem ſint rationis cum iis, quæ poſtea ex virtute oriuntur? Omninò, ſed hoc tamen eſt diſcrimen. Eæ, quæ *Secunda.*

virtutis habitum præcedunt, imperfectæ quodammodò ſunt, & moleſtiam, difficultatem, luctam habent; quæ verò habitum conſequuntur cum quadam facilitate, voluptate, ac tranquillitate peſectionem obtinent. Atque quemadmodum ex cibo exercitijque corporis robur comparatur; qui autem iam robuſti euaſerunt, copioſiore vti cibo, & grauiora ſubire ſuſtinereq; exercitia poſſunt; ita ex abſtinentia v. g. voluptatum oritur temperantia, qui autem iam temperans eſt, vel maximè abſtinet.

Additamentum.

DIvus Iacobus cap. 1. Epiſtolæ ſuæ, Omne, inquit, donum perfectum deſcendit à Patre luminum. Sed & Ethnici idipſum intellexerunt. Vnde Bias apud Laertium Si quid boni egeris ad Deum refer. Et Cicero lib. 2. de Natura Deorum: Nemo magnus ſine aliquo afflatu divino unquam fuit. Meritò proinde Pindarus 5. Nemeorum, Ad ſummum virtutis culmen venerunt, qui labores deguſtarunt, Dei tamen beneficio. Clariſſimè verò Sapiens c. 8. Cùm ſcirem, inquit, quod aliter non poſſum eſſe continens, niſi Deus daret, adii Dominum & deprecatus ſum illum. Poſito divino auxilio principales virtutum cauſæ ſunt Iudicium mentis, & libera voluntatis electio; adjuvantes & miniſtræ, in quibus tamen multum momenti ſitum eſt, Natura & Inſtitutio. Tum accedere frequens actionum honeſtarum exercitium debet. Hinc Ariſtoteles 2. Eth. cap. 1. Quæ facienda ſunt diſcentibus, ea facientes diſcimus: ita qui ædificant, architecti ſiunt, qui canunt Cytaroedi. Hujus loci ſunt illa pervulgata. Labor omnia vincit. Cura poteſt omnia, nam & Iſtmum perfodere potuit. Vſus magiſter optimus. Cicero 1. Offic. Vt nec Medici, nec Imperatores, nec Oratores, quantumvis artis præcepta perceperint, quicquam magnâ laude dignum ſine uſu & excitatione conſequi poſſunt; ſic & officii conſervandi præcepta traduntur illa quidem, ut facimus ipſi, ſed rei magnitudo uſum quoque exercitationemque deſiderat. Epictetus apud Antonium lib. 2. cap. 18. Omnis, habitus & facultas, ait, aſſiduis actionibus conſervatur & creſcit. Quod ipſe fusè oſtendit. Seneca lib. de tranquillitate animi, conſuetudinem actionum vocat difficultatis mollimentum. Non igitur inertia venalis eſt virtus, ait Plutarchus lib. de tranq. animi, alias ignavis, ut ægrotis, dicendum foret: Quietus in ſtratis mane tuis miſer.

CAPVT V.

Quænam ſit Virtutis materia, & quis finis?

Materia voluptas & dolores.

VIrtus circa voluptates ac dolores verſatur; hi igitur ejus ſunt materia. Cum enim virtus circa perturbationem aliquam occupetur, & omnis perturbatio cum aliquo dolore voluptateque ſit, fit vt ipſa quoque circa voluptates ac dolores cernatur. Accedit quod circa ea fit virtus, quibus humanæ actiones aut diriguntur, aut judicantur, id verò non alijs fit rebus, quàm voluptate doloreque. Siquidem vir probus turpes voluptates fugit, & dolores, ſi opus eſt, ſubit; improbus verò contra. Quod ſi de ea materia, quàm Virtus reſpicit, ſit ſermo, ea eſt bonum illud, quod rationi conſentaneum eſt.

Finis felicitas & ipſe Deus.

Finis virtutis eſt hominis felicitas, quæ ex ſtudioſa actione exiſtit: vel certè placere Deo. Ideò enim voluntas rectæ rationi obtemperat, ut Deo, qui virtutum omnium eſt finis, placeat.

Additamentum.

MAteria virtutis proxima ſunt affectus, quos virtus moderatur, & ad juſtam mediocritatem redigit. Hinc Ariſtoteles 2. Eth. cap. 3. Virtutem, ait, verſari in actionibus & affectibus. Ad cap. 7. Singularum virtutum enumeratione probat. Cùm autem ab effectibus & actionibus nunquam abeſſe poſſint voluptates & dolores, in his ipſis dicimus hoc loco virtutem occupari. Nam cùm virtutis ſit vitia pellere, etiam eiuſdem eſt voluptates & dolores moderari, quæ vitiorum primariæ ſunt cauſæ. Vnde Plato 4. de Rep. monet ſtatim à primis annis pueros aſſuefaciendos eſſe, ut quibus oportet, & gaudeant, & doleant, quæ quidem recta adoleſcen-

leſcentiæ ſit educatio. Vide Ariſtotelem lib. 2. Eth. cap. 3. Cùm verò etiam nihil difficilius ſit, quàm voluptatibus & doloribus obſiſtere, rectè circa hæc verſari virtus dicitur, quæ ſemper circa difficillima occupatur; imò in rebus adverſis vim ſuam potiſſimùm exerit, & iis inclareſcit. Lucanus lib. 6.

—— Serpens, ſitis, ardor, arena
Dulcia virtuti; gaudet patientia duris,
Lætius eſt, quoties magno ſibi conſtat honeſtũ.

Seneca in Hercule Furente.

Imperia tolle dura, quid virtus erit?

Ovidius.

Quæ latet inq; bonis ceſſat non cognita rebus,
Apparet virtus, arguiturque malis.

Quod attinet ad finem virtutis, felicitas hominum eſt, ſeu ipſum honeſtum: imò ipſa ſibi finis eſt. Silius Italicus lib. 13.

Ipſa quidẽ virtus ſibimet pulcherrima merces.

Atque idcircò virtus etiam ſola propter ſeipſam eſt expetenda. Ovidius lib. 2. de Ponto. Eleg. 3. ad Maximum.

Iudice te, mercede caret, per ſeque petenda eſt,
Externis virtus incomitata bonis.

Referenda porrò eſt ad Dei gloriam & universæ Reip. ſalutem. Deus virtutum operibus honorandus eſt; Reſpub. iiſdem juvanda, non damno afficienda. Seneca lib. 1. de Clementia. Quam melius fuit non naſci, inquit, quàm publico malo naſci.

CAPVT VI.

Quomodo Virtus diuidatur?

Recepta in Philoſophorum Moralium Scholis hæc virtutis diuiſio eſt, vt quatuor ejus ſint Partes, Prudentia, Iuſtitia, Fortitudo, Temperantia. Virtus enim vel perficit rationem, & eſt prudentia; vel voluntatem, & eſt Iuſtitia; vel appetitum concupiſcentem, & eſt Temperantia; vel iraſcentem, & eſt Fortitudo. Appellantur hæ Virtutes Cardinales, quod cæterarum veluti quædam ſint ſuſtentacula & cardines. *Diuiſio quadrimembris*

Plato Virtutes in Dominam, & Pediſſequas diuidit. Domina vel Prudentia eſt, à qua reliquæ omnes ortum habent, & dependent; vel Iuſtitia, quæ, vt Philoſophus ait, virtutes in ſe continet omnes, & quâ nec Heſperus, nec Lucifer eſt admirabilior. Pediſſæque ſunt morales omnes virtutes. Idem Plato, Macrobio teſte; Virtutes alias conſtituebat politicas, vt Prudentiam, Temperantiam, Fortitudinem, quæ viros ad res ciuiles bene gerendas aptos reddunt; alias purgatorias, quæ homines à deprauatis animi, quæ in animo iam inordinatis affectibus libero, permanent; alias denique exemplares, quas reſidere diuina in mente dicebat. Verum hæc graduum virtutis quædam eſt diſtinctio. Nonnulli vnicam duntaxat virtutem fecere, prudentiam, quæ ratione multiplex ſit, Temperantiaque dicatur, cum voluptatibus modum ponit; Fortitudo cum timorem & audaciam compeſcit, atque ita de cæteris omnibus. Eſt & bimembris alia virtutum diuiſio, vt aliæ Intellectus ſint, aliæ voluntatis. Virtutum ſedes hic attenditur. Non improbanda hæc diuiſio eſt, illam autem primam & communem retinemus. Quippè eâ vis tota virtutis continetur, & norma vitæ. Vnde D. Auguſtinus lib. de Spirit. & Ani. *A Prudentia anima ſcit, quid debeat facere; Temperantiam habet contra proſpera; Fortitudinem contra aduerſa; Iuſtitiam, qua ſcit, quid cuique debeat reddere.* Idem Ibidem. *Prudentia eſt in eligendis; Temperantia in vtendis, Fortitudo in tolerandis; Iuſtitia in diſtribuendis.* Pulcherrima hæc virtutum eſt quadriga. *Diuiſio Platonis.* *Aliud diuiſio.*

Additamentum.

Non memorandum, in virtutum diviſionibus eſt; eam amplectimur ſoquiſquque, quæ hoc loco quadripartita eſt, à Theologis & Philoſophis paſſim accepta; item à Cicerone & Seneca prius edita. Ad diviſionis rationem adde, quod ad prudentiam pertineat rectitudo rationis, ad Juſtitiam æqualitas actionum, circa alios ad fortitudinem conciliatio firmitatis animi; ad temperantiam affectuum repreſſio. Ita tradit Accolus. Numeratur verò inter virtutes morales Prudentia, etſi intellectui inhæreat, quia cæterarum virtutum eſt regula, & ex eius præſcripto cuncta geri neceſſe eſt, quæ ad rectos mores ſpectant.

CAPVT VII.

An virtutes omnes morales inter ſe ſint connexæ.

Connexæ eſſe videntur.

N.Exas inuicem virtutes eſſe non pauci è Philoſophis credunt, ita vt qui vnâ præditus eſt, omnibus ditatus eſſe videatur. Qui enim honeſtatem omnem conſtanter appetit, omnem poſſidet virtutem, eam verò is appetit, qui vel vnam virtutem moralem deſiderat. Vnde Seneca Epiſt. 68. *Illic eſt indiuiduus ille comitatus virtutum. Quicquid honeſtè fit, vna virtus facit, ſed ex concilij ſententia.* Imò virtutes tanquam quædam honeſtæ vitæ elementa ponunt, & indiſſolubilem earum concordiam conſtituunt. Iuſtitia tanquam quædam terra eſt ſuo rigore fructuque: Temperantia limpidiſſimo ſuo ornatu velut aqua eſt, & magnanimitas ſuo ſpiritu velut aër; tandem Prudentiæ lumen ignem componit. Atque hæc quatuor ſunt omnis honeſti officij principia, quæ à ſe inuicem ſine pernitie ſeparari non poſſe videntur. Prudentia ſi Iuſtitiam deſerat, fit malitia: Iuſtitia ſi à Prudentia recedat, tantùm hallucinatur. Quid magnitudo animi ſine modeſtia? arrogantia eſt. Quid grauitas ſine comitate? vilitas eſt. Quid verecundia ſine ingenua libertate? torpor, ſegnities, imbecillitas. Quid magnanimitas ſine manſuetudine? ferocitas eſt. Communi igitur quodam vinculo inter ſe continentur, & temperamentum vnum efficiunt.

Non ſunt tamen connexæ.

Conſtituendum tamen eſt, neceſſarium inter virtutes omnes nullum eſſe vinculum. Quippè diuerſam ſingulæ rationem & materiam habent, adeoque exercere quis liberalitatem poteſt, qui fortis non ſit, & pro patria non occumbat. Et cùm ſingulæ frequentibus comparari actionibus debeant, vna eſſe omnium & catenata ſeries non poteſt. Quoniam tamen communia quædam ſunt virtutibus omnibus principia, eorum ratione connexæ quodammodò videri poſſunt. Deinde quia vix perfectæ ſunt, niſi coniunctæ. Hinc D. Gregorius in Moral. *Nec prudentia vera eſt, quæ iuſta & temperans, & fortis non eſt; nec temperantia perfecta, quæ fortis iuſta, & prudens non eſt: nec fortitudo integra, quæ prudens, iuſta, & temperans non eſt.* Fit etiam nonnunquam, vt vna exerceri ſine altera non poſſit, quòd vtriuſque materia concurrat. Ita ſi quis caſtitate præditus ſit, & ei mors, niſi in flagitium conſentiat, proponatur, opus eſt fortitudinis concurſu. Verum ex occaſione hoc tantùm.

Additamentum.

VIderi connexæ poſſunt, non tamen ſunt, ratione enim & materia, ut hic oſtendimus, diſtinguuntur. Quod ſi dari poſſet vir omnibus numeris perfectus, dubio procul in eo virtutes omnes tanquam annuli in torque invicem ſe devincirent & implicarent. Nam unâ aliquâ virtute perfici ratio, abſolvi voluntas, ſubigi omninò appetitus non poteſt, ſi reliquæ deſint. At verò multi inter homines viri boni, ſed nemo quadratus eſt abſque invidia, hoc eſt, nemo abſolutè perfectus eſt, ut Simonides dicebat, & tradit Ariſtoteles 1. Eth. cap. 10. Non malè Propertius lib. 2. Eleg. 12.

Vnicuique dedit vitium natura creato.

Quo ſenſu dixit Horatius lib. 1. Serm. 3.

Nam vitiis nemo ſine naſcitur. Optimus ille eſt,
Qui minimis urgetur.

Fortis fuit Alexander Magnus, ſed ſuperbus, ebrioſus, iracundus, crudelis. Amantes patriæ Cicero & Demoſthenes, ſed ambo timidi & injuriarum impatientes. Alia innumera ſunt ſeparationis hujus exempla. Et cùm, virtutum habitus crebris actionibus parentur, pauciſſimorum vitæ ratio fert, ut omnium virtutum actiones edant. Sicut etiam qui ſurdus eſt oculatus eſſe poteſt, & qui claudus agiles manus habere, ita nil vetat, quin temperans timidus eſſe poſſit, & cum manſuetudine ignorantia ſit.

CAPVT VIII.

An ſaltem cum Prudentia virtutes omnes ſint coniunctæ.

NEgant nonnulli, quod propoſito rationis iudicio adhuc libera remaneat voluntas. Affirmandum tamen videtur. Nam, Philoſopho teſte, vt ſtudioſè quis ſeu ſecundùm virtutem agat, ſcire inprimis debet ſe ſtudioſè agere, ac virtutis opus moliri, id verò ſcire niſi per prudentiam non poteſt, cùm eius officium ſit docere, quid, quando, & quomodo ſit agendum. Deinde cum bene agere nemo poſſit, niſi eius actio rectæ rationi ſit conformis, rectaque, omnem à prudentia rectitudinem accipit. Quam ob cauſam non ſimpliciter in mediocritate poſita virtus dicitur, ſed prout vir prudens præſcripſerit. Ex quo fit, vt virtutum omnium materiam Prudentia attingat, quæ circa res omnes verſatur, Omnium dictatrix moderatrixque virtutum eſt Prudentia, à qua omne conſilium & omnis honeſta voluntas eſt. Et quemadmodum oculus nunc hunc, nunc illum colorem intuetur, ita nunc huius, nunc illius materiæ ſeſe applicat, modumque agendi præſcribit. Vt non immeritò dixiſſe videri poſſit Socrates. Virtutem nihil aliud eſſe, quàm Scientiam; Vitium nihil aliud, quàm ignorantiam. Cuius opinionis cùm eſſent Stoici, Virtutem diuinorum humanorumque notitiâ conſtare cenſuerunt. Atque eodem pene ſenſu D. Bernardus de Conſid. libr. 1. Conſiderationem, quæ prudentiæ pars eſt, Virtutum omnium originem, ac quaſi fontem conſtituit. Purificat enim mentem, affectus regit, actiones dirigit, exceſſus corrigit, mores componit, vitam honeſtat & ordinat. Plura apud illum.

Sunt omnes cum prudentia coniunctæ virtutes.

Additamentum.

ARiſtoteles 10. Eth. cap. 8. affirmare videtur. Prudentia, inquit, cum virtute, & hæc cũ Prudentia juncta eſt: ſiquidẽ Prudentiæ principia ex virtutibus moralibus, rectitudo verò moralium virtutum ex prudentia exiſtit. Eadem videtur ſententia Platonis apud Alcinoum c. 21. Inſtit. Seneca Epiſt. 67. Cùm aliquis, ait, tormenta fortior patitur, omnibus virtutibus utitur, fortaſſe, cùm una in promptu ſit, & maximè appareat patientia. Cæterùm illic eſt fortitudo, cujus patientia & perpeſſio, & tolerantia rami ſunt. Illic eſt prudentia, ſine quâ nullum initur conſilium; quæ ſuadet, quod effugere non poſſis, quàm fortiſſimè ferre. Illic eſt conſtantia, quæ dejici loco non poteſt, & propoſitum nullâ vi extorquente, dimittit. Illic eſt individuus ille comitatus virtutum. Quicquid honeſtè fit, una virtus facit, ſed de conſilii ſententia. Hæc verò ita intelligi debent, ut ſtatuamus virtutum actiones cum prudentia conjungi, non item earum habitus cum prudentiæ habitũ connecti neceſſario. Neque enim frequentes illæ actiones, quæ prudentiam pariunt, ilicò virtutes omnes alias morales inducunt. Philoſophus 6. Eth. cap. 13. Ea quæ propriè virtus eſt, ait, non ſine prudentia exiſtit. Vnde etiam omnes virtutes prudentias eſſe inquiunt. Et Socrates partim rectè quærebat, partim errabat. Quod enim prudentias eſſe omnes virtutes opinabatur, errabat. Rectè dicebat, quod non ſine prudentia eas eſſe aſſerebat. Id deinde ex virtutis definitione demonſtrat. Sanè prudentia animum ad omnes virtutes diſponit. Sic Ariſtoteles 7. Eth. cap. 10. Vt idem ſimul & prudens & incontinens ſit, fieri nullo modo poteſt; qui enim prudens ſit, cum ſimul & probum eſſe moribus, demonſtratum eſt.

CAPVT IX.

An virtutes Scientijs diutius durent.

SI Virtutum Scientiarumque materias ſpectemus, cùm de rebus neceſſarijs Scientiæ ſint; Virtutes autem circa actiones tot mutationibus obnoxias occupentur, firmiores ac diuturniores videri Scientiæ poſſunt. Si exercitium autem attendamus, cùm illud contemplationis in Scientia non tam continuum ſit, quàm actionis in virtute, fit vt diutius in nobis virtutes ſint

Attento exercitio Virtutes ſunt diuturniores.

tes ſint, quam Scientiæ. Dum ſtudium remittitur, Scientiarum & Artium fere ſemper obliuiſcimur; non item, ſi virtutum aliquo tempore exercitium omittatur, Virtutes excidunt. Accedit quod in congreſſibus, in cibo & potu, in actionibus quotidianis occaſio ſemper ſeſe Virtutum exercendarum præſentet: vnde fit, vt conſuetudine, frequentiorique exercitio magis in nobis Virtutes, quàm Scientiæ confirmentur.

Additamentum.

Virtutes ſcientiis eſſe diuturniores rationibus hic confirmatur, Seneca virtutem incorruptibilem eſſe perperam Epiſt. 50. aſſerit his verbis. Eo majori animo ad emendationem noſtri debemus accedere, quod ſemel traditi boni perpetua poſſeſſio eſt. Non dediſcitur virtus. Contraria enim mala in alieno hærent, ideò expelli & extirpari poſſunt. Fideliter ſedent, quæ in locum ſuum veniunt. Virtus ſecundùm naturam ſuam eſt; vitia inimica & infecta ſunt. Sed quemadmodum virtutes receptæ exire non poſſunt, faciliſque earum tutela eſt, ita initium ad illas eundi arduum. Ejuſdem erroris fuit Philo Iudæus, qui libro, quod deterius potiori inſidietur, virtutum æternitatem commentus eſt, etſi ſingulæ in ſingulis pereant, Sicut, inquit, poſt muſici cujuſpiam aut Grammatici, muſica, Grammaticaque horum, cum ipſis periit, ſed Ideæ manent harum artium, duraturæ una cum mundo in perpetuū, juxta quas præſentes poſterique fient Muſici aut Grammatici, ita etiam ſingulorum prudentia, tẽperantia, fortitudo, juſtitia, aut in univerſum Sapientia ſi tollatur, nihilominus in hujus univerſi natura immortali prudentia, immortalis, & virtus incorruptibilis inſculpta eſt, juxta quam & nunc probi cenſentur, & erunt in poſterum &c. Quicquid verò illi hac in re delirent, certum eſt virtutem corrumpi quod experientia tum docet, cùm ab actionibus virtutum ceſſamus, aut contrarium vitium induimus.

CAPVT X.

Quæ Virtutis dignitas, & quæ vis eiuſdem.

Summa Virtutis, etſi dignitas.

Nihil Virtute dignius, nihil laudabilius eſt. Quippè Virtus Laus ipſa & Dignitas eſt, quemadmodum Vitium ipſum eſt vituperium. Quicquid eius imperio geritur, glorioſum eſt; quicquid eius coloribus tingitur, pulchrum eſt; quicquid eius illecebris imbuitur, laudabile eſt. Rebus enim omnibus, quæ laude cenſentur, laudem ipſa & decus tribuit, ſibi verò illud ſuo iure meritoque vendicat, aliunde non accipit. Vnde pulchrè & verè Claudianus:

Ipſa quidem Virtus pretium ſibi, ſolaq́ latè
Fortunæ ſecura nitet, nec faſcibus vllis
Erigitur, plauſuve petit clareſcere vulgi.
Nil opis externæ cupiens, nil indiga laudis,
Diuitijs animoſa ſuis, immotaq́ cunctis
Caſibus, ex altâ mortalia deſpicit arce.

Planè gloria ſine Virtute ignominia eſt, nec verè laudari quicquam poteſt, quod extra Virtutem eſt. Illam veteres Deam fecerunt, vt oſtenderent eum, qui Virtutem violat, Deum ipſum violare; & qui Virtuti paret, Deo parere. Iidem Virtutem non viri, ſed fœminæ imagine effinxerunt, quod ſola Virtus viros pariat. Audiatur ipſa de ſe loquens apud Silium Italicum.

Mecum honor, & laudes, & læto gloria vultu,
Et decus, & niueis victoria concolor alis:
Me cinctus lauro perducit ad aſtra triumphus;
Caſta mihi domus, & celſo ſtant colle penates.

Ampliùs dicam, Deo ſimillimum hominem virtus facit; ſola verò ipſa cum Deo neſcit errare. Illam qui poſſidet, viuum eſt Dei ſimulachrum. Et cùm ſola eius poſſeſſio conſtans perpetuaque ſit, & viciſſitudinis expers, illam

Iam qui habet, non periculum timent, ſed dedecus. Hanc ſolam Bias in patriæ direptione nudus aſpectabat, cùm omnia ſua ſe ferre ſecum proclamaret. Tanta verò Virtutis vis eſt, vt inter mortales is potentiſſimus iure ſit cenſendus, qui præditus eſt virtute, cui omnia cedunt, & in cuius numero malorum omnium eſt interitus. Poteſt vir bonus bona omnia à ſummo rerum omnium opifice Deo accipere, ab homine nulla mala. Cumque multi inopiam timeant, & pauci vitium, virtus armatura eſt aduerſus egeſtatem, eò quòd virtuti fortuna ſuccumbat. Imò qui virtutem habet, poteſt in periculis timeri, non poteſt timere. Lorica enim ipſa eſt aduerſus timorem; & cùm hominem perturbationes exagitant, firmiſſima in virtute fundata cautio eſt. Vna virtus tantùm omnia malorum genera excludit, nec eſſe miſer poteſt, qui aduerſus temporum injuriam ſtipatus eſt virtute. Negabant olim Stoïci ſine virtute effici beatum quenquam poſſe. Quid mirum? Vna res eſt virtus, inquit Seneca, quæ nos immortalitate donare poteſt, & pares Deo facere.

Audiat igitur Iuuentus, & Virtutem colat; Virtutem dico, non imaginem Virtutis. Nihil autem aliud eſt eam colere, quàm animo comprehendere, tenereque. Qui illam aſpicit, probat; qui cognoſcit, amat. Nec ſatis eſt vni alicui Virtuti ſtudere. *Bonis circuitus eſt*, inquit D. Ambroſius in Off. *Si Iuſtitia quærit, Prudentia inuenit, Fortitudo vendicat, temperantia poſſidet: vt Iuſtitia ſit in affectu, prudentia in intellectu, Fortitudo in effectu, Temperantia in vſu.* Dicam cum Ouidio lib. 2. de Ponto.

Difficile eſt, fateor, ſed tendit in ardua Virtus,
Et talis meriti gloria maior erit.

Additamentum.

Contexitur hic virtutis encomium, quam omnes laudant, nemo vituperat, pauci amplectuntur; & tamen nullus eſt, qui felicitatem, quæ à virtute eſt, non ambiat. Sed nimirum ſenſuum illecebris pellecti mortales, ſenſuum oblectamenta ſequuntur, quaſi cum Deo expoſtularentur, quod beſtiæ editi non ſint, aut difficultatem ſubiugandi appetitum reſugiant. Nulla tamen in re honeſtius collocari labor poteſt, qui quanquam magnus eſt, ſuauitate tamen etiam magnâ conditur. Baſilius Oratione de legendis Gentilium libris. Prope omnes, inquit, qui aliquid de Sapientia, ſiue modicum, ſiue multum dicunt, quiſque pro viribus laudem ſcriptis ſuis proſecutus eſt. Quibus ſanè obtemperandum tentandumque, ut ipsâ vitâ, quæ commendant, exprimantur. Itaque qui opere confirmat eam Philoſophiam, quæ apud alios verbis tantùm commendatur, is ſanè ſapiens eſt. Qui autem verbo tenus ſunt Philoſophati, nec vita ſermonem ſunt comitati, umbris comparandi, & ſimile aliquid pictoribus præ ſe ferentes exiſtunt, qui hominis pulchritudinem in tabulis imitantes, talem effingunt, qualis verè reperitur. Quoniam magnificè quidem virtutem laudare, & in medium longos de hac ſermones facere, priuatim verò voluptatem temperantiæ præferre, & rem malè partam, juſtitiâ potiorem habere, ſimilem ego dixerim hiſtrionibus, qui in Scena, fabulas agunt, & ut Reges ac Principes, ſæpenumerò ingrediuntur, cum nec Reges nec Principes, & forſan omninò ne liberi quidem exiſtunt, ita ille. Quare ſuperſedemus his logicis virtutis laudibus, quæ apud Scriptores paſſim obuiæ ſunt. Illud tantùm addimus, quod Socrates in Apologia edidit. Eſſe homini hoc maximum bonum, ſingulo quoque die de virtute ſermonem habere. De ea vide Stobæum in Eclogis Ethicis cap. 4. Epictetum variis in locis, & ad illum Arrianum, & Simplicium; item Ciceronem, Senecam, & alios, qui ſuis ſcriptis multa virtutis encomia inſeruerunt.

TITV-

TITVLVS II.

De Prudentia.

CAPVT I.

Quid ſit Prudentia.

PRVDENTIA eſt virtus, quâ quid honeſtum aut turpe quouis in negotio ſit, cognoſcimus. Vel, vt vult Marcus Tullius, *Eſt rerum expetendarum fugiendarumq́ ſcientia.* Quia nimirum eſt illa ipſa recta mentis humanæ affectio, quâ homo, quid in actionibus expetendum fugiendumve ſit, quid verum aut falſum, quid ad felicitatem vtile, cognoſcere, ſibique comparare ſtudet. Cognoſcit bonum, vt illud eligatur; malum, vt vitetur: proindeque rerum agendarum ratio eſt, & menſura regulaque virtutum earum, quæ ſunt in voluntate. Tota vis eius in rerum bonarum & malarum delectu cernitur. Atque ideò Calliditas à Cornificio in Rhetoricis ad Herennium appellatur, non illa vitioſa, quæ fraudis eſt parens, ſed quæ cùm honeſta aliqua vtilique diſſimulatione ſubit. Iamblichus ex familia Platonis pulchrè ita illam deſcribit, & officium eius ac materiam notat. *Prudentia Virtutum Princeps eſt, reliquis omnibus vtitur, ipſarumq́ ordinem, modum, & occaſionem in præſentiâ, tanquam oculus quidam mentis vndèquaque luciddiſſimus, oſtendit.* Secundum Ariſtotalem lib. 6. Eth. *Eſt recta ratio agibilium.* Et 1 Rhet. *Eſt mentis virtus, quâ de bonis ac malis, quæ ad felicitatem pertinent, bene poſſumus conſulere.* Cæterùm Prudentia humanæ vitæ eſt magiſtra, & ſoli, qui illam habent, vitæ degendæ ſunt gnari. Per eam ſunt in pace ingenij & doctrinæ ornamenta, in armis communis vitæ, & publicæ ſalutis firmamenta. *Bonum maximum prudentiâ eſt ſemper*, inquit Menander. Hanc ſacræ litteræ ſerpentis figura adumbrant. Cùm enim duplex ſit hæc vita, agendi vna, intelligendi altera vtriuſque ſerpens eſt imago. Ille vt caput tueatur, ferienti totum corpus exponit, quod vitam quaſi omnem habeat in capite conſtitutam. Hominis vita cùm in ratione, non in ſenſibus poſita ſit, rationis cuſtos eſt prudentia, directrix & regula morum, oculus omnia videns, ſal vitæ, & ars bene viuendi.

Additamentum.

ARISTOTELES 6. Eth. cap. 5. Prudentia, eſt habitus cum vera ratione actiuus, circa ea, quæ humana ſunt bona. D. Thom. 2. 2. qu. 47. art. 5. Prudentia eſt recta ratio agibilium. Agibilia vocat actiones humanas liberas. Plato lib. 3. de Legibus, Ducem; Pythagorici oculum & matrem virtutum omnium eſſe dixerunt. Vnde Bion apud Laërtium lib. 4. c. 7. Prudentiam, ait, tanto cæteris virtutibus præſtare, quanto reliquis ſenſibus præſtat viſus; nam oculi prælucent toti corpori, nec ulla virtus eſt abſque prudentia. Etiam 6. Eth. c. 12. vocatur animæ ex virtute operantis oculus. A D. Cryſoſtomo in pſalmum 13. lucerna animæ, Regina cogitationum, magiſtra eorum, quæ bona ſunt & honeſta. Maximus Tyrius Diſſertatione 40. Prudentiam, ait, non aliter, quàm matrem familias ex rationis præſcripto omnia dirigere in familia proborum. Ariſtoteles 1. Magnorum Moralium, Prudentiam commendat, tanquam Architectum quendam virtutum, & ſapientiæ velut Atrienſem, toti virtutum familiæ Præfectum, diſpenſantemque in ea, & præſcribentem munera ſingulorum, ut ſapientiæ tanquam Dominæ, cohibito affectuum tumultu, & omnibus domi rectè compoſitis, otium ad functiones ſuas, & liberum altiſſimarum rerum proſpectum patet, enubilatis iis, quæ officere poterant. Libro autem 6. Eth. cap. 13. Virtutem abſque prudentia nihil aliud eſſe dicit quàm celerem hominis validi viſu deſtituti progreſſionem,

quæ

Digitized by Google

quæ illi in præcipitium & exitum expeditiſſima prolapſio eſt. D. Ambroſius lib. de Paradiſo Divitem utilitatem appellat. Nazianzenus in Iambico de Fortuna & Prudentia, approbat dictum illius, qui avaro conteſtanti ſe fortunæ guttam prudentiæ dolio anteponere, reſpondit ſe prudentiæ ſtillam pleno fortunæ oceanò præelecturum. Hac de re vide Syneſium Oratione de Regno. Themiſtium Orat. 7. Iamblicum Epiſt. ad Aphaleum de Prudentia, & paſſim alios.

CAPVT II.

Quot & quæ ſint Prudentiæ officia.

TRia ſunt præcipua, bene conſultare, ſapienter iudicare, recte imperare. Verbo dicam, quæ ad felicitatem faciunt, comparare Ariſtoteles. 6. Eth. Prudentis ait proprium opus eſſe, rectè conſultare; quod idcirco facere debet, quia Prudentiæ propoſitum eſt, quid agendum ſit, videre. Vnde cernitur ipſa potiſſimum in iis, quæ in deliberationem cadunt. Ad bene autem conſultandum inueſtigare neceſſaria omnia ad finem oportet, & circumſtantias; ad quod non ingenium tantum acre, verum etiam plurimarum cognitio rerum requiritur, cum ab vſu longo prudentia exiſtat. Atque ita fit, vt ad rectè deliberandum opus ſit quadam veri inquirendi ſolertia, experientia, præſentium cognitione, multarum rerum memoria. Nimirum vt præterita repetantur, præſentia cernantur, futura præcaueantur. Hinc Iſocrates, Stobæo teſte, dicebat, *Veram prudentiam debere præteritorum meminiſſe, agere præſentia, futura cauere.* Conſultationem ſequitur Iudicium, cùm videlicet poſt diligentem veri inueſtigationem maturamque deliberationem, quid, quo loco, tempore, modo, quibus aliis circumſtantiis agendum ſit, vt quod molimur virtutis opus, honeſtum, laudabileque exiſtat, conſtituitur ac decernitur. Quod vt fieri facilius ac felicius poſſit, prodeſt non parum nouiſſe promptaſque in memoria habere veterum Sapientum ſententias, & confirmata multis experientiis axiomata, quæ velut quædam certiſſimæ ſunt actionum regendarum regulæ. Vbi iudicatum eſt, reſtat imperare ſeu præcipere, vt deliberationem executio conſequatur. Fruſtrà enim fieri aliquid debere iudicatur, ſi non fiat. Quemadmodum autem tardè ſenſimque deliberandum eſt, ita quæ deliberata ſunt exequi confeſtim oportet. Egregium eſt Senecæ lib. 4. de Virt. monitum, *Prudentis proprium eſt examinare conſilia, & non citò fallaci credulitate ad falſa prolabi. De dubiis non definias, ſed ſuſpenſam tene ſententiam.*

Bene conſultare, ſapienter iudicare, rectè imperare.

Additamentum.

COnſultatio, Iudicium, & Imperium, actus ſunt ſeu officia Prudentiæ. Ariſtoteles 6. Eth. cap. 7. Prudentia, inquit, circa humana bona verſatur, atque ea, quæ in conſultationem cadunt. Prudentis enim id maximè opus eſſe dicimus, ut rectè conſultetur. Cùm autem Conſultationis labor ad formandum de rebus iudicium tendat, ut voluntati præluceat, fit ut judicium Prudentiæ quoque ſit actus. Et quia etiam parum prodeſt rectè judicare, ſi in intellectu judicium ſiſtat, nec ad opus progrediatur, neceſſe eſt accedere imperium, quo rectè deliberata judicataque executioni mandentur. Quippè multorum eſt inanis prudentia, dum ſapienter judicant, & ſegniter exequuntur. Qui talis eſt, ſimilis eſt, inquit Ariſtoteles 7. Eth. cap. 10. civitati, quæ omnia quidem, quæ fieri debent, decernit, legeſque bonas habet, ſed iis non utitur. Quomodo Anaxandrides Philoſophus Athenienſes ſugillabat, quod de condendis præclaris legibus admodum ſollieiti eſſent, non verò de ſervandis. De modo conſultandi hic aliquid præſcribitur, & jam lib. 1. diximus. Aliquas cautiones ſuggerimus. Inprimis ſciendum magnam conſilii & judicii partem in tempore poſitam eſſe, ut monet Seneca Epiſtola 71. & conſilium ſub diem, ut bonum ſit, naſci debere, aut nonnunquam ſub manum. Captandum igitur tempus idoneum, quo cerebrum vaporibus vacuum ſit, aut minus prematur. Sic fiet ut, res melius intelligantur, & judicium ſincerius feratur. Hanc ob cauſam Plato, ut teſtis eſt Galenus, deliberaturis vini vſu interdicebat, etſi Perſæ in menſa &

inter pocula deliberarent, apud quos tamen inebriati per legem nefas erat; ſed nimirum, ut ait Tyrius Maximus Diſſert. 12. modicus vini uſus, non aliter quàm oleum igni infuſum, animos eorum ita excitabat, ut nec ardorem penitus reſtinguebat, nec ultra, quàm neceſſe eſſet, accenderet. Præterea conſiderandum eſt, quid in eiuſmodi cauſa vel occaſione hic aut ille vir cordatus fecerit. Vnde Epictetus cap. 51. Enchridii. Cùm aliquid negotii tibi futurum eſt, inquit, cum aliquo, ex Proceribus præſertim, ipſe tibi proponito, quid in ea re facturus fuiſſet Socrates, aut Zeno. Ita fiet, ut te ratio non deficiat, quâ id, quod objectum fuerit, ritè adminiſtret. Eſt & neceſſaria rei, de qua deliberatur, notitia peritiaque. Dio Chryſoſtomus Orat. 26. Quiſquis, ait, non ſufficienter ulla de re eruditus eſt, neque ſcit, ille neque de ea re conſultare idoneus eſt. Oportet ergò maximam adhibere curam, ut prudentiam atque eruditionem adipiſcamur, quo nobis proclive ſit de omnibus rebus conſultare, ſciréque quid ex quoque conſilio boni liceat expectare, neque in his falli. De adhibendis in conſilium prudentibus aliis, eſt illud Philoſophi 3. Eth. cap. 3. Ad magnas res conſultores etiam adhibere conſuevimus nobis ipſis diffidentes, quaſi ſufficere ad diſcernendum nequeamus. Et Socrates apud Platonem in Protagora, Ne exiſtima me alia de cauſa tecum diſſerere velle, niſi ut ea, de quibus quotidie ambigo, inter nos deſpiciamus. Rectè enim Homerum dicere arbitror, Conveniant bini, melios ſententia conſtat. Hemiſtius Orat. 3. Cui audienda multa ſunt, & videnda multa multorumque ſimul capeſſenda cura eſt, huic paucæ admodum aures duæ fuerint, aut oculi duo, unumque corpus, & unus animus. Plura ille ibidem. Maximum verò eſt, à Divino Numine judicii lumen poſtulare. Sic ipſi Ethnici, antequam conſilium inirent, hoſtias immolabant, & de Divinis rebus prius, quàm de humanis tractabant. Vt conciliato Numine uberiorem ad capiendum conſilium lucem nanciſcerentur.

Quod attinet ad conſilium in arena capiendum, etſi ita aliquando ſit neceſſarium, optimè faciunt qui jam pridem ante proſpexerunt deliberaruntque, quantum humana fert imbecillitas, quid in unoquoque eventu ſit facto opus.

CAPVT III.

Quæ ſunt partes Prudentiæ?

Primi generis partes. Politica Occonomica, Monaſtica.

PRudentiæ partes triplici in genere ſunt. Ae primi quidem generis ſunt, quæ prudentiæ ſubijciuntur, videlicet Prudentia politica, quæ Ciuitatem ſeu Rempublicam reſpicit. Occonomica, quæ ad familiam regendam eſt: Monaſtica, quæ priuatam hominis directionem ſpectat, & de qua potiſſimùm Philoſophi Morales agunt. Politica illa Prudentia ſeu gubernatrix, vel extendit ſe ad leges, quarum eſt effectrix ferendo, aut moderatrix exequendo; vel ad militiam, cuius adminiſtrandæ rationes tradit.

Secundi generis Memoria. Intelligentia. Prouidentia. Ratio. Docilitas. Solertia. Circumſpectio.

Secundi generis ſunt, quæ prudentiam ipſam conſtituunt & abſoluunt, hæ nimirum, *Memoria* per quam animus præterita repetit, ſeu eorum, quæ legit, audiuit, expertus eſt, recordatur. Quippè quid in præſenti negotio expediat, ex præteritis non raro colligimus; & multa legiſſe eſt quandam experientiam habere, *Intelligentia* per quam ea, quæ ſunt, animus perſpicit. Eſt enim præſentium notitia, adeò neceſſaria, vt rectè iudicare nemo poſſit, qui præſentem rerum ſtatum non intelligit. *Prouidentia*, per quam, quod futurum eſt, antequam eueniat, videtur, Nam vt prudenter aliquid agatur, futuros euentus, qui ex opere ſequi poſſunt, conſiderare diligenter oportet. *Ratio* quæ eſt expedita quædam ratioeinandi facultas; ſeu vnum ex alio colligendi promptitudo. Sine hac languere prudentia videtur. *Docilitas*, promptus nimirum ad diſcendum affectus. Et hic prudentiam multum promouet, *Solertia* ſeu *Sagacitas*, quæ eſt extemporalis ad aliquid probandum rationis inueniendæ facultas. Sæpê enim capiendum ex tempore conſilium eſt, ac tunc vtile eſt ſubitâ velut coniecturâ rem aſſequi, & breuiſſimo tempore conſilium expedire. *Circumſpectio*, accurata nimirum circumſtantiarum conſideratio. Id enim ſollicitè videndum eſt, ne qua in opere faciendo deſit, cùm vnius nonnunquam circumſtantiæ

Digitized by Google

ſtantiæ ignorantia conſilium ſuo euentu deſtituat. *Cautio* denique, quæ Cura eſt ea omnia vitandi incommoda, quibus res, de qua agitur, eſt expoſita. *Cautio.*

Tertij generis ſunt, quæ velut membra & facultates Prudentiæ exiſtunt, *Tertij generis.* & quibus ipſa ad finem ſibi propoſitum obtinendum vtitur. Sunt autem *Eubulia* certa in rebus ambiguis rectè conſulendi facultas. *Eubulia* *Syneſis*, perſpicientia & intelligentia id conficiendi, quod recto conſilio inventum eſt. *Syneſis.* *Gnome* rectum boni ac moderati viri de rebus agendis judicium, in eoque, quod æquum & bonum eſt conſtantia. *Gnome.* Vel certè intelligens quædam ſententia. Atque tres hæ facultates tribus Prudentiæ officijs reſpondent.

Additamentum.

PArtes prudentiæ hic enumeratæ à Philoſophis & Theologis aſſeruntur. Et inprimis memoria ſeu recordatio præteritorum, quibus ſequentia ferè reſpondent, erudit hominem, quid in præſenti ſit facto opus. Nam, ut ait Antoninus lib. 7. Futura eandem habent cum præteritis formam, neque alio poſſunt modo fieri. Itaque etiam idem eſt, quadraginta, an decies millium ſpatio annorum vitam humanam examines, nihil enim amplius videbis. Et eodem libro. Omninò ſi ſuperiora & inferiora animo repetas, invenies omnia eadem eſſe, quorum plenæ ſunt priſcæ, mediæ, recenteſque hiſtoriæ, & urbes, & domus. Nihil novum eſt, omnia uſitata, & brevi durantia tempore. Mox addit hominem hâc ratione poſſe reviviſcere. Nam ſi res, quas ante vidit, rurſus apud animum ſuum contempletur, exactam vitæ partem quaſi repetet. Inde Liv. initio libri primi hiſtoriarum lectionem commendans, Hoc illud eſt, inquit, in cognitione rerum præcipuè ſalubre ac frugiferum, omnis te exempli documenta, in illuſtri poſita monumento intueri, ut inde tibi tuæque Reip. quod imitere capias; inde fœdum inceptu, fœdum exitu vites. Ex his colligere licet prudentiæ infeſtam eſſe oblivionem. Intelligentia attentam negotii præſentis introſpectionem adfert, ſicque prudentiam juvat. Recordare, inquit Antoninus lib. 10. nomine intelligentiæ indicati ſcientiam de ſingulis rebus præcipiendi, & eum, qui cogitationibus alienis non occupetur. Lib. autem 6. Sicubi, ait, res quam maximè videtur comprobatu digna, tegumentis eſt nudanda, ut eius in conſpectum veniat utilitas, & id, quo ſe oſtentabat, ei adimatur. Etenim fucus impoſtor eſt calidiſſimus, ac tum maximè in fraudem inducit, cùm quis maximè ſe res ſerias & dignas tractare putat. Docilitas facit, ut quis ſuæ tantùm prudentiæ non innitatur, ſed ſe bene monentium ductu dirigi patiatur. Prudentiam enim, ut ait Caſſiodorus lib. 8. Epiſtola 5. Nemo ſic aſſequitur, ut eam non neceſſario, & per alios quærere videatur. Sapiens Eccleſiaſtici 6. cap. Si dilexeris audire, ſapiens eris. In multitudine presbyterorum (hoc eſt ſenum) prudentium ſta, & ſapientiæ illorum ex corde conjungere. Ariſtoteles 1. Eth. cap. 4. & 6. Eth. cap. 11. videri poteſt. S. Hilarius lib. 6. de Trinitate, Ejuſdem ſtultitiæ eſſe, ait, Prudentum monita non requirere, aut intimata non capere; hoc eſt, ad uſum non revocare. Solertia, quæ ab Ariſtotele 6. Eth. cap. 9. Bona conjectatio dicitur, provenit ex ingenii celeritate abſque multa diſcuſſione. Sunt quidem aliqui ad intelligendum quodammodo plumbei, ut ait D. Auguſtinus; & vi non niſi impreſſo labore, & tardâ ſingulorum expenſione deliberant ſtatuuntque, ſed ſunt etiam qui ingenii pernicitate valent, quique ingenii celeritatem quodam igne volucrem habent, ut de Iulio Cæſare dixit Plinius lib. 7. c. 26. Ejuſmodi fuit in Salomone, Theodorico Gothorum Rege, Alphonſo Neapolitano, Solymanno Turcarum Imperatore & aliis, de quibus Iuſtus Lipſius lib. 2. Monitorum. Ratio, quæ expedita ratiocinandi facultas eſt multum prudentiæ confert, quæ nititur potiſſimùm conſultatione, & expenſione finium, ac mediorum collatione. Hæc perficitur ſcientiis Philoſophicis. Providentia eſt quædam proſpicientia rerum procul poſitarum. Per eam enim eventus longè remoti præſentiuntur, & juxta ea, quæ ex opere conſecutura videntur, de illo ſtatuitur. Hac in parte ſumma prudentiæ laus eſt, quæ in adverſis potiſſimùm ſe prodit, quia tunc difficilius eſt proſpicere, quæ tenenda ſit via, & quâ, quove ſit eundum. Hinc Plinius lib. 9. Epiſt. 26. Tutius per plana, ſed humilius & depreſſius iter. Frequentior currentibus, quàm repantibus lapſus; ſed his non labentibus nulla laus; illis nonnulla laus, etiamſi labantur.

bantur. Cicero 1. Offic. Magni ingenii eſſe, ait, præcipere cogitatione futura, & aliquanto antea conſtituere, quid accidere poſſit, in utramque partem, & quid agendum ſit, cùm evenerit, nec committere, ut aliquando dicendum ſit, non putaram. D. Ambroſius 1. Offic. cap. 38. ait Ingenii eſſe ſi quis poteſt vigore mentis prævidere, quæ futura ſunt, & tanquam ante oculos locare, quid poſſit accidere, & quid agere debeat, ſi ita acciderit, definire. Interdum duo & tria ſimul volvere animo, quæ conjiciat, aut ſingula, aut conjuncta accidere poſſe, & aut ſingulis aut conjunctis diſponere actus, quos intelligat profuturos. &c. Circum ſpectio tum adhibetur, cùm omnes negotii ſuſcepti circumſtantiæ conſiderantur; quod niſi fiat, perfecta eſſe prudentia non poteſt. Cautio conſiſtit in quadam oculata veri boni internotione, ex qua oritur cura vitandi ea omnia, quæ impedire illud poſſunt. Sæpè malum boni ſpecie, & vitium virtutis vultu fallit. Hinc D. Chryſoſt. homil. de Virt. & Vitiis. affirmat nullum vitium repertum unquam iri, quod apertâ fronte in medium prodeat, niſi mutuum prius à virtute vultum acceperit. Quare Pelagius Epiſtola ad Demetriadem, Summa, inquit, tibi ſcientia ſit, notitia ſumma vitia virtuteſq; diſtinguere, quæ quanquam ſemper contraria ſibi ſunt, aliqua tamen ex iis tanta junguntur ſimilitudine, ut diſcerni omninò vix poſſint. &c. Themiſtius Orat. 3. Vnumquodque eorum, quæ in hominum vita ſunt, bonorum, periculo ſemper aliquo tectum atque obvolutum videtur, nullumque eſt contrarii penitus expers ac ſincerum. Eubulia, Syneſis, & Gnome ſunt quædam Prudentiæ membra, quæ latinè efferri poſſunt, Rectitudo conſilii, Ingenii perſpicacia, æquitas Sententiæ. Prima ad conſultationem, ſecunda ad Iudicium ſpectat, tertia ad Imperium. Eſt ergò Eubulia rectitudo conſilii, quâ finem bonum per media licita, honeſta, & oportuna quærimus. Sic Pharaonis rectum conſilium non fuit, quando Hebræorum Gentem deleturus maſculos infantes mergi aquis juſſit; nec Herodis qui Chriſtum ſublaturus è medio Iudæorum puerulos mactari curavit; nec Iuliani Apoſtatæ, qui Chriſtianam Religionem aboliturus claudi eorum ſcholas imperauit. Syneſis eſt facultas rectè intelligendi & judicandi ea, quæ ſub Prudentiam cadunt. Verſatur proinde circa res agendas, de quibus dubitari poteſt, & deliberari. Gnome eſt viri boni & æqui rectum judicium ſeu æquitas, & quaſi benignitas in ſentiendo judicandoque. Hinc Eugnomones appellantur ii, qui meliorem in partem aliorum dicta & facta accipiunt. Differt à Syneſi, ſicut æquitas à Iuſtitia.

CAPVT IV.

De Prudentia Politica, Oeconomica, Monaſtica.

In quo conſiſtat Prudentia Politica

Ciuilis prudentia, quæ Politica dicitur, eſt adminiſtrandæ Reipbl. ratio. Eius finis Reipubl. felicitas, cùm id vnum agat, vt illa bene geratur. Hoc verò conſequitur ciuium actiones præſcribendo, & eorum ſaluti conſulendo. Tota quippè in eo occupatur, vt hominum ſocietas ſalua ſit & incolumis. Ideò religionis, Iuris, & Legum obſeruationem proponit, rectam juventutis inſtitutionem inducit, communis vtilitatis & concordiæ ſtudium vigere facit, honeſtam & inculpatam omnibus vitam oſtendit, conſilia bona ſuggerit, conſultationes dirigit, vt ſuum cuique tribuatur, facit, vt ſcelerati puniantur vrget. Tota hæc prudentia in actione poſita eſt, nec ex præceptis, ſed ex vſu longaque experientiâ exiſtit. De hac in quatuor politicorum noſtrorum libris actum eſt abundè. In ijs enim omnem prudenter Reſpublicas adminiſtrandi rationem complexi ſumus.

In quo Prudentia Oeconomica.

Prudentia Oeconomica eſt certa Familiæ regendæ ratio, quæ tota domeſticis officijs continetur. Ei propoſitus finis eſt Familiæ felicitas, quæ cùm in honeſta vita, tum in rerum neceſſariarum copia conſiſtit. Ideò ſingularum in Familia perſonarum officia præſcribit, rerum vſum & acquirendi modum tradit. Neceſſaria proindè ijs omnibus, qui ad Rempubl. aliquando gubernandam aſpirant. Hanc duobus Inſtitutionum Oeconomicarum libris explicauimus.

In quo Monaſtica

Prudentia Monaſtica, dici particularis prudentia ſolet, & in hominis vniuſ-

vnuſcuiuſque actionibus cernitur. Finis eius eſt priuata cuiuſque vtilitas, quæ ſpectari tamen ita debet, vt à publica nunquam ſeparetur; Adeò ut id nemini utile commodumque cenſeri debeat, quod publico nocet bono. De hac Prudentia in his Inſtitutionum Moralium libris, quibus hominum actiones formare, & ad Virtutis regulam dirigere contendimus.

Additamentum.

DE Politica, Oeconomicaque, Prudentia nihil hic dicemus. Videri Politicorum & Oeconomicorum libri poſſunt. Monaſticam Prudentiam, quaſi ſolitariam, quidam rejiciendam putant, quod is, qui prudens ſit, aliis quoque prudens eſſe debeat, nec ſibi ſoli ſapere. Verum id quidem eſt, ſed ut paſſim dicitur, Odi ſapientem, qui ſibi ipſi non ſapit. Sapere ergò quiſque ſibi debet, & quantum poteſt, alios ſuâ prudentiâ juvare. Sapit autem ſibi, qui vitam ſuam rectè per virtutes inſtituit, de quibus in hoc opere agimus.

CAPVT V.

Quomodo contra Prudentiam erretur.

COntra Prudentiam per defectum aut exceſſum error contingit. Et quidem per defectum Præcipitatione, Inconſideratione, Inconſtantiâ, Negligentiâ. *Præcipitatio* eſt ſubitum omiſſa deliberatione de rebus agendis judicium. Quando nimirum nec agendi rationes exquiruntur, nec exequendi modus attenditur. Et ut vitetur, ſit hoc monitum, *Tardè conſulendum eſſe, celeriter autem agendum.* Et illud Saluſtii, *Priuſquam incipias conſulto, & vbi conſulueris maturè facto opus eſt.* Item Q. Curtii conſilio non impetu opus eſt Quippè, vt teſtis eſt Cic. in Rhet. *Dij non ſunt auxilia his, qui ſe inconſulto in periculum mittunt.*

Inconſideratio eſt omiſſa diligenti rerum ſingularum inſpectione judicium, proindeque non maturum. Tam leui momento omnia ſingulaque pendent, ut niſi accurata ſit omnium & ſingulorum diſcuſſio, prudens conſtare deliberatio non poſſit. Seneca in Prouerbijs *Diu delibera., citò facito: nihil curare, hoc eſt inſanum eſſe. nihil poſſe, hoc eſt mortuum viuere.* Demoſthenes. Orat. Ord. Ciu. *Oportet eos, qui magnis de rebus conſultant, nullam ulla de cauſa cogitationem prætermittere.* In Principij capite oportet quaſi pedes finis, ut dicitur, contemplari, nec inconſideratè quicquam aggredi. Duæ ranæ, ut in fabulis eſt, cùm relictâ palude ſolis radijs exſiccatâ ad profundum puteum perveniſſent, ibi una, hic, ait, commodè manebimus; at altera, placet equidem, ait locus, ſed priuſquam deſiliamus, quâ ratione exire inde poſſimus, ſi quo caſu puteus exſiccetur, conſiderandum eſt diligenter. *Inconſideratio.*

Inconſtantia eſt ſententiæ nullâ aut non juſtâ causâ mutatio. Prudens quippè conſtans eſſe debet, & ubi ſemel cum ratione decretum eſt aliquid, illud velle ſolum & exequi. Qui mutabilis eſt, ad res gerendas parum eſt idoneus. *Inconſtantia.*

Negligentia Omnium prudentiæ partium quidam eſt defectus, ſive ſit circumſpectionis, ſive providentiæ, ſive alterius. Quod negligenter fit, fieri prudenter non poteſt; & qui nihil curat prudens non eſt. Negligentiæ comes eſt error & inopia. *Negligentia.*

Per exceſſum non uno ſanè modo peccatur. Eſt inprimis Aſtutia quidam exceſſus, ſiquidem eſt aliquid agendi per modum occultum ratio. Hos enim aſtutos appellamus, qui rerum gerendarum vias aliis ignotas norunt, ſed quibus paſſim alios decipiunt, decipi ipſi non poſſunt. In Aſtutiæ executione dolus aut fraus eſt, ſeu verbis, ſeu factis fiat. In exceſſu quoque eſt nimia bonorum hujus mundi cura ſeu ſollicitudo; quæ comites perpetuas habet Timorem, & Anxietatem, quæ ex nimio erga res ſolâ opinio- *Aſtutia* *Sollicitudo.*

ne magnas amore naſcitur. Quod ſi ea de futuris ſit nimia ſollicitudo, mirum in modum animum inquietat, & parvam diuinæ providentiæ fiduciam arguit. Moderata ſollicitudo juſta eſt & laudabilis, nimia hominem rationis lumine illuſtratum non decet. Sapiens in Proverb. *Qui congregat in meſſe filius ſapiens eſt, qui autem ſtertit æſtate, filius confuſionis.* Plures alij modi, & paſſim noti.

Additamentum.

INprimis præcipitatione erratur. Tac. lib. 3. Hiſt. Scelera impetu, bona conſilia morâ invaleſcunt. Thucyd. lib. 3. Duo rectis conſiliis infeſtiſſima, celeritas & ira. Ariſtoteles 6. Eth. c. 9. Celeriter peragenda quæ deliberata, ſed tardè conſulendum. Livius lib. 31. ait Nihil magnis conſiliis tam inimicum eſſe, quàm celeritatem.

Secundò Inconſideratione, quæ eſt quædam in rebus cognoſcendis cæcitas, & non ſatis diligens maturaque diſcuſſio. Scitè Curtius lib. 7. Natura mortalium hoc quoque nomine prava & ſiniſtra dici poteſt, quod in ſuo quiſque negotiò hebetior eſt, quàm in alieno. Turbida ſunt profectò conſilia eorum, qui ſibi ſuadent. Obſtat his metus, aliis cupiditas, nonnunquam naturalis eorum, quæ cogitaveris, amor.

Tertiò Inconſtantia, quæ eſt quædam ceſſatio à recto judicio ſemel ſuſcepto. Cavenda tamen eſt nimia ſuſcepti judicii tenacitas, quâ quidam capitoſi nimium ſuo judicio inhærent. Verè enim dixit D. Auguſtinus lib. contra Creſconium, Sententiam falſam numquam tenere prima laus eſt, ſecunda mutare. Et Caſſianus lib. de Incarnat. cap. 4. Primum eſt errorem penitus non incurrere, ſecundum bene repudiare. Nam ut dicit Publius Mimus apud Gellium lib. 17. cap. 14. Malum eſt conſilium, quod mutari non poteſt. Rectè Antoninus lib. 8. vitæ ſuæ. Memento, ait, mutare ſententiam, & rectè monenti obſequi, perinde eſſe liberi. Tua enim actio ſecundum tui animi impetum ſit, atque judicium tuamq; mentem. Certè qui conſilium abjicit, cùm res fert, non illud mutat, ſed optat, ut ait. Laurẽtius Iuſtinianus.

Quartò Negligentiâ, quæ eſt quædam voluntatis ceſſatio, in inducenda intellectui inquiſitione ad latentem veritatem rerum agendarum inveſtigandam neceſſaria. Seu eſt torpor quidam voluntatis, quæ laborem ad veritatem rerum agendarum inquirendam ſuſcipiendum refugit.

Quintò Aſtutia, quæ eſt dexteritas in conſulendo cum malitia, quæ aliis nocet, conjuncta; cùm nimirum malum finem intendit, aut media ad finem ducentia malè adhibet. Aſtuti fuerant olim Cretenſes, Cilices, Cappadoces, de quibus proverbium hoc: Tria cappa peſſima. Syrorum gens, ut avariſſima, ita vafritiæ ſolertiſſima fuit. Lyſander, ut tradit Plutarchus in eius vita, dicebat, Ibi aſſuendam eſſe pellem vulpinam, quò leonina non pertingeret. Verſutæ quoque ſunt pleræque fœminarum, de quibus Apollodorus apud Stobæum ſerm. 6. Ianua, inquit, clauditur veſtibus, nullus autem faber tam munitum efficit oſtium, per quod felis & adulter non ingrediatur.

Sextò Nimiâ ſollicitudine bonorum hujus mundi, quæ quia frequenti bonorum ejuſmodi cogitatione rationem abſorbet, prudentiam impedit, & bona iſta apparere facit, non qualia ſunt, ſed qualia æſtimantur. Hanc Laurentius Iuſtinianus Prudentiam terrenam appellat, De qua loquens Baruch Propheta, filii Agar, inquit, qui exquiſierunt prudentiam, quæ de terra eſt, negotiatores terræ.

Præter hos modos omnes affectus aberrare hominem à prudentia faciunt, ſi ſint vehementiores. Nec enim, ut Saluſtius ait Conjurat. Catil. animus verum pervidet, ubi illi officiunt. Horat. lib. 2. Sat. 2.

——Male verum examinat omnis
Corruptus judex.

Sunt etiam amori pulchra, quæ pulchra non ſunt. Hac de re in Politicis.

CAPVT VI.

Quæ Vitia Prudentiæ ſint contrariæ, quid potiſſimùm cauendum, & quæ eius extrema.

Quid ſit imprudentia. IMprudentia vitium Prudentiæ contrarium eſt, nec aliud ipſa, quàm inſcitia ſeu inopia capiendi conſilii. Vel certè defectus facultatis inueſtigandi verum, diſcernendi bona à malis, & quid expetendum fugiendumve ſit, dijudicandi. Dici ſtultitia poteſt. Et cùm prudentiæ ſit Fortunæ muneri-

muneribus honeſtè uti, rectè cum hominibus verſari, momenta librare temporum, dictum factúmque omne ſolerti cautela penſum habere, rerum quoque utilium cognitionem uſu & obſervatione complecti; imprudentia, quam ſtultitiam appellamus, fortunæ multum tribuit, & affectibus nimium indulgens ea ſæpius admittit, quorum poſtea pœnitet. Perperam de rebus judicium fert, perperam cum hominibus verſatur, & conſulit, fortunaque neſcit uti, & de rebus in vita humana bonis ac malis falſam opinionem habet. Hanc comitari ſolent tanquam cognita vitia, Imperitia, Inſulſitas quædam Ineptia, & Oblivio. Errores iſti animi ſunt. Sed & temeritas, quæ recto judicio contraria eſt. Hoc vitio laborant, qui nullam in Familia diſciplinam obſervant; Magiſtratus, qui legum auctoritatem non vindicant; Belli Duces, qui exercitum quâdam inſcitiâ & negligentiâ in officio non continent. Quicunque denique rebus ſuis non rectè conſulunt. Imitarix prudentiæ Calliditas eſt. Hæc ſimulando virtutem incautos fallit. Virtus tamen eſſe poteſt, ſi ad bonum honeſtúmque finem referatur.

Porrò quæ vitanda potiſſimùm ſint ne contra Prudentiam quis erret M. Cicero 1. Off. explicavit. *In prudentia*, inquit, *duo vitia vitanda ſunt: vnum ne incognita pro cognitis habeamus, hiſq; temerè aſſentiamur. Quod vitium effugere qui volet (omnes autem velle debent) adhibebit ad conſiderandas res & tempus & diligentiam. Alterum eſt vitium, quod quidam minus magnum ſtudium, multamq; operam in res obſcuras, atque difficiles conferunt, eaſdemq; non neceſſarias.*

Extrema Extrema prudentiæ ſunt duo. Temeritas in exceſſu, & in defectu Stupor. Illa de incertis & contingentibus confidenter nimis judicat; hic nec honeſtum, nec vtile colligere ex rebus dubiis poteſt. Fabius Maximus cùm intelligeret Minutium Collegam, quod hoſtes feliciter viciſſet, multum laudari, dicebat, magis ſe Minutij ſecundam, quàm aduerſam fortunam pertimeſcere. Sentiebat quippè periculoſam eſſe Reip. eius temeritatem, quæ ſi ſucceſſu attolleretur, facilè in diſcrimen Remp. univerſam adduceret. Stupidus autem ac ſtultus fuit Corœbus Mygdonis Phrygij filius, qui cùm ultrà quinque numerare non poſſet, maris undas numerare contendebat. Stultiſſimus verò Melitides ab Homero notatur, quod everſa jam Troia Regi Priamo auxilium laturus veniret.

Additamentum.

Vitium prudentiæ contrarium eſt Imprudentia, ejuſdem extrema Temeritas, & Stupor. Imprudentia ſeu ſtultitia eſt habitus, qui non rectâ, ſed vitioſâ & depravatâ eum ratione verſatur in iis, quæ homini ſunt bona vel mala. Vel enim non poteſt internoſcere, vel ſi diſcernere queat bona maláve, alio, quo non deberet, à vitioſis cupiditatibus rapitur. De Imprudentibus circumfertur illud Demoſthenis; qui roganti cuidam, quid durius eſſet ſtatua? *homo ſtultus* reſpondit. Item illud Cratetis, qui imprudentes tenebris conferebat, quod non niſi coacti ſuum faciant officium, Terentius in Adelph. act. 1. ſcen. 2. Homine imperito nunquam quicquam imprudentius, qui niſi quod ipſe facit, nihil rectum putat. Fictum eſt illud *Omnis ſtultus eſt ſuberbus, & omnis ſuberbus eſt ſtultus.* Inter exempla Imprudentum primum locum obtinent Trojani, qui tot affecti cladibus vix decimo anno de Helena reddenda cogitare cœperunt. Vnde natum proverbium, *Sero ſapiunt Phryges.* Xerxes Perſarum Rex inter Imprudentes numeratur, qui Helleſpontum ponte junxit, & Athon montem perfoſſum navigari juſſit, ut de natura victor, de hominibus mox triumphum ducturus videretur, ut refert Diodorus lib. 11.

Ei proximus Heliogabalus Imperator, qui decies mille pondo aranearum collegit, ut hinc, quemadmodum dicebat, magnitudo Romanæ urbis æſtimaretur. Idem exhibuit decies mille mures, mille muſtelas, mille ſorices, teſte Spartiano. Stulti fuerunt etiam Pſilli, qui cùm Auſtrum ventum ſibi moleſtum haberent, ſumptis armis in eum provecti ſunt, ſed omnes arenis obruti perierunt, ut tradit Herodotus lib. 4. Gellius lib. 16. cap. 11. Nec prudentiores Athlantes Africæ populi, qui

ſolem execrabantur, quod torridus & ipſos & regionem perderet. Stupidus verò fuit Achæus, qui vas fictile pulvinaris loco capiti ſuo ſubjiciebat, & cùm duritie offenderetur, paleis implevit, ut mollius cubaret, ſicut teſtis eſt Euſtachius Odiſſeæ lib. 10. qui etiam de Meridiđe refert, qui Troiâ jam captâ laturus Priamo ſuppetias venit; idem ultrà quinque numerare non poterat, & cùm uxorem duxiſſet, eam attingere non audebat, ne apud matrem accuſaretur. Similis ei fuit Corabus, ut eſt apud Lucianum in Amoribus, qui cùm ultra quinque progredi non poſſet, numerare maris undas conabatur. Lepidum eſt de Morione quodam, qui cùm à pulicibus morderetur, lucernam extinxit, nè ab iis videri poſſet, ut refert Gilbertus Cognatus lib. 1. Narrationum. Horatius lib. 2. Epiſt. 2. refert de Argivo, qui vacuo in theatro Tragœdias ſpectabat. Sed non opus pluribus exemplis, cùm, ut Sapiens ait, *Stultorum plena ſunt omnia.* Temeritas, de qua hoc loco, eſt nimia proprii judicii confidentia in rebus potiſſimùm incertis.

CAPVT VII.

In quo maximè Prudentis officium cernatur.

In malis cavendis corrigendis ferendis

CVm prudentia quatuor modis circa bonum verſetur, aut parans illud, aut conſervans, aut augens, aut rectè vſurpans, rectè Plutarchus lib. de Conſ. ad Apollonium. *Boni ratiocinatoris ſive prudentis officium eſt, aut præcavere malum ingruens, aut acceptum corrigere, & quam minimum redigere, aut tolerantiâ ſeſe maſcula & generoſa inſtruere.* Quippè prudentis viri eſt, vtramque fortunam, proſperam & aduerſam, optimè moderari, & ad Fortunam intrepidè dicere.

Suave eſt, ſi quid das, parvus. dolor hoc vbi tollis.

Additamentum.

IN moderanda utraque fortuna, proſperâ, & adversâ. Raro bona fortuna, & bona mens ſimul dantur homini, ut ait Livius. Quod, ut vult Plutarchus perpaucis contingat, Felices eſſe, & ſapere. Hic ego inprimis ſe prudentia prodit, ſi quis proſperam fortunam benè moderetur. Nam multi adverſis reſtiterunt, qui ſecundam ferre fortunam non potuerunt. Notum illud Publiani:

Fortuna, quem nimium fovet, ſtultum facit.

Et D. Chryſoſtomus Proſperitatem virtutis novercam appellat. Secundò ſi quis in adverſa fortuna non animo dejiciatur. Quippè, ut dicit Egeſippus, Infirmi ingenii eſt lapſu aliquo ſummæ rei diffidere, cùm exiguis momentis ſubitò inclinentur omnia. Optimum verò eſt, ut ait Seneca Epiſt. 108. pati quod emendare non poſſis, & Deum, quo authore cuncta eveniunt, ſine murmure comitari. Plura cùm de fortitudine agemus.

CAPVT VIII.

Quomodo quis prudens exiſtat.

Quis Prudens dicatur.

MVlta in Politicis noſtris hac de re, igitur hic pauca. Prudens, Iſidoro teſte, quaſi porrò videns dicitur. Is autem eſt, qui in quaque re quid veriſſimum ſit maximè perſpicit, acutiſſimeque & celerrimè poteſt & videre & explicare rationem. Seu, qui rectè conſilium capere in ijs poteſt, quæ omninò ad benè viuendi rationem pertinent. Talis ut quis exiſtat, primum opus eſt, ut ingenium ſolers, memor, & laborioſum nanciſcatur; deinde vt animum à puero exerceat, ratiocinetur, circa mathematica, accuratas contemplationes, & rectam Philoſophiam verſetur. Deinde de religione, legibus, officijs hominum, deque vitijs ipſis experientiam indipiſcatur. Duo enim ſunt quæ prudentiæ habitum gignunt, Diſciplina ſeu multa Cognitio, & multorum negotiorum tractatio. Nam nec ad prudentiam ſatis idoneus eſt, qui ab incunabilis ratione, diſciplina, contemplatione animum exercitauit; nec qui in hiſtorijs tantùm, & quodam rerum vſu verſatus eſt. Vtrumque adſit oportet. Prior ille in ſingularibus perpendendis cœcus eſt; alter hic rerum vniuerſalium contemplatione nihil vi-

quomodo fiat.

hil videt. Ariſtoteles ad comparandam prudentiam ita Alexandrum admonebat. *Annales Patrum diſcute, inde poteris bona exempla extrahere, quia acta præterita dant certum documentum in futuris*, vt teſtis eſt Seneca lib. de benef. Vtinam hâc via ad prudentiam hodiè omnes tenderent, nec tantùm docti eſſe vellent, ſed etiam prudentes. Multi artibus ſunt ornati, ſed ſimplices; multi boni viri, ſed mali magiſtratus. Ars cum prudentia conjungenda eſt. Quis neſcit inveteratum jam Proverbium? *Homo probe doctus eſt, ſed parum prudens*. Rectè etiam Boëtius. *Doctos quidem multos vidi, prudentes autem perpaucos noui: artibus enim multæ conſecrantur ſcholæ, ſed prudentiæ, quæ multis gradibus omnes excellit artes, nullæ.*

quadam ad formandum prudentem ſeruanda.

Planè igitur Prudentia ab ingenii acumine inprimis manat, augetur memoria, creſcit doctrina, & rerum experientia perficitur. Vt verò prudentem paulò ampliùs formemus, cùm nemo ſit, qui ſe omnia ſcire profiteri poſſit, audienda ſunt amicorum conſilia, quæ intelligentiam plurimum adjuvant; & verò etiam inferiores quandoque conſulendi, exemplo optimi gubernatoris, qui in maximis tempeſtatibus vectores etjam conſulit. Noſtro in negotio hebetiores omnes ſumus, quàm in alieno. Circa ea, quæ agenda ſunt, conſiderata ſit omni ex parte animi ratio. Et ſicut prudens nauta omnes cœli plagas circumſpicit, vt ad omnem vim ventorum ſit paratus: ita conſiderare omnia diligenter oportet, ut contra adverſa omnia munimentum habeamus, & fortunæ vim ſuam atque impetum præripiamus. Prouidentia ſemper animo occurrat. Eſt enim, vt ſabulantur Poëtæ, filiarum ſummi Dei prima, ſed cum virtute ſit: nam tantùm in vnoquoque prudentiæ eſt, quantùm virtutis. Permittendum quoque libenter ſe doceri, ſed cùm multa verſutè callideque dicantur, ac plurima ambiguo implicitoque ſermone proponantur, cavendum ne decipiamur. Cautè proinde & cum ratione à malo declinandum eſt. Sero dicitur, *non putabam*, quæ vox prudentis non eſt. Cautionem Natura omnia animalia docuit. Cauta teſtudo eſt etſi ignava, colligit ſe in tegmen ſuum, vt ab omni ictu ſit tuta; cùm membrum aliquod temerè exerit, nudumque relinquit, id infirmum, & iniuriæ obnoxium eſt. Plurimum etiam ad prudentiam facit prudentis alicujus conſilio parere. Vnde pulchrè apud Titum Livium Minutius Paulus ad milites. *Sæpè ego audiui, Milites, eum primum eſſe virum, qui ipſe conſulat, quid in rem ſit. Secundum eum, qui benè monenti obediat. At qui nec ipſe conſulere, nec alteri parere ſcit, eum extremi eſſe ingenij.* Idem omninò Heſiodus:

Optimus ille quidem, qui per ſeſe omnia noſcens
Conſilijs præviſa ſuis meliora peregit.
Rurſus & ille probus, qui paret recta monenti
At qui nec per ſe voluit, monituſq; refugit
Recta ſequi, cuiuſque vir eſt hic muneris expers.

Neceſſaria quoque eſt quædam in agendo Dexteritas, ſeu Calliditas, Comparatur illa rerum Ciuilium uſu & conſuetudine, quæ in rebus agendis tutiores homines reddit. Eius finis cùm rectus, laudanda ſanè; ſed cavendum ne dolus fiat malus.

Additamentum.

ARchitas Pythagoreus libro de viro bono & felice modum Prudentiæ acquirendæ luculenta exprimit his verbis. *Vir* prudens hoc maximè pacto naſcetur. Primum nactus ſit oportet ingenium ſolers, memor, & laborioſum; deinde ſtatim à puero animum exerceat; ratiocinetur; circa mathematica, exactas ſpeculationes, & veram Philoſophiam verſetur. Poſtea de Diis, & legibus, & vitiis hominum experientiam indipiſcatur. Duo enim ſunt, quæ prudentis habitum gignunt;

nunt; quorum alterius eſt, ut mens diſciplinis & cognitione ſit muniti; alterum ſpectacula & negotia multa, quæ partim ipſummet unumquemque ſpectaſſe oportet; partim alio modo percepiſſe. Nam neque is, qui mox ab incunabilis rationibus, diſciplina, ab exquiſitis contemplationibus animum exercitavit, ad prudentiam ſat idoneus eſt, neque ille, qui jam dictorum quidem nihil conſecutus, ſed in multis aliàs hiſtoriis & rebus, experiundo verſatus eſt. Prior enim ad ſingularia perpendenda cœcum habet animum; alter in univerſalium contemplatione nihil videt. Quemadmodum enim aliquid computando partibus conjunctis, totum ex ipſis reſultans colligere poteſt; ita in rebus quoque, ratio quidem ſpeculationem univerſalem delineat, experientia verò ſingularia judicat. Hactenus ille. At Caſſiodorus lib. 8. Var. ait. Totius prudentiæ compeodium in litteris contineri. Ibi enim prudeos invenit, unde ſapientior fiat; ibi bellator reperit, uode animi virtute roboretur; inde Prioceps accipit, quomodo ſubditos ſub æqualitate componat. Hac de re plura in Politicis noſtris lib. 1. Tit. 17. cap. 2. & 3.

CAPVT IX.

Quare difficilis & obſcura ſit Prudentia.

Cauſa difficultatis.

CVm exiguus prudentum ſit numerus, nemo difficilem prudentiam non ſuſpicabitur. Sed & obſcura eſt. Difficilis autem idcircò eſt, quòd intra conſiderationis ſuæ ambitum res omnes, tam vniuerſas, quàm ſingulares complectatur, & cognoſcere debeat. Ac deinde quod nullus ſit rerum humanarum certus ſtatus, magna verò earum inconſtantia & mutabilitas, dependeantque cùm à perſonis, tùm à locis & temporibus. Nec rarò quæ repugnantia ſunt, coniungi tamen debent, & quodam temperamento miſceri, quod profectò cujuſvis ingenii non eſt. Obſcuritatem prudentiæ adfert caligo illa, in qua rerum humanarum cauſæ latent, & vnde erui explicarique debent. Vidit hoc in Paneg. Plinius, ideòque, *Occultat*, inquit, *eorum ſemina Deus, & plerumque bonorum malorumq́; cauſæ ſub diuerſa ſpecie latent.* Accedit Diuinæ Maieſtatis decretum, quod quale ſit de rerum gerendarum ordine euentuque, ferè ſemper eſt ignotum. Vnde fit, vt bona plerumque conſilia euentu proſpero careant; habent homines ſua in poteſtate ſuos de negotiis humanis diſcurſus, ſed non eorum ſucceſſus. Imprudentes, qui ſapere non poſſunt, ſæpè ſunt felices. Cauſam fruſtrà quis inquirat. Non rarò perficit ſimplex, quod, qui prudens videtur, exequi non poteſt. Eſt igitur Prudentia velut mare, quod & fundò caret & littore; circa res humanas voluitur, & vix vnquam ſine nube.

Cauſa Obſcuritatis.

Additamentum.

REꝛum humanarum inconſtantia mutabilitaſque difficilem prudentiam reddit; earundem cauſæ latentes obſcuram. Latent rerum fundamenta, inquit Quintilianus in præf. Inſtit. Orator. ſed faſtigia apparent. Non immeritò Democritus Veritatem in profundo puteo latere comminiſcebatur, Non facilè prudentiam acquiri, docet Salomon, qui Regnum auſpicaturus eam à Deo poſtulavit quam facilè invenire diſcereque non ſperabat. Cùm etiam circa res humanas & contingentes prudentia verſetur, nihil difficilius eſt, quàm de iis deliberare; difficillimum verò certam regulam rebus in omoibus ſtatuere, & mediocritatem virtutum præſcribere, quod facere prudentia debet. Et cùm omnes virtutem in arduo ponant, tùm ibi collocanda potiſſimùm eſt prudentia, quia ſuo ambitu virtutes omnes complectitur. Denique quis aliorum conſiliis noo eget? Idcircò pauci prudentes, nec commuois poſſeſſio prudentia eſt.

CAPVT X.

De Principijs, quibus Prudentia conſultando utitur.

Prudentiæ principia ſunt communia politicorum axiomata.

CVm præcipuum Prudentiæ officium ſit benè conſultare, tùm principijs quibuſdam, vt appellant, conſultando vtitur. Sunt autem ea Principia nihil aliud, quàm communia quædam axiomata, uſu ipſo & Sapien-

Sapientum judicio comprobata, quæ ſibi vir prudens, dum capere conſilium vult, tanquam certiſſimas regulas, & futuræ deliberationis fundamentum proponit. Si conſultandum ſit, an expediat diverſas eſſe in Rep. religiones, capiendi conſilii regula in hoc axiomate cernetur. *Diuerſitas religionum fomes eſt bellorum ciuilium.* Si de mutandis legibus agatur, ecce deliberationis principium, *Omnis legum mutatio Reip. periculoſa eſt. Mutatæ leges ſæpè Remp. mutant.* Si de arduo aliquo belli negotio deliberetur, conſilium hoc axiomate nitatur, *In bello bis peccare non licet.*

Operæ pretium itaque eſt cùm ex Hiſtoricis & Politicis, tùm ex bonis omnibus auctoribus communium iſtorum axiomatum copiam comparare, in promptuque habere, & prudenti judicio negotijs accommodare. Multa in Politicis ſuggeſſimus, multa ciuilium rerum conſuetudo docet. Eiuſmodi ſunt hæc.

Pecunia belli nervus eſt.
Turpe eſt in re militari dicere non putaram.
Negotium populo meliùs, quàm otium committitur.
Fœminæ & pueri ratione potiùs, quàm vi ſunt ducendi.
Hoſtis conſilium noſſe, eſt hoſtem fere viciſſe.
Religionis neglectus cauſa eſt afflicti ſtatus.
Principi expedit amari potiùs, quàm timeri.
Arcana Reip. non ſunt arcana, niſi paucis nota.
Præſtat in hoſtili ſolo bellum gerere, quàm in proprio.
Servi, vt homines; non vt beſtiæ ſunt tractandi.
Incertus & levis, quicunque fauor eſt plebis.
Honeſtum præſtat vtili, & honor vitæ.

Non omnia colligo, innumera ſunt.

Additamentum.

Suggeruntur hic communia quædam axiomata, quæ capiendorum conſiliorum regulæ ſunt. Et quoniam plura ejuſmodi diligenti Scriptorum lectione obſervari poſſunt & notari, nihil hic addimus.

CAPVT XI.

An prudentia viris illuſtribus ſit neceſſaria.

Neceſſaria illuſtribus potiſſimum eſt.

Nemini id dubium videtur. Hinc enim tot illuſtrium peregrinationes, & tam anxiæ educationes, ut illis prudentia comparetur. Et cùm eorum ſit regere homines, quibus innata eſt libertas, id facere ſine prudentia non poſſunt. Iis verò potiſſimùm illuſtribus neceſſaria eſt, qui in Principum rerum publicarumque Conſilio ſunt futuri, cùm, quod optimum conſilium eſt, à prudentia proficiſcatur. Et quemadmodum oculi toti corpori prælucent, ita reliquis virtutibus prudentia. Prudentiæ laude celebratus eſt olim Amaſis Rex Ægyptiorum, qui Polycratis Samiorum Regis amicitiæ renunriauit, cùm reperto in piſcis exenterati ventre annulo ad graviorem eum reſervari calamitatem prudenter prævideret. Prudentiſſimus quoque habitus eſt Themiſtocles, cujus ingenium & ſagacitatem nemo vnquam fefellit. Is cùm videret apud Athenienſes imminentis Perſici belli tempore Epicidem ſolâ linguâ promptum ad Magiſtratum euectum eſſe, ac propterea alios a publicis officijs abſtinere, Epicidi perſuaſit, ut Magiſtratui renunciaret, tantùm illi largitus, quantùm eo anno conſequi in Magiſtratu potuiſſet; atque ita alijs expeditioni magis idoneis ad Magiſtratum viam patefecit. Inter prudentiſſimos etiam numeratur Alcibiades, cujus perſpicaciſſimum ingenium fuit, quemadmodum tam diverſis in occaſionibus manifeſtavit. Numeratur & Ageſilaus Lacedæmoniorum Rex, qui non minùs laudatoris inſpiciendos eſſe mores aiebat, quàm

eius,

eius, qui laudatur, quod nemo ſuis moribus contraria laudet. Et cùm urgeretur, ut promiſſa præſtaret, reſque petita parum honeſta videretur, neminem à Rege rem inhoneſtam petere debere reſpondit. Vendicare prudentis nomen jure ſibi poſſunt Cyneas Pyrrhi Regis Epirotarum Orator, Cato major, Ariſtippus Philoſophus, Chilo, Solon, Plato, & innumeri alii ex illa antiquitate viri. Poſterioris ævi laudem ſuâ prudentiâ occupaverunt, Henricus primus Imperator, qui ſæpè capitis reis vitam donabat, ſi vtiles bello, quod aduerſus Pannones gerebat, iudicarentur. Conradus Imperator, in quem cùm quinque Duces conſpiraviſſent, omnes ſuâ prudentiâ ad paciſcendum adegit. Fredericus tertius Imp. qui quinquaginta tribus annis, quibus rerum eſt potitus, pacem in Imperio ſervavit. Leopoldus Auſtriæ Dux, qui duo ſumma Romani orbis capita pacavit, & bella inter eos exorta compoſuit. Albertus Auſtriæ item Dux, qui ob ſingularem prudentiam cognomento Sapiens eſt dictus. Glorioſiſſimus Carolus V. Imperator, qui ita circumſpectè, & cunctanter omnia agebat, vt lucem eius prudentiæ ſummi infimique perciperent. Vide, qui plures voles, Hiſtoricos.

Additamentum.

ITa hic judicamus, & Illuſtrium, qui prudentes fuerunt, exemplis probamus. Inprimis cùm Virorum Illuſtrium ſit vel ſub Regibus, vel libera Rep. in partem regiminis venire, Civitates inhabitantur per ſenſum prudentium, ut ait Eccl. c. 10. Et omninò magnum ſub ſole malum eſt, ut ibidem dicitur, Stultum poſitum eſſe in ſublimi dignitate. Verè enim Ars imperandi ſola prudentia eſt. Vnde ſymbolum Rudolphi I. Imperatoris fuit, Regni prudentia cuſtos. Imperii quippè in rebus, veluti peregrini in Regionibus, errare ſolent, ut eſt apud Stobæum ſerm. 4. Prudentiâ Cato Major ad miraculum uſque præſtitit. Vxorem maluit, quæ antiquitate generis polleret, quàm quæ divitiis; quod illa turpitudinem magis vereretur. In Socrate nihil magis miratus eſt, quàm quod comiter & humaniter vixiſſet cum Xantippe difficili & contumace uxore. Propria manu hiſtorias filio ſuo & litteris majoribus deſcripſit. Themiſtocles prudentiſſimus in Elocanda filia virum malebat, quàm pecuniam, ut refert in eius vita Plutarchus. De quo etiam Thucydides lib. 1. belli Græci. Themiſtocles, inquit, præcipue dignus erat adminiſtratione præ aliis, quia acie mentis ſuæ non præmonitus, nec diu conſiderans in rebus ſubitis, optima conſilia habebat, & de futuris, quod eventurum eſſet, rectiſſimè conjiciebat, & quæ in præſentia habebat in manibus, explicare poterat, & quæ non norat, non deſtitit inquirere. Celebratur etiam prudentiæ laude Ariopharnes Thraciæ Rex, qui cùm eſſet arbiter electus à tribus fratribus, Satyro, Pritamide, Eumelo, filiis Paryſadæ, qui Boſphoro Cimmerico imperarat, dum de Regno contenderent, juſſit Patris cadaver è ſepulchro erui, arbori alligari, ſagittis peti, ut qui cor attigiſſet, is Regni hæres judicaretur. Major natu guttur, medius pectus illæſo tamen corde transfigit. Eumelus hanc impietatem deteſtatus, cùm diceret malle ſe Regno carere, quàm in Patris corpus ſævire, hunc Ariopharnes Regem pronuntiavit, & armis juvit, donec rebellantes fratres è Regno abjicerentur. Ita refert Diodorus Siculus. Plures ejuſmodi ex Hiſtoriis poſſunt obſervari.

TITVLVS III.

De Fortitudine.

CAPVT I.

Quid ſit fortitudo, & quæ eius materia.

Definitio fortitudinis.

FOrtitudo, vt eam in Rhetoricis Philoſophus definit, eſt *Virtus per quam magnæ res geruntur in ſuſceptione periculorum, ita ut lex iubet.* Et in Ethicis, *Eſt aggreſſio terribilium, vbi mors imminet propter bonum commune ſaluandum.* M. Cicero *conſideratam pericu-*

periculorum ſuſceptionem, & laborum perpeſſionem appellat. D. Thomas, *firmitatem animi in ſuſtinendis & repellendis his, in quibus maximè difficile eſt firmitatem tenere propter bonum virtutis.* Ex Stoicorum opinione *Fortitudo eſt animi affectio in patiendo ac perferendo, ſummæ legi parens ſine timore.* Secundùm Cryſippum, *eſt ſcientia perferendarum rerum.* Secundùm Platonicos, *eſt conſeruatio ſtabilis judicii in ſubeundis repellendiſue ijs rebus, quæ formidoloſæ eſſe videntur.* Qui omnes nihil aliud declarant, quàm quandam eſſe res formidoloſas perferendi peritiam. Data enim hæc virtus eſt, vt honeſtarum actionum impedimenta ex periculis & malis hujus vitæ occurrentia removeantur, ne ab honeſto propter illa recedamus. Multa quippè ſunt in hominum vita, in quibus animum rectum difficillimum eſt, & rationis ſtatum conſervare. Eiuſmodi ſunt mortis pericula, graves morbi, bonorum jacturæ, & id genus. Laudatiſſima porrò virtus eſt, à qua præcipui Reipublicæ civilis & militaris ſtatus nomina ſortiti. Hinc dicti ſunt Duces, quod exercitum fortiſſimè ducerent: Marchiones, quod imperij finibus præeſſent; Comites, quod inſtructi copijs Principes ad bellum comitarentur; Barones, quod ob fortitudinem, vt in bello adeſſent, opemque ferrent, eligerentur. Nec aliud inſignia Nobilium ſunt, quàm fortitudinis ſigna. Et ſtatuæ omnes, triumphi, privilegia, publicæ laudationes, quid ſunt, niſi decreta virtuti huic ornamenta, vt fortiſſimorum virorum memoria ab æterna oblivione vindicetur, & ad poſteros eorum honor tranſmittatur? Epicurus, ille voluptatis aſſertor, fortitudinem non per naturam hominibus contingere dicebat, ſed per electionem ratione commodique notione perſpecta.

Materia fortitudinis ſunt res omnes formidoloſæ, quæ vel timorem, vel triſtitiam, vel audaciam, vel iram in nobis excitant. His enim moderationem quandam & rationis menſuram imprimere fortitudo conatur; adeoque timentes confirmat, triſtes erigit, audaces moderatur, iratos compeſcit. Nam eſt quædam inter timiditatem & confidentiam mediocritas. Debent verò, quæ ſuſcipiuntur pericula, eſſe talia, quæ honeſtè ſuſcipi ſuſtinerique poſſint. Nimirum pro Dei & religionis gloria, pro Reipublicæ ſalute, pro Virtutis defenſione. Vnde libro tertio Ethicorum Ariſtoteles, *Qui ea,* inquit, *quæ oportet, & cuius cauſa oportet, & vt, & quando oportet perfert, & timet ſimiliter, & confidit, fortis eſt.* Neque enim inhoneſta eſſe virtutis materia poteſt. Quamob cauſam non fortes ſunt, ſed temerarij, latrones, graſſatoreſque, dum in duella deſcendunt; plena enim eſt immanitatis eorum aggreſſio, nec eſt honeſti capax. Porrò in belli periculis cernitur potiſſimum fortitudo, quod illa honeſtiſſima maximaque cenſeantur, & humanam ſuperent conditionem. Magnitudo periculorum magnitudinem fortitudinis oſtendit.

Materia fortitudinis res formidoloſa.

Additamentum.

SOLET Fortitudo tripliciter accipi. 1. pro omni virtute, quæ perturbationes coërcet & in ordinem redigit. 2. pro mediocritate timoris & audaciæ. 3. pro bellica fortitudine, quæ circa mortem pulcherrimam verſatur. Ariſtoteles lib. 2. Eth. cap. 7. & lib. 3. cap. 6. eam accipit, pro mediocritate circa timorem & confidentiam. Platoni lib. 1. de Legibus eſt horrendorum & delectabilium ſcientia. Ciceroni lib. 4. qq. Tuſc. eſt ſcientia perferendarum rerum; vel affectus animi in patiendo & perferendo ſummæ legi parens ſine timore. Alii definiunt eſſe virtutem moralem quæ inducit mediocritatem in affectus timoris & audaciæ, ne voluntatem ab eo, quod circa malorum pericula hominem decet, impediant. In quibus & alus deſcriptionibus verborum diverſitas rerum convenientiam non tollit. Alcinous cap. 21. Breviarii Platonici in hunc modum fortitudinem definit: Eſt legitima præcepti ardui & non ardui obſervatio. Id eſt, ut ipſemet interpretatur, facultas conſervatrix præcepti legitimi. Nam Plato lib.

4. de Rep. dicit eſſe conſervationem opinionis lege per educationem conceptæ, quâ judicantur quæ terribilia ſunt, & qualia. Nimirum quia fortitudo verſatur circa pericula & affectus ex periculis exurgentes ex præſcripto rationis rectæ, cujus dictamina ſunt homini præcepta legitima.

Objectum ſeu materia fortitudinis ſunt omnia formidabilia, nimirum pericula & mala præſertim graviſſima, cujuſmodi ſunt mortis. Singulariter tamen circa mala timoris & audaciæ. Nam proponit ſibi honeſtatem, quæ in iſtorum affectuum moderatione hominem ratione præditum decente, ſplendeſcit. Ariſtoteles 3. Eth. cap. 6. oſtendit quæ mala & pericula rationem materiæ fortitudinis habeant. Timemus quidem, inquit, mala omnia, ut infamiam, paupertatem, morbum, ſolitudinem, amicorum mortem. Non circa omnia tamen eſſe vir fortis videtur. Quippè cùm nonnulla omninò timere debeamus, quæ & timere honeſtum, & non timere turpe eſt, ut infamiam. Qui enim eam timet modeſtus & verecundus; qui non timet, impudens eſt. A nonnullis tamen per tranſlationem fortis appellatur, cùm ſimile quid cum forti viro, etiam ipſe habeat. Nam etiam fortis intrepidus quidem eſt, timoreque vacuus. Paupertatem autem fortaſſis timere non licet, neque morbum, neque omninò quippiam, quod neque à vitio proficiſcatur, neque per nos ipſos fiat. Sed neque qui in his eſt intrepidus, fortis eſt; ſed ex ſimilitudine tamen fortis dicitur &c. Paulò pòſt. Circa qualia igitur terribilia fortis verſatur? An circa maxima? Nemo enim tolerantior malorum eſt. Mors autem maximè omnium rerum eſt horribilis, quippè cùm terminus ſit, nihilque amplius homini mortuo neque bonum, neque malum eſſe videatur. Sed neque circa mortem quamlibet verſari fortis videtur, ut ſi in mari vel morbo contigerit. Circa qualem igitur verſabitur? An circa eam, quæ in pulcherrimis rebus contingit, cujuſmodi ſunt, quæ in bellis oppetuntur, in maximo ſcilicet & pulcherrimo periculo? His conſentiunt etiam homines, qui à civitatibus & Regibus inſtituti ſunt. Ille itaque vir fortis dicetur propriè, qui circa præclaram mortem impavidus fuerit, circaque ea, quæ mortem adferunt, cùm proxima ſunt. Ejuſmodi autem maximè ſunt, quæ in bellis occurrere conſueverunt.

CAPVT II.

Quodnam ſit officium fortitudinis.

Fortitudinis officium duplex eſt, Aggredi & ſuſtinere ſeu ſubire & perferre. Ad aggrediendum opus eſt promptitudine quâdam animi ad periculum ſubeundum, quam præſtat Confidentia; deinde ſtrenuitate ad exequendum, quam tribuit Magnanimitas, quæ nihil aliud eſt, Cicerone teſte, quàm rerum magnarum & excelſarum cum animi ampla & ſplendida quâdam propoſitione cogitatio & adminiſtratio. Ad ſuſtinendum duo requiruntur. Inprimis ne malorum difficultate aſperitateque animus frangatur; ad quod patientia juvat. Deinde ne malorum diuturnitate fatiſcens, quæ benè inceperit, abrumpat ac deſerat; quàm ad rem auxilium perſeverantia conſtanſque propoſitum præbet, Vtrumque non tantùm fortiter animoſeque fieri debet, verum & etiam prudenter. Quippè viri fortis non eſt inconſiderate temereque quicquam ac nullo conſilio ſuſcipere; ne non rectâ ratione, ſed impetu tantum moueri videatur. Porrò hæ duæ officii partes hæc omnia complectuntur. Ad pericula intrepidum, in malis conſtantem eſſe: mortis metum in animum non admittere, aut admiſſum expellere, & turpi vitæ honeſtam mortem anteferre. In omnibus vt laboribus durare non frangi, non vinci, imò vincere. Quæ omnia vt fortitudo præſtet, comites illi adſunt Generoſitas ſeu Virilis animi impetus, Fiducia & Audacia. Miſceri verò Induſtria debet. M. Cicero lib. 2. quæſt. Tuſcul. *Appellata eſt ex viro virtus, viri autem propria maximè eſt fortitudo: cujus munera duo maxima ſunt. mortis doloriſq́. contemptio. Vtendum eſt igitur iis. ſi virtutis compotes, vel potius ſi viri volumus eſſe, quondam à viris virtus nomen eſt mutuata.* Quippè Fortitudo *timidorum eſt contemptrix, quæ terribilia ſunt, & ſubjugunt libertatem noſtram mittentia, deſpicit, prouocat, frangit,* vt ait Seneca Imò eodem teſte, Eſt *munimentum imbecilli-*

imbecillitatis humanæ inexpugnabile, quod qui circumdedit ſibi, ſecurus in vitæ obſidione perdurat.

Additamentum.

DVplex hic ponitur, Suſtinere & Aggredi: ſeu ferire. Ex 3. Eth. cap. 7. Colligitur officium hoc duplex, Metuere & confidere, ut oportet. Non enim vir fortis omnis metus eſt expers, ſed aliquid humani etiam patitur, & interdum extimeſcit, cùm recta ratio jubet. Idem verò confidit, ut par eſt, & utrumque facit agendo patiendoque. Metuit ut oportet Ariſtoteles, teſte Æliano, lib. 3. Variarum Hiſt. cùm iudicium Athenienſium fugit. Item Alcibiades ad dicendam cauſam è Sicilia revocatus, cùm diceret ſtultum eſſe judicium quærere, ſi liceat fugere. Cui cùm diceretur; Non te ergò Patriæ credis? Ne matri quidem, inquit, vellem; timerem enim ne fortè per imprudentiam nigrum calculum pro candido ſubmitteret, ut refert Ælianus lib. 13. Var. Hiſt. Ariſtippus Impendente naufragio expalluit, cui cùm Vector quidam vitio verteret, & ſe mortem non formidaſſe diceret, Quoniam, inquit, non de pari anima mihi tibique metus fuit. Gellius lib. 19. cap. 5. De Aggrediendo & ſuſtinendo num. 6. dicemus.

CAPVT III.

Quæ ſint Fortitudinis partes ſeu ſpecies.

FOrtitudo cùm in periculorum ſuſceptione, inque doloris & malorum perpeſſione verſetur, quatuor illi formæ ſeu ſpecies ſubiiciuntur. Fidentia & Magnanimitas, quæ ad ſuſceptionem conducunt; Patientia & Perſeverantia; quæ ad perpeſſionem referuntur. Addit his Macrobius lib. 1 in ſomnium Scipionis, Securitatem & Conſtantiam: hæc ſub perſeuerantia eſt, illa ſub Fidentia. De illis ſygillatim poſtea. *Quatuor ſunt eius partes.*

Additamentum.

FOrtitudinem aliqui faciunt Generalem & Specialem. Illa circa omnia mala ſimul & bona verſatur, multaſque complectitur virtutes; hæc circa mortem occupatur. Aliqui in privatam & publicam dividunt. Privata metus & confidentiæ modum in vita privata ſervat: Publica vel bellica eſt, quæ in armis rem ſtrenuè gerit; vel Togata, quæ in pace. Partes & ſpecies hic à nobis enumeratæ deinceps ſuis capitibus ſingulæ explicabuntur. Non deſunt, qui has virtutes non ſpecies fortitudinis, ſed actus eius quoſdam eſſe dicunt. Vtrumque tamen dici poteſt. Virtutes enim, quæ ſpecies fortitudinis ſunt, ſuos quoque actus habent, qui fortitudinis ſunt.

CAPVT IV.

Quænam vitia Fortitudini opponantur.

EXtrema duo ſunt vitia, inter quæ Fortitudo eſt interjecta, audacia & Timiditas. Audacia eſt inconſiderata periculorum aggreſſio. Nimirum cùm quis non exploratis viribus ſuis, nec cognitâ ſatis difficultate cœco impetu in periculum ruit; vel quia deſperat, vel quia nimis avidus gloriæ eſt, vel fortaſſis nimis ſtupidus ac vecors. De Audacia inter Affectus diximus; hic pro vitioſo animi habitu capitur, qui quia conſilium rationemque non adhibet, fortitudini contrarius eſt. Timiditas vitium eſt in timendo excedens, & in audendo deficiens. Per eam enim ſine cauſa quis terrore percellitur, & quouis ſtrepitu terretur. Ignaui eſſe & mollis animi hoc vitium ſolet, quod dum honeſtum laborem fugit, ea reformidat, quæ pro virtute fortiter eſſent obeunda, ſicque ſibi dedecus & turpitudinem acceſſit. *Audacia & Timiditas.*

Addi Intimiditas, vt appellant, ſolet, quæ iuſti timoris eſt vacuitas; ſeu quidam in timendo defectus. Neque enim fortitudinis tantùm eſt timorem reprimere, ne excedat, verum etiam excitare quandoque, ut malum, quod vires ſuperat, & cujus ſuſtinendi nulla iuſta cauſa eſt, declinetur. Ita timere

mere oportet fulmen,naufragium, terræ motum, vim hoſtium majorem, & quæ manifeſta ſunt mortis pericula. Oritur ex eo hoc vitium inprimis, quod vitam ſuam quis contemnat. Ita quippè comparatum eſt, vt id admittere nequaquam timeamus, quod contemnimus. Deindè ex ſuperbia, quæ & nimiam fiduciam gignit,& aliorum contemptum parit,ac ſic timorem excludit Tum ex quadam animi ſtoliditate. Sic Ariſtoteles *Furioſos nihil timere* ait. Eædem ferè ſunt audaciæ cauſæ, quam gignere quoque inanis gloriæ appetitus & jactantia ſolet. Iactabundi ſunt, quicunque audaces ſunt, antè pericula præproperi, in periculis remiſſi, Tum autem projecta eſt audacia,cum cœco impetu projicitur vita.

Additamentum.

AVdacia & timiditas. De priore diximus lib. 2. inter affectus iraſcentis appetitus. Timiditas eſt in metuendo exceſſus, & in confidendo defectus. Ita fit, ut à moderatione deflectat, dum nimirum, mala majora, bona verò minora, quam par eſt, menti obverſantur. De hac proverbia ſunt. Quid ſi cœlum ruat? Ad ſoricis ſtridorem expaveſcere. Cervinus vir. In pulicis morſu Deorum opem implorate. Timidi nunquam ſtatuerunt trophæum. Eccleſiaſtes cap. 11. Qui obſervat ventum nunquam ſeminat; qui conſiderat nubes, nunquam metet. Vulgatum eſt, Ignavi vertitur color. Ludovicus Bavaras, teſte Cuſpiniano,& Franciſci Gonzagæ Affinis, teſte Scaligero, unâ nocte præ nimio metu cani ſunt facti. Tanta vis timiditatis eſt. Mauritius Imp. cùm Phoram timidum eſſe audiviſſet, Si timidus eſt, inquit, homicida eſt, ut referunt Cuſpinianus & Zonaras lib. 3. Annalium. Timiditatis arguitur Drances apud Virgilium lib. 11. Æn.

Largus opum & lingua melior, ſed frigida bello
Dextera, conſiliis habitus non futilis author,
Seditione potens.

Item Demoſthenes, qui apud Chæroneam, abjecto clypeo, cui inſcripſerat, Bonâ fortunâ, primus fugit. Item Aratus Scipionis, vir prudens in conſiliis, ſed in acie meticuloſus, de quo adverſarii dicebant, Prætori Achæorum inſtante prælio aluum moveri,& ſonantibus tubis vertigine ac ſopore corripi. Alexander Pheræus ita timidus erat, ut ad conjugem non ingrederetur, niſi præmiſſo ſtipatore, qui arculas muliebres ſcrutaretur, ne aliquod telum lateret. In lectum ponte tranſcendebat, ac poſtea tollebat, ne poſſet adiri. Similia & plura alia de Dionyſio Tyranno referuntur à Cicerone in Offic. Plutarcho, Valerio Max, & aliis. Zenodorus & Suidas de quodam ſcribunt, qui auditâ Herculis famâ in ſpecum ſe abdebat; cùm verò illum ſemel prætereuntem vidiſſet, metu examinatus corruit. Porrò hæc timiditas vel à natura eſt, vel ab educatione ſervili, vel ex recordatione præteritorum malorum, vel ex conſcientia ſcelerum. Videnda ea quæ lib. 2. de Timore ſunt dicta.

CAPVT V.

Quis vere ſit fortis, & quomodo fiat?

Deſcriptio viri fortis.

FOrtis eſt, qui ad honeſtam mortem,& ad ea omnia,quæ formidoloſa ſunt, promptus paratúſque eſt, & nullo tumultu turbatur,nullaque formidine concutitur,ſed ea fert,ut ratio dictat,honoris decoriſque gratiâ. Is enim viri fortis eſt finis, difficilia periculoſaque ſubire & perferre, ne ab honeſto diſcedat.

Fortem à Fortuna exiſtere,quidam credunt, quod debilis ſit virtus niſi à fortuna adjuvetur. At plus æquo illi fortunæ tribuunt. Vir fortis neutiquam fortunæ ſuccumbit; & animus virtute ſtabilis fortuna nunquam frangitur, Virtus à ſe ipſa non diſcedit, fortunamque ridet & contemnit. Nonnulli à corporis viribus fortitudinem promanare dicunt; quod vires ſpiritum addant,& audaciam. Multum illæ ſanè proſunt,& nervoſi, qui lacertorum toris excellunt, multum poſſunt. At verò hæc animi virtus eſt, non corporis tantùm robur;& ſæpè vbi magna corporis infirmitas eſt,animus virtute ſua fortis & invictus exiſtit. Quorundam opinio eſt,gloriæ cupiditate fortes exi-

ſtere

ſtere homines ſolere. Sit ſanè ea cupiditas ſtimulus quidam. Honor & ampliſſimi triumphi ad pericula ſubeunda excitant.

Vnde igitur vir fortis exiſtit? A voluntate & quâdam iraſcentis animi vi. Illa imperat cum conſilio, hæc ſeſe commovet & obtemperat. Illius imperium per virtutem eſt, quæ rationis conſideratione vtitur, vt nihil inſit aut temeritatis, aut audaciæ.

Exiſtit prę voluntatem imperantem & iram obtemperantem. Tria vero ad illam requiruntur.

Cæterùm ad veram in viro forti fortitudinem neceſſaria ſunt tria. Inprimis certa periculorum ſeu difficultatum cognitio. Nulla ſine cognitione virtus eſt. Contemnere periculum nemo poteſt, qui periculum non novit. Qui quod aggrediuntur non ſatis norunt, paulò pòſt in executione deficiunt. Certè Fortitudo, vt cum Seneca dicam, *non eſt inconſulta temeritas, nec periculorum amor, nec formidabilium appetitio; diligentiſſima in tutela ſui fortitudo eſt, & eadem patientiſſima eorum, quibus falſa ſpecies malorum eſt.* Secundò firmum iuſtè honeſteque agendi propoſitum, quod nec difficultate deterreatur, nec levi inconſtantia mutetur. Æſtimatio hominis ab animo eſt, & voluntate, non à robore. Verè fortis eſt, cuius animus non movetur, In hoc cardine voluitur honor. Vrge, ure, contunde, impelle, ſi cadat aut ſuccumbat vir fortis, vis eſt fortunæ, non hoſtis victoria. Sæpè generoſiſſimi ſunt infortunatiſſimi. Accuſanda infelicitas eſt, non arguenda imbecillitas. Fortem verba non efficiunt, nec minax vultus, nec ſuperbus corporis geſtus; plus in ſpecie tali eſt, quàm in mente. Tertiò diſcreta & prudens executio, Nihil omninò timere, nullo metu percelli, nec quicquam cavere aut declinare, non ſanè eſt fortè eſſe. Magna & laudabilis ars eſt cavendi. Vincere ſcit, qui opportune fugere cedereque novit. Qui retrocedit diſcretè, ſæpè vincit glorioſè. Fortium virorum exempla plurimum ad fortitudinem acquirendam valent. Iis enim animo propoſitis minuitur timor, & audaciâ excitatur.

Additamentum.

ARiſtoteles 3. Eth. cap. 6. ſic fortem deſignat. Ille itaque vir fortis propriè dicitur, qui circa præclaram mortem impavidus fuerit, circaque ea, quæ mortem afferunt, cùm proxima ſunt. Ejuſmodi autem maximè ſunt, quæ in bello occurrere conſueverunt. Verumtamen & in morbis vir fortis impavidus eſt. Cauſæ, quę fortem efficiunt non eædem aſſignantur. Quidam ex contemptu vitæ fortem exiſtere putant. Itamus belli dux apud Antigonum fortiſſimus fœdâ & occultâ valetudine laborans vitam ſuam contemptui habebat. Id eùm Antigonus comperiſſet medicorum undique accerſitorum operâ curari eum juſſit. Valetudini optimę reſtitutus ignavior eſt viſus, rogantiq; cauſam Antigono: Tu me, ait, ô Rex, ignavum reddidiſti, qui me his malis liberaſti, per quæ vitam amittere cupiebam, periculiſq; me objiciens fortior eſſe videbar. Alii à fortuna fortitudinem exiſtere putant. Nam Sophocles virtutem imbecillem eſſe ait, niſi à fortuna adjuvetur. Hinc alius eſt hominum animus in proſperitate, alius in adverſitate; in illa erectus, in hac planè dimiſſus languenſque, & inopiæ infelicitatique cedens. Proverbium vetus eſt, *Omnia metuit, qui omnibus indiget.* Opinantur alii fortitudinem à viribus corporis eſſe; is qui fretus eſt, animum & audaciam ſumit. Hinc Achilles apud Homerum gloriatur membrorum robore, luctatione, pedum celeritate ſe alios anteire. Robore corporis clarus fuit inprimis Milo Crotoniates, qui per ſtadium bovem vivum portabat; malum punicum manu compreſſum ita tenebat, ut extorqueri nullâ vi poſſet, aut elidi; peruncto diſco ita inſiſtebat, ut dimoveri non poſſet; nervum circa caput fortiter ligatum intumentium venarum ſanguine rumpebat. De illo Pauſanias, Herodotus, Strabo, Plinius & alii. Deinde Titormus bubulcus, qui lapidem, quem movere Milo non poterat, in humeros ſuſtulir, & per orgyas octo portavit; taurum apprehenſum ita tenuit, ut aufugere non poſſet. Quod cùm eſſet Milo conſpicatus, O Iupiter, inquit, num hunc alterum nobis Herculem dediſti? De illo Ælianus lib. 12. & Cœlius lib. 21. cap. 36. Item Polydamas Scotuſſæus, qui leonem in Olympo monte obvium ſine ullis armis occidit; taurum pede apprehenſum ita tenuit,

nuit, ut aufugere non niſi relictâ in eius manu ungulâ potuerit; concitatas bigas eodem in veſtigio ſtans injectâ tantùm manu facilè retinebat & earum curſum ſiſtebat. Pauſanias de illo lib. 6. Quid de his & ejuſmodi aliis ſentiendum ſit hic explicatur.

Ne quis verò putet fortitudinem in bello tantùm ſe prodere, cujus exempla in omnibus hiſtoriis ſunt, lubet hic virorum in fuga fortium exempla dare. Togatâ fortitudine præſtitit Fabricius, de quo dixiſſe Pyrrhum Eutropius refert, Ille eſt Fabritius, qui difficilius ab honeſtate, quàm ſol à curſu ſuo poteſt dimoveri. Item Phocion Athenienſis, qui, cùm oraculum dixiſſet unum eſſe Athenis virum, qui omnibus adverſaretur proptereaque populus tumultuaretur, ſurgens, Ego, inquit, ſum is ipſe, cui nihil eorum placet, quæ in Rep. geruntur. Idem cùm ad mortem duceretur, roganti cuidam, quid filio nunciari vellet, ut hujus, inquit, injuriæ nunquam meminerit, teſte Plutarcho. Scævola Augur rogatus ſententiam de Mario hoſte Reip. judicando, dicere recuſavit, dixitque Sullæ, licet agmina oſtentes, & mortes, ut hoſtem Reip. illum judicem, à quo urbs & Italia ſervata eſt. &c. Videri poſſunt, quæ poſteà de Conſtantia dicuntur.

CAPVT VI.

Vtrum præſtantius ſit Aggredi, an Suſtinere?

Militare proverbium eſt, *Duplicatis viribus aggrediendos eſſe obſeſſos.* In aggrediendo igitur major laus eſſe videtur. Eſt tamen & præſtantiùs & glorioſus ſuſtinere patique. Vno impetu aggredi quis poteſt, & grande arduumque aliquid movere, ut illata vis ſuſtineatur opus eſt tempore. Qui citò oritur, durat tamen impetus, nec quæ momento vis infertur, momento conſumitur. Immotum verò animum & invictum tenere difficiliùs eſt, quàm vires ſubitò exerere. Non meliùs amici mutuum ſuum amorem profitentur, quàm parato perferrendi quidvis animo. Probatio amoris honeſta perpeſſio eſt. Neque quiſquam æquo animo aduerſa, at plurimi ſunt, qui cum magna alacritate hoſtem invadant, ubi primi impetus ardor deferbuit, animo concidunt, & cruorem ſuum trepidi reſpiciunt.

Additamentum.

Hanc quæſtionem ita aliqui determinant. Honorabilius eſſe res magnas gerere, ſed difficilius adverſas tolerare. Cum hoſte enim manus ſtrenuè conſerunt interdum audaculi, ſed mala perpeti graviora nonniſi fortes poſſunt. Nos hic perpeſſionem aggreſſione potiorem judicamus; ſeu ſuſtinere præſtantius eſſe, quàm aggredi. Id inſinuat Ariſtoteles 3. Eth. c. 9. his verbis. Quamuis circa fiducias & timores verſetur fortitudo, non ſimili modo tamen in utriſque, ſed in timendis rebus magis ſpectatur. Qui enim in his imperturbatus fuerit, ſicutque debet ſe geſſerit, is magis eſt fortis, quàm qui in illis, quæ fuduciam afferunt. Tolerandis igitur moleſtis rebus homines, ſicut dictum eſt, fortes dicuntur. Vnde etiam moleſta res eſt fortitudo, & meritò laudatur. Quippè cùm moleſta ſuſtinere, quàm à jucundis abſtinere, difficilius ſit. Ita ille. D. Thomas 3. Eth. lectione 18. Difficilius, inquit, eſt ſtare contra fortiorem, quàm inſurgere in æqualem, vel minorem. Hanc rationem adfert Ægidius lib. 1. de regimine Principum, Quod qui aggreditur, malum ut abſens, & tantùm forte futurum concipiat, is verò qui ſuſtinet præſenti malo urgetur. Niti autem adverſus malum præſens difficilius & laudabilius eſt, quàm adverſus futurum.

CAPVT VII.

An qui ſeipſos interficiunt fortes ſint dicendi.

Ita plurimi putauerunt.

IN omnium ore Lucretiæ Romanæ laus eſt, quæ paſſa ſtuprum à Sexto Tarquinio demerſo in pectus ſuum ferro vita eſt iniuriam, & pollutum ſanguinem cum vita profudit. Et ille Cato, magnum Reip. Romanæ decus, maluit ſuâ manu ſibi vitam eripere, quàm à victore Iulio Cæſare ad triumphum rapi. Themiſtocles etiam ſummus apud Athenienſes Imperator cùm

tor cùm patria pulſus inuidiâ quorundam eſſet, & belli adverſus Græcos ſuſcipiendi à Perſarum Rege conſtitui dux deberet, veneno maluit ſeipſum interimere, quàm patriam debellare. Plures alij ſunt, etiam ex antiqua illa Philoſophorum Familia, Cleantes, Chryſippus, Zeno, Empedocles, qui non pigrâ manu ex corporis mortali carcere animam ſuam eduxerunt. Pulchriùs eſſe tandem mori ſibi perſuadebant, quàm aut animi aut corporis cruciatibus torqueri, vel durum ſervitutis iugum liberâ cervice pati, Terminandam potiùs honeſtè vitam, quàm è faſtigio dignitatis turpiter cadendum. Glorioſiùs Hannabili fuiſſe ex annulo ſuo mortem haurire, quàm eandem à Lictoribus Romanis expectare. Eximiæ indolis ſignum videri, deſerere malle vitam, quàm cum dedecore illam degere. Apud Maſſilienſes venenum cicutâ temperatum publicè aſſervabatur pro ijs, qui cauſis Senatui explicatis ſapienter excedere, & celerem fati viam quærebant. *Si inutile eſt miniſterium corporis* inquit Seneca, *quid ni oportet educere animam laborantem? Proſiliam ex ædificio putrido ac ruenti*. Non inhoneſtè ſtationem miles deſerit, cùm ab hoſte cogitur. Qui ſaluti fugiendo conſulit, veniam meretur. Idem Seneca ex Stoicorum ſenſu. 3. de Ira. *Quocunque reſpexeris, ibi malorum finis eſt. Vides illum præcipitem locum? illac ad libertatem deſcenditur. Vides illud mare, illud flumen, illum puteum? Libertas illic in imo ſedet. Vides illam arborem breuem, retorridam, infelicem? Pendet inde libertas. Vides iugulum tuum, guttur tuum, cor tuum? Effugia ſeruitutis ſunt. Nimis* inquies, *operoſos exitus monſtras, & multum animi ac roboris exigentes. Quæris igitur, quod ſit ad libertatem iter? Qualibet in corpore tuo vena*, Certe vnam naſcendi viam Natura dedit; ſed mille moriendi. *Sapiens viuit, quantùm debet, non quantùm poteſt, Si multa occurrunt moleſta, & tranquillitatem turbantia, emittit ſe: nec hoc tantum in neceſſitate vltima facit, ſed cùm primum illi cœperit ſuſpecta eſſe fortuna. Nihil exiſtimat ſua referre, faciat finem, an accipiat*. Epicurus. *Malum eſt, in neceſſitate viuere. Sed in neceſſitate viuere neceſſitas nulla eſt*. Quippè, ut expreſſit Fabius. *Nemo, niſi ſuâ culpâ, diu dolet.*

At verò impia hæc & falſa opinio eſt, nec illi ſanè fortes, qui mori maluut, quàm quicquam perpeti. Dicam cum Poëta.

—— Qui ſibi lethum
Inſontes perperere manu, lucemq́; peroſi
Projecere animas, quam vellent æthere in alto
Nunc & pauperiem, & duros perferre labores:

Inprimis retinendus in corporis cuſtodia animus eſt, donec migrare ille jubeat, à quo datus. Quippè aſſignatum à Deo munus humanum deſugere injuſſu eius non oportet. Ideò Pythagoras, Cicerone teſte de Senectute, injuſſu Imperatoris, id eſt, Dei, de præſidio & ſtatione vitæ diſcedere eſt nefas. Et rectè Apulelus, *Sapiens corpus non relinquet inuito Deo*. Qui furtiva diſceſſione è vita abit, non miſeriam vitat, ſed cumulat. Igitur vim vitæ ſuæ adferre non licet. Imò neque fortis eſt viri. Quippè imbecillitatis eſt id fugere, quod ferre non poſſis. Qui vitam propter caſum aliquem exuunt, impares ſe ei ſuſtinendo declarant. Et qui dolore aliquo moti vitalem auram ſibi eripiunt, dolori ſuccumbunt, quem ſuperare fortitudinis eſt. Benè proinde Ariſtoteles in Eth. *Mori ob inopiam, aut amorem, aut aliud moleſtum, non eſt fortis viri, ſed timidi. Mollities enim eſt fugere difficilia & aſpera. Neque mortem, vt bonum ſuſtinet, ſed malum fugiens*. Et Q. Curtius lib. 5. *Fortium virorum eſt magis mortem cõtemnere, quàm odiſſe vitam. Sæpè tædio laboris ad vilitatem ſui, compelluntur ignaui: at virtus nihil inexpertum omittit. Itaque vltimum omnium mors eſt, ad quam non pigre ire ſatis eſt*. Iura omnia & Leges vetant. Illud Naturæ ius, quod omne ani-

mal ad ſui conſeruationem excitat. Illa Diuina Lex, *Non occides*, non te, non alium. Nemo ſibi vitam dedit, eripere ſibi nemo debet. Illud ciuile ius, quod etiam pœnâ eos afficit, qui violentas ſibi manus inferunt. Carere enim honeſta vult ſepulturâ, & dedecus ludibriumque addit. Morale etiam præceptum eſt, legitimum ſubire periculum, non fugere. Et ipſa Politica ratio vetat clue aliquo Rem. priuare. Vere Martialis,

Fortiter ille facit, qui miſer eſſe poteſt.

Addo fortitudinis hæc præcepta ex Poëtis. Virg.

Quicquid erit ſuperanda omnis fortuna ferendo eſt.

Idem.

Tu ne cede malis, ſed contra audentior ite
Quo tua te fortuna vocat.

Item.

Piſtillum, ut pariter, miſto terit omnia ſucco
Sic patiens virtus omnia dura terit.

Additamentum.

SVnt, qui ita crediderunt, nos hic negamus. Negat & Ariſtoteles 3. Eth. cap. 7. Eos fortes, qui fugientes inopiam & amorem, aut aliquid alterius rei moleſtæ ſibi lethum conſciſcunt. Recte Martialis libro 11. Epigrammatum 57.

Rebus in anguſtis facile eſt contemnere vitã,
Fortiter ille facit, qui miſer eſſe poteſt.

Plato in Phædone, Cùm anima ſit nobis in cuſtodia data, nemo pro vita eam extrudere poteſt. Iterum Martialis:

Vt mortem fugeret, ſe Iennius ipſe peremit,
Hic, rogo, non furor eſt, ne moriare mori?

Crudelis eſt, qui ſeipſum occidit, quod ne beſtiæ quidem faciunt; Ingratus eſt, qui opem ſuam patriæ ſubſtrahit; degener eſt, qui ſpem abjicit, quæ ultima hominem relinquit; Stolidus eſt, qui pro dubiis & levioribus malis certum ſibi exitum adfert. Non itaque probandum illud Ciceronis lib. 7. Epiſt. Vbi non ſcis, qui fueris, non eſt quod velis vivere. Neque illud Sirent apud Ciceronem libro 1. Tuſculanarum quæſtionum. Optimum eſſe homini aut non naſci, aut ſimul atque natus ſit, mori. Fortitudinis veræ cauſa eſt recta ratio, ſuiipſius occiſionis deſperatio, furor, rabies, belluina feritas. Suiipſius occiſio legibus prohibita eſt divinis & humanis; ideò illi ignominia ſepulturæ additur, qua de re Iuriſconſulti. Factum Lucretiæ tot picturis & elogiis prædicatum non tanti eſt, quanti vulgus æſtimat. Dici hic poteſt illud vulgatum, Non quilibet lapis albus eſt adorandus. Nec omnia virtutis ſpecie ſucata ſunt honeſta. Pati debuiſſet mortem ſibi inferri, antequam vis pudori inferretur. Rectè factum à Mileſiis, qui cùm ipſorum virgines furore quodam percitæ ſuſpendio vitam finirent, eas nudas cum eodem laqueo, quo erant prævinctæ, efferri, & pudenda cum turpitudine ad ſepulchra trahi juſſerunt. Vt nimirum pudore tam inhoneſti funeris à morte voluntaria deterrerentur. Cleombrotus Ambraciota cùm legiſſet opus de animarum immortalitate, vitæ futuræ cupiditate ſe in mare ex muro dejecit, ut refert Cic. 1. quæſt. Tuſculanarum. Sed non opus eſt iſta feſtinatione. Multa perferenda ſunt, priuſquam in vitam nobis promiſſam migremus.

CAPVT VIII.

Quæſtiunculæ aliquot de fortitudine.

De contemnentibus vitam. AN, *qui vitam contemnunt, fortes ſint dicendi?* Nequaquam ſanè. Sicut enim fuga mortis omni morte deterior eſt, ita morti ſine iuſta ratione ſe objicere hominis eſt inſani. Pulchre dixit Martialis.

Summum nec metuas diem, nec optes.

Nec auide enim viuendum eſt, nec libenter moriendum, ut putabant Lacedæmonii, ſed utrumque per rationem & virtutem dimetiendum eſt.

De incendiariis & furibus II. *An incendiarii vel fures, dum patienti animo cruciatus ferunt, fortes ſint cenſendi?* Nequaquam etiam. Quippè in facinoroſis nulla virtus eſt, nec ſpontè illi libereque, ſed violenter coacteque perpetiuntur. Sunt & eiuſmodi turpia turpibus factis decreta ſupplicia; vnde infamia exoritur, quæ proſi-

proficiſci à virtute nunquam poteſt.

De injuriam ferentibus.

III. *An viri ſit fortis illatam injuriam patienter ferre?* Omninò. Fortitudinis enim eſt animum cohibere, ne ad ultionem conſurgat. Conviciatores omnes Philippus Macedonum Rex ſua patientia vicit, & ex inimicis amicos reddidit; quod Regium eſſet bene facere & male audire, ut Alexander Magnus aliquando etiam reſpondit. Qui injuriam illatam patienter fert, ſeipſum vincit fortiter. Celeberrimus ille Scipio Africanus ab ingrato populo patriâ pulſus hac una vindicta contentus fuit, quod inſcribi ſepulchro ſuo juſſerit, *ingrata patria non poſſidebis oſſa mea.*

De Ira.

IV. *An ira ad fortitudinem proſit?* Peripatetici ſortitudinem ſine ira lentitudinem eſſe dicunt, ipſa enim animi virtutem acuit & corporis vires excitat. Sine illa nihil expugnatur: ubi ejus impetus eſt, nihil eſt vinci, quod non poſſit. Hinc illud, *Nihil aſperum irato & dolenti militi videtur.* Vltionis honeſtæ plerumque cauſa. At verò, ut recta ſit, proficiſci à ratione debet, nec modum excedere, ut per eam tantùm pericula non ſubeantur. Facilè in temeritatem ira commutatur, potiſſimum cum arridet fortuna. Sæpius iram dolor ſequitur, quàm lætitia. Vt ergo ad fortitudinem proſit, ne ſit ſola, ſed cum deliberatione, ratione, electione. Carere ſtomacho & ſelle vir fortis poteſt, ſuaque tantum virtute niti. Neque enim veram ſortitudinem ira parit, ſed ſæpius ferociam; & dum facilè ſe inſinuat, rationis gubernaculum excutit.

De dolore.

V. *An dolor ad fortitudinem proſit?* Magnam omnino vim adfert dolor; & vulnerati, & injuria affecti animoſius conſurgunt, quia dolent. Philippus Alexandri magni pater cum miſſa ſagitta oculum ipſi excuſſiſſet, dolore percitus non prius telum euelli permiſit, quam hoſtem vltus eſt, & coram ſe laceratum vidit ſagittarium. Vera tamen ex dolore fortitudo non eſt, ſed impetus plerumque ſine ratione. Calcar quidem eſt quoddam dolor, at hunc non virtus imprimit, ſed perturbatio.

De cauendi cura.

VI. *An ad virum fortem pertineat ſibi cauere?* Viro ſorti cauendi cura perquam eſt neceſſaria. Laudatur Viriatus Luſitanorum Dux quod cauendi peritiâ plurimum præſtaret. Laudatur & Philippus Macedo, quod eadem arte inſignis eſſet. Nec aliud Veterum Romanorum iudicium fuit, qui ſiniſtram annulo militari, quod hominem clypeo protegeret, non dextram donabant Facinus pœnâ expiandum erat, ſcutum in pugna abieciſſe, non gladium aut haſtam, quod cauere ſibi potius oporteret, quam vulnus inferre. Suauis Epaminondæ mors fuit, cum clypeum non amiſſum intellexit.

Additamentum.

QVæſtionibus hic propoſitis nihil addemus, ſed alias ad eandem fortitudinem ſpectantes adferemus.

Quæſtio prima. An fortitudo Iuſtitiæ præſtet? Antiſthenes, teſte Laërtio, dicebat, Omnia hominibus optanda præter fortitudinem, quod omnia fortes occupaturi ſunt, poſſideotes verò, ſi timidiores, perdituri. Non eſt tamen conferenda fortitudo cum juſtitia, quæ omnium virtutum quædam complexio eſt. Ageſilaus, teſte Plutarcho, Si omnes juſti forent, aiebat, fortitudine non eſſet opus. Et verò ſine juſtitia fortitudo in crudelitatem degenerat.

Quæſtio ſecunda. An fortes ſint dicendi, qui duello certant? Ii non fortes, ſed temerarii & audaculi ſunt. Nam non rationem aut leges publicas ſequuntur, ſed inſania, odio, vindicta, & inanis gloriæ cupiditate ſtultiſſimi feruntur, & pericula adeunt non neceſſaria, & ſalutem ſuam proſtituunt. Caſſiodorus lib. 4. Epiſt. 1. Quid opus, inquit, homini lingua, ſi cauſam manus agat armata? aut unde pax eſſe creditur, ſi ſub civilitate pugnetur? Plura de Duellis lib. 4. Politicorum noſtrorum.

Quæſtio tertia. Vtrum difficilius ſit, res ſecundas, an adverſas moderatè ferre. Archytas majorem difficultatem in ſecundis rebus moderatè ferendis poſuit, quàm in adverſis. In iis enim difficillimum eſt modum tenere, cùm omnia ad votum

fluunt,

fluunt, & voluptates tacitè ſe nobis inſinuant. Hinc Ariſtoteles 2. Eth. cap. 3. ex Heracliti ſententia difficilius, ait, eſſe cum voluptate, quàm cum ira pugnare. Hinc etiam illa vulgata, Veritas odium parit, familiaritas contemptum, ſecuritas periculum, felicitas ſuperbiam & faſtum. Ovidius lib. 2. de Arte.

Luxuriant animi rebus plerumque ſecundis,
Nec facile eſt aquâ commoda mente pati.

Et ſapienter Publius Mimus, Fortuna cùm blanditur captatum venit. Et Gobrias ad Cyrum apud Xenophontem ſic ait: Videtur mihi, ô Cyre, difficilius eſſe, reperire virum, qui ſecundam, quàm qui adverſam fortunam bene ferat. Illa ſiquidem ad inſolentiam & faſtum, hæc ad moderationem omnes flectit. Et Cato Cenſorius in oratione pro Rhodienſibus apud Gellium lib. 7. cap. 3. Adverſæ res ſe domant & docent, quid opus ſit facto; ſecundæ res lætitiæ transverſum trudere ſolent à rectè conſulendo & intelligendo. Inveniuntur tamen qui res ſecundas moderate ferunt, ſed immoderatè adverſas. Vide Epiſtolam Sulpitii lib. 5. Epiſt. famil. Ciceronis. Eſt & fortitudo ſplendidior illuſtriorque, quæ in malis, quàm quæ in bonis occupatur.

Quæſtio quart. An fortes ſint, qui artibus Magicis ſe reddunt invulnerabiles? Nequaquam; id enim agere impium & furiale eſt, nec ſine Dæmonis opera, quodque plerumque in nervum erumpit; & ſæpè quem gladii plumbeæque glandes non vulnerant, laquei enecant, incendia & fluviorum gurgites abſumunt.

TITVLVS IV.
DE VIRTVTIBVS
Quæ Fortitudinis ſunt partes ſeu ſpecies.

CAPVT I.
De Magnanimitate.

quod ſit. MAGNANIMITAS eſt Virtus ad magna heroicaque opera in omni Virtutum genere inclinans. Seu Virtus ad maxima ſecundum rectam rationem tendens. Conſiſtit enim in excelſi atque invicti animi magnitudine inque robore ac firmitate ad res magnas gerendas. Dicitur quippè magnus ille animus, qui ad magna aſpirat, eaque ſola æſtimat, ac cogitat, parva negligit & deſpicit. Non ille tamen inflatus & arrogans, ſed gratus, modeſtus, apertus, ſimplex, injuriarum immemor, clemens, æterna ſpectans, humana deſpiciens, honoris, quam commodi ſtudioſior, ad dandum, quam accipiendum paratior, ac denique ſolam virtutem ſpectans. Nihil enim in rebus humanis præter virtutem eſt magnum, cum ea ſola hominis ſit bonum & ornamentum.

In quo verſetur. Verſatur hæc virtus in rerum ſola vulgi opinione magnarum contemptione, animique perturbationibus, vt ambitionis & auaritiæ refrænandis. Et cum magnanimum neque res adverſæ frangere, neque proſperè inſolentem reddere debeant, rectè Cicero duas magnitudinis animi partes conſtituit, vnam, quæ in proſpera fortuna, alteram, quæ in adverſa cernitur.

quod eius officium. Triplex autem magnanimitatis eſt officium. Primum magna & magno honore digna opera efficere, idque propter eorum excellentiam. Secundum eſt honorum appetitum moderari, ita vt neque eos multum appetat, neque amplius, quam par eſt, refugiat. Si deferantur, iis non extolli, ſed gerere ſeſe modorate debet. Neque tantum in appetitione honorum, ſed & in divitiis, & in omni ſecunda adverſaque fortuna cernitur magnanimitas, quæ moderationem in magnis, contemptum in parvis oſtendit. Tertium eſt humana parvi pendere, & quicquid fortunæ eſt obnoxium. Ariſtoteles 4. Eth. *Magnanimitas honoribus magnis, & qui à bonis viris tribuentur, mode-*

rate ille quidem lætabitur, tanquam ſuos, aut etiam minores ſit conſecutus. Seneca Epiſt. 37. *Magnanimi eſt magna contemnere, & mediocra malle, quam nimia.* Nimirum vbi honor conſiſtit.

Porro magnanimus nemo eſſe poteſt, qui non idem ſit vir bonus. Eius enim finis eſt honor, qui non niſi virtute paratur, & virtutis eſt præmium. Declarauit hoc M. Marcellus, qui ita Romæ Honoris templum exſtruxit, vt ad illud, niſi virtutis ædem, aditus non pateret. Non lucrum aut præmium magnanimus ſpectat, ſed gloriam nec effunditur lætitia, nec dolore remittitur.

Magnanimi hi ſunt mores,

Nihil niſi virtutis excellentiam admirari, & quod per naturam fieri poteſt, non magni facere.

Iudicium mentis firmum omnibus in negotijs ſervare.

Nihil ſimulare diſſimulareque, ut majus aut minus quicquam appareat.

Non opinionem, ſed veritatem ſequi.

Palam amare, palam odiſſe: nihil clam agere, & loqui manifeſtè.

Subiectis & ſupplicibus parcere, contumaces comprimere.

Honore magno a viris bonis oblato modicè delectari, ob res parvas delatum contemnere.

Beneficium beneficio majori compenſare.

Neminem vnquam, aut vix rogare; ſua induſtria aſſequi velle.

In Magnis pariculis, ubi honor agitur, vitæ non parcere; parvis periculis ſe non offerre.

Cum principibus excelſo animo agere, cum mediocribus modeſto.

Operam ſuam alteri libenter præſtare.

Cunctari ſemper, niſi celeritatem res magna poſtulet.

Non ad alterius, niſi amici, nutum vivere.

Injuriarum non meminiſſe; vilis enim eſt, qui perſequitur.

Non facilè admirari quicquam, niſi virtutis opus.

De hominibus alijs non cupidè loqui, nec aliorum dictis moveri. *Leo ad latratum canum vix lentus reſpicit.*

In rebus parvis aut neceſſarijs nec ſupplicare, nec conqueri.

Honeſtum ſemper vtili præferre.

Tardo uti ingreſſu, voce gravi, oratione ſedata & ſtabili.

Magnanimitati contraria ſunt duo hæc vitia, nimia animi elatio, & nimia eiuſdem abiectio. Stultum eſt inſolenter ac ineptè ſeſe iactare efferreque; turpè verò indecore ſe demittere, laborem fugere, in præclaris rebus languere. Præterea præſumptio, & gloriæ inanis ambitio. Præſumptio eſt nimia virium ſuarum confidentia, cùm quis quod ſuprà vires ejus eſt aggreditur. Ambitio eſt inordinatus honoris appetitus vel ex re non licita, vel ob eam, quæ non conueniat.

Additamentum.

MAGNANIMITATEM aliqui definiunt virtutem, quæ circa honores magnos moderatè amplectendos vel negligendos verſatnt. Secundum Picolomineum gradu 4. cap. 21. Eſt mediocriras rectè componens appetitum iraſcendi, & in magnis honoribus id conſtanter præligens, quod decet. Hinc Ariſtoteles 4. Eth. cap. 3. magnanimum illum eſſe, ait, qui magnis ſe dignium judicat, cùm magnis dignus ſit. Aliquando capitur pro communi virtutum omnium affectione, quâ vitioſæ perturbationes exprimuntur, & ad præclara quæque tenditur. Cicero 3. de Finibus, Qui magno eſt animo, inquit, atque forti, is omnia quæ in hominem cadere poſſunt, deſpicit & pro nihilo ducit. Materia propria Magnanimitatis eſt Honor, qui inter externa bona maximum; maximis autem dignus eſt magnanimus. Honorem verò appetit & ſequitur, accipit, cuſtodit, negligit, dimittit, ut oportet. Sine hac virtute omnes ferè alia-

rum virtutum conatus irriti ſunt. Nam ipſa eſt quædam generoſa mentis erectio adverſus difficultatem in virtutum exercitatione conſurgentem. Sed quoniam omnia ad hanc virtutem ſpectantia abundè hic explicantur, ea exemplis tantùm ſunt illuſtranda.

Magnanimus erat Alexander Magnus, qui cùm moneretur, ut in Olympiis curſu certaret, Facerem, inquit, ſi Reges adverſarios haberem, teſte Plutarcho in Alexandro. Idem cùm adhuc puer ægerrimè ferret patris victorias, Nihil ſibi reliqui fore, dicens, ſi pater omnia ſubegiſſet; alii verò dicerent, hæc ipſi parari omnia reſpondit, Parvi ſe ducere, quàm latè regnet, ſi gloriæ parandæ materia eriperetur. Idem vetuit, ne à quoque pingeretur, niſi ab Apelle, nec à quoque in ære ſculperetur, niſi à Lyſippo, artificibus præſtantiſſimis. Filius L. Fabii Maximi Conſul cùm in via patri occurriſſet in equo ſedenti, miſſo lictore iuſſit deſcendere, & ſi quid vellet Conſulem pedibus accedere. Tum Fabius ſubitò deſiliens filium amplexus, Sentis, inquit, fili, quibus imperes, & quàm ingentem ſuſceperis Magiſtratum. Ita Plutarchus in Fabio. Iulio Cæſari magnanimitas excitauit lachrymas, cùm Alexandri Magni res geſtas legeret, qui converſus ad amicos, Hâc ætate, inquit, quâ nunc ſum, Alexander devicit Darium, à me verò ad hunc uſque diem nihil adhuc præclari facinoris eſt geſtum. Cùm Xerxes in Græciam veniſſet, profugi quidam Arcades rogati ſunt, quid Græci agerent, reſponderunt illi, eos agere Olympia & certamina Gymnica equeſtriaq; ſpectare. Rurſus cùm peteretur, quod præmium certaminum iſtorum eſſet, reſpondiſſentque oleagineam eſſe coronam, tum Tigranes Artabani filius, Papæ, inquit, quos in viros induxiſti nos ad pugnandum, qui non pecuniarum certamen agitant, ſed virtutis. Ita Herodotus in Vrania. In honore contemnendo magnanimus fuit Ageſilaus, qui cùm à Thraſiis in Deorum numerum eſſet relatus, Si poteſtis, inquit, Deos facere, primum vos ipſos facite Deos. Idem cùm in ſolemni ludo minus honoratum accipere locum iuſſus eſſet, Oſtendam, inquit, non loco viros, ſed viros loco dignitatem adferre. Plutarchus in Laconicis. Auguſtus Cæſar, cum Mimo pronuntiant, ô Dominum æquum & bonum! populus, quaſi de Imperatore dictum foret, applauſiſſet, edicto vetuit, ne Dominus vocaretur, etiam à liberis ſuis, ut teſtis eſt Suetonius. Tiberius Cæſar noluit niſi à militibus Imperator appellari, & crebrò dicebat, Se Dominum eſſe ſervorum, Imperatorem militum, Principem reliquorum. Cumque Senatus Novembrem menſem, quo natus erat, Tiberium vellet appellari, ridens ait, Si vobis Cæſares tredecim fuerint, quid facietis? ita Dion.

Extrema magnanimitatis ſunt nimia elatio ſeu arrogantia & puſillanimitas. Incidit in nimiam iſtam arrogantiam Alexander Magnus, qui faſtidio Philippi patris Iovem Hammonium ſibi patrem adſcivit, & ſpreto mortali habitu, Deos æmulatus eſt. Vnde Lacedæmonii, cùm à Græcis poſtulaviſſet, ut Deus haberetur, hoc fecerunt decretum, Quoniam Alexander vult eſſe Deus, eſto Deus, teſte Æliano lib. 2. Item Caligula, qui ſe inter Caſtorem & Pollucem exhibuit adorandum, tamquam Iovem Latialem. Noctuque plenam & fulgentem Lunam ad amplexus & concubitus vocavit. Quoties fulmen de cœlo cadebat, lapides ipſe iaciebat proclamans, An tu me interficies, aut ego te? Sic Dion, Xiphilinus, Suetonius. Item Commodus Imperator, qui urbem, Senatum, exercitus, Commodianos voluit appellari. Puſillanimis verò fuit Perſeus Macedoniæ Rex ab Æmilio captus, qui ad victoris pedes abiectiſſimè provolvebatur. Item Claudius Imperator, qui à Græculo Oratore cùm dictum eſſet, Et tu ſenex, & tu ſtultus es, non auſus fuit hoc convitium ulciſci.

CAPVT II.

An probandum ſit moderatum honoris & gloriæ ſtudium?

Diſſimulare vel occultare naturam nemo poteſt. Infixit illa animis noſtris gloriæ cupiditatem, quam euellere nec ars poteſt, nec lex, nec ſupplicij metus. Vltima hæc eſt tunica, quam mortales exuunt, ut veterum quidam dixit. Animum cingit, animum excitat, incenſum ad honorem rapit. Quid ergò? rejiciendum omne honoris ſtudium? Nequaquam ſanè moderatum. Tolle gloriæ appetitum, & honeſtatis ſtudia iacebunt. Nemo ad præclara inflammatur, niſi laudis cupiditate. Hæc in diſcrimen trahit pro patria; hæc vtili honeſtum anteferre jubet; hæc ad ſtudium immor-

immortalitatis incitat. Ex hoc fonte Duces fortitudinem, Legiſlatores prudentiam, Philoſophi Sapientiam, Oratores Eloquentiam ſumpſerunt. In pueris, in viris, in ſenibus laudis eſt amor. Nec ab illo alieni ſunt barbari, nec illum contemnunt, qui tamen contemnunt. Eſt vnicum parandi honoris inſtrumentum, honoris deſiderium. Nemo deſes, qui gloriam cupit; ignavus eſt, qui nullam appetit. Regna non erunt, aut eſſe honor debet. Sit tamen *Modo*
hic modus, & citra ambitionem appetitus. Nolo enim gloriæ ſtudioſum *fiat ambi-*
malas artes ſectari, aut ab aura populari pendere. Nolo ambitioſum, qui *tio.*
nec priorem ferat, nec parem. Quippe ubi immodica gloriæ appetitio eſt, nec quies animi eſt, nec virtutis excellentia. Inſervit aliis, qui ambitioſus eſt, & vitæ ſuæ dominam multitudinem habet.

Additamentum.

PRobandum eſſe hic docemus. Cicero pro Archia, Trahimur, inquit, omnes laudis ſtudio, & optimus quiſque maximè gloria ducitur. Et lib. 1. Officiorum, Vix invenitur, ait, qui laboribus ſuſceptis periculiſque aditis non rerum geſtarum ſuarum mercedem deſideret gloriam. Hinc Philoſophi libris, quos ſcribunt de contemnenda gloria, nomen ſuum inſcribunt. Hinc opifices poſt mortem nobilitati volunt; Et Phidias ſui ſimilem ſpeciem incluſit in clypæo Mineruæ, cùm inſcrbere non liceret. Nec quiſquam à Muſis tam averſus eſt, qui non mandari verſibus æternum ſuorum laborum præmium patiatur. Themiſtocles, teſte eodem Cicerone, cùm quæreretur, quod acroama, aut cujus vocem libentiſſimè audiret; ejus inquit, à quo ſua virtus optimè prædicaretur. Et Alexander, ut refert Plutarchus, ad Achillis tumulum conſiſtens, O te felicem, ait, Achilles, qui lauc̈um ſuarum præconem Homerum inveniſti. Ad hunc naturalem appetitum accedunt honoris ſplendor, magnificentia, voluptas, & alia, quæ homines ad honorem magno impetu rapiunt. Porrò viam parandi honoris docuit Heraclitus, cujus ſententia eſt apud Ciceronem 2. Officiorum, Viam ad gloriam maximè compendiariam eſſe, ſi quis bonus eſſe ſtuderet. Et Socrates, Si quis, inquit, id ageret, ut talis eſſet, qualis haberi vellet. Itaque honor bonorum eſt virorum, & à bonis. Hinc Hector Nævianus, apud Ciceronem lib. 15. familiarium Epiſtolarum, à patre laudatus ob ſingulares animi virtutes; Lætus ſum, inquit, laudari me abs te, ô pater, laudato viro. Ea enim jucunda laus eſt, quæ ab iis proficiſcitur, qui ipſi in laude vixerunt. Accedit, ut ait Cicero 2. quæſtionum Tuſculanarum, quod honor alit artem, & omnes incendimur ad ſtudia gloriâ, jacentque ea ſemper, quæ apud quoſque improbantur. Erat turpiſſimis voluptatibus deditus Themiſtocles adoleſcens adhuc, ſed ad virtutem Milciadis trophæis fuit excitatus, teſte Plutarcho in ejus vita. Scipio Africanus etiam, cùm Xenophontem Socraticum in manu ſerpei haberet, laudabat ſemper illud qund diceret, eoſdem labores non æquè graues Imperatori eſſe, & militi, quod ipſe honos laborem leviorem faceret Imperatori. Iterum Themiſtocles, eodem Plutarcho teſte, cùm inſtaret Olympiæ celebritas, eo profectus in ſtudium proceſſit; & cùm omnes Græci ludis omiſſis in illum oculos conjicerent, & diem ſolùm in eo ſpectando conſumerent, & cùm plauſu admirationeque tantum virum peregrinis oſtenderent, lætus ad amicos dixiſſe fertur, Se jam laborum omnium, quos pro Græcia ſuſcepiſſet; fructum ubcrrimum reportaſſe. Plura de hon●re lib. 4.

CAPVT III.

De Magnificentia.

MAgnificentia, definiente Cicerone, eſt magnarum & excelſarum rerum cum ampla quadam propoſitione cogitatio atque adminiſtra- *quid ſit.*
tio. Diſtinguitur à Magnanimitate, quod hæc in actione virtutis magnitudinem ſpectet, Magnificentia verò in opere externo illam attendat. Pars proinde quædam eſt Magnanimitatis, & ab illa parvo diſcrimine ſecernitur. Ejus opera ſunt quæcunque magna, & publico vſui ſervientia, *quæ eius*
vt templa, collegia, cœnobia, & id genus; atque hinc magnis vti ſumpti- *opera.*
bus debet, & in illis cernitur. Philoſophus 4. Eth. *Qui ſumptus*, inquit, *facit*

in res vel parvas, vel mediocres, is non magnificus ſed qui in res magnas is demùm magnificus eſt judicandus. Servandum verò hic decorum. Nam eodem Philoſopho teſte, *Magnificentia eſt virtus in ſumptuum magnitudine ſeruans decorum.* Ita verò ſumptus magnus eſſe debet, vt ad rem ipſam ſit accommodatus; dignus erit reipſa ſumptus, ſi ſumptu res ſit digna.

Quod officium

Magnifici officium eſt magno ſumptu res magnas efficere, ubi ratio ſuadet, & copioſæ pecuniæ affectum moderari, ne aut ſuſcipere opus non audeat, aut ſuſceptum relinquat, aut inchoatum non decore perficiat. Nimius pecuniæ amor præclara impedire opera ſolet: illum magnificentia vincit, & regit. Peccant verò & magnifici non ſunt, qui ſumptus, vbi nec ratio, nec decorum exigit, profundunt. Indecora enim eſt ejuſmodi diligentia. Item qui in res paruas magnos faciunt ſumptus. Nam hi turpi iactantiâ ſeſe oſtẽtant. Strue ex cinnamomo conviuis ignem, ſterne hiſtrionibus purpuram, projice è menſa in fluvium argentea vaſa, nihil minùs, quàm magnificus es. Error hic eſt, non virtus; ſtultitia eſt, non ſplendor aut magnificentia. Quod ſi vel avaritia, vel animi quædam anguſtia neceſſarios operi magno ſumptus neget, tollitur magnificentia. Nec excedere proinde, nec deficere oportet. Regula ſit ratio ipſa, & dedecorum. Non quanti conſtet, ſe quam pulchrum ſit, cogitandum eſt. Admonebat Regem ſuum Iſocrates, vt in apparatu ſplendidiſſimus ſemper eſſet, & in ijs rerum ſumptibus magnificentiam oſtenderet, quæ perpetuum ex ſe fructum præberent. Iulius Cæſar neque impenſæ vnquam pepercit, vt amicos ſibi conciliaret. Græcas Latinaſque bibliothecas ſingulari munificentia ornavit, publicorum ædificiorum magnam omninò laudem meruit. Alexander magnus; ut erat Regijs omnibus virtutibus concinnatus, ita magnificentia excelluit, & vrbes quam plurimas incredibili ſumptu condidit. Anaxagoras Clazomenius cum Periclem inſtrueret, magnificentiam ad capeſſendam popularem potentiam plurimum valere dicebat. Regia hæc ſanè virtus eſt, à qua qui abeſt, vix laude dignum quicquam præſtat. Gloriabatur proindè non immeritò Auguſtus Cæſar, quod Romam lateritiam accepiſſet, marmoream autem relinqueret.

Additamentum.

Ariſtoteles lib. 4. Eth. cap. 2. Magnificentia, inquit, eſt ſumptus ſeu impenſa in magnis decora. Notæ viri Magnifici partim ad decorum, partim ad magnitudinem, partim ad impenſam ſpectant. Ad decorum, quia ſcientiam decori habet, & conſentaneos operi ſumptus facit; erogat non ad oſtentationem, & tamen cum hilaritate. Ad magnitudinem, quia expendit copioſè, largiter, prolixè, nec ad calculum; id attendit, ut opus pulcherrimum & decentiſſimum relinquat. Ad impenſam, quia illam honoratiſſimam æſtimat, quæ pluris æſtimatur in rebus verè magnis. Eæ verè magnæ ſunt, quæ diuturnæ, & cum publica utilitate, nec eos tantum qui in vivis ſunt, ſed omnem etiam poſteritatem delectant. Cic. lib. 2. Offic. Meliores, ait, impenſas eſſe, muros, navalia, portus, aquarum ductus, & omnia, quæ ad uſum Reipub. pertinent. Exempla Magnificentiæ ſunt, Salomonis qui templum Hieroſolymitanum, quo nullum in orbe magnificentius exſtruxit. Semiramis, quæ ut Babylonem conderet, cujus muri inter orbis miracula ſunt relati, ter decies hominum millia ad opus conficiendum adhibuit. Fuerunt autem ſeptem orbis miracula, 1. Dianæ Ephæſiæ templum. 2. Mauſolæum ſeu Mauſoli ſepulchrum. 3. Coloſſus Solis apud Rhodios. 4. Iovis Olympii ſimulachrum. 5. Muri Babylonici. 6. Pyramides in Ægypto. 7. Obeliſcus Semiramidis. Ad hæc addunt aliqui Archivum Cyri, quod arte prodiga Memnon fabricavit illigatis auro lapidibus. Capitolium Romanum, quo nihil orbis vidit ambitioſius, teſte Marcellino. Hortos Penſiles Babylone. Denique Salomonis Templum & thronum ſeu ſolum Regium. Hodie etiam in Hiſpania Eſcuriale conditum a Philippo II. Rege, & alia in Gallia, Germania, Italia, alibiſque opera rariſſima, quæ vetera non æquant modo, ſed ſuperant. Pompeius Romæ Theatrum ædifi-

ædificavit è lapide quadrato, quod hominum quadraginta millia capiebat, in cujus dedicatione ludos dedit in Circo, in quibus Leones 50. & 18. Elephanti cum armatis viris certabant, idq; diebus quinque. Valerius Maximus lib. 4. c. 8. Hiero Rex Siciliæ victis ad Thraſimenū Romanis miſit trecenta millia modiorum tritici, ducenta hordei, auri pondo ducenta quadraginta. Alexander in Aſiam trajecturus omnia amicis diſtribuit; devictâ Aſiâ omne æs alienum totius exercitus diſſolvit, cujus impenſæ ſumma erat novies mille octingentorum ſeptuaginta Talentorum, teſte Plutarcho in Alexandro. Omnes denique Imperatores, Reges, Principes, qui urbes extruxerunt, ut ex Hiſtoricis Geographicis conſtat. Item qui in Epiſcopatus, Academias, Collegia, Monaſteria ſumptus obſtupeſcendos ad nominis ſui immortalitatem fecerunt; quorum omnium temporum Annales meminerunt.

CAPVT IV.

De Fiducia.

Fiducia, quam Fidentiam M. Tullius appellat, eſt firma animi confiſio. Seu eſt virtus, per quam magnis & honeſtis in rebus certa cum ſpe multum animus ſibi fidit. Diſtinguitur ab audacia cognato illi vitio, quod comitem habeat prudentiam, & conſilio judicioque utatur; illa verò impetu & temeritate feratur. Subeunda enim pericula diligenter antè conſiderat, moderatam animi vim adhibet, quam ratio regit. Contraria Fiduciæ eſt Diffidentia, dejecta nimirum animi conſternatio. Cùm Perſa quidam iactantius Spartanis diceret, eos die ſequenti præ telorum multitudine ſolem non viſuros, *in umbra*, inquit, Leonidas, *commodius igitur pugnabimus. Vincendi initium fiducia eſt*, ait Pindarus. Eam à diuina mentis ratione proficiſci putat, à qua futura nonnunquam præſcire videmur. Scipio cùm oppidum humili loco ſitum obſideret, prominente illinc Veneris templo, iuſſit illuc profiteri vadimonia, tanquam tertio poſt die jus ibi redditurus. Ita præſens erat ejus animus, & ſuo fidens conſilio. Antonius Imperator, cùm à matre, quod ingentem vim auri conſumpſiſſet, reprehenderetur, nudatum oſtendens gladium; *Deſine*, inquit, *de pecunia ſollicita eſſe, quamdiu hunc habebimus, deerit nihil nobis*. Cavendum verò ne in ſuperbiam abeat fiducia.

Additamentum.

Seneca Epiſtola 104. præclarè expreſſit, quomodo cum hac fiduciæ virtute hominis natura conſentiat. Virus eſt, ait, hujus vitæ fluctantis & turbidæ portus, eventura contemnere, ſtare fidenter, apertè tela fortunæ adverſo pectore excipere, non latitantem, nec tergiverſantem. Magnanimos nos natura produxit, & ut quibuſdam animalibus ferum dedit, quibuſdam ſubdolum, quibuſdam pavidum; ita nobis glorioſum & excelſum ſpiritum, quærentem ubi honeſtiſſimè, non ubi tutiſſimè vivat; ſimillimum mundo, quem quantum mortalibus paſſibus licet, ſequitur æmulaturque. Profert ſe, laudari & aſpici geſtit. Dominus omnium eſt, ſupra omnia eſt. Itaque nulli ſe rei ſubmittit, nihil illi videtur grave, nihil quod virum incurvet. Eſt apud Dionem Orat. 8. fidentis animi ſimulachrum ex Diogene. Vir generoſus, inquit, labores putat eſſe maximos ſuos antagoniſtas, ſemperque amat cum his pugnare, tam noctu, quàm interdiu; non pro apio, quemadmodum mulieres, neque pro Oleaſtro aut pinu, ſed pro felicitate & virtute. Ne quem reformidet, non optabit alteri fortuitò congredi, ſed ultrò provocabit omnes ex ordine, cumque fame contendet & frigore, ſitimque ſuſtinebit, & virgis (ſi ita oportet) cæſus, & ſectus, & uſtus perferet, & nihilò magis debet manus. Paupertatem autem & exitium & contemptum, & ſimilia nunquam exiſtimabit ſibi gravia, ſed valde levia; & virum perfectum interdum illis ludere, quemadmodum pueri ſolent talis, & variegatis globis. Exemplum fiduciæ dedit Centurio quidam qui à Iulio Cæſare miſſus Romam, cùm intellexiſſet Cæſari imperium à Senatu non prorogari, admota ad enſis capulum manu, Hic utique prorogabit, ait. Cæſar in campis Pharſalicis pugnaturus Cajum Craſtinum decem tur-

marum Ductorem rogavit, quid de pugnæ eventu ſperaret, Tum ille dexteram protendens, Vinces, inquit, ô Cæſar, & me vivum aut mortuum laudabis, Vicit Cæſar & Craſtinum, qui fortiſſimè pugnando occubuerat, pro concione laudavit. Modeſta admodum fuit fiducia Androhadæ Spartani, qui ad eum, qui ſe viridebat, quod claudicans in aciem prodiret, ait, Vt pugnem, non ut fugiam, in aciem deſcendo. Senſerunt olim quidam Stoïci fiduciam rei eventum præſagire. Vſus eſt magna fiducia Apelles in Alexandrum Magnum, qui cùm ad officinam ſæpè veniens de pictura imperitè loqueretur, ſilentium ei indixit, quod à pueris colores terentibus videretur. Porrò modeſta eſſe fiducia debet, ne in arrogantiam abeat. Zeuxis cùm Helenam pinxiſſet, fidenter, ſed arrogànter quoque dicebat, ejuſmodi formam ſe animo comprehenſum fuiſſe, qualem ne læda cœleſti partu ediderat, nec Homerus divino ingenio exprimere potuerat. Nimiâ fiduciâ ſæpè Reges ſibi nocent & Regnis ſuis. Nocuit Alexander, qui monitus ne Babylonem intraret, monentem contempſit, & ea in urbe paulò pòſt obiit. Idem Iulio Cæſari evenit, cùm præmonitus eſſet, ne Idibus Martiis in Curiam veniret, ubi tribus & viginti ictibus confoſſus interiit.

CAPVT V.

De Patientia & Perſeruantia.

Deſinitio patientiæ. Quis ſit finis.

PAtientia eſt rerum arduarum ac difficilium voluntaria diuturnaque honeſtatis vel vtilitatis cauſa perpeſſio. Ita M. Cicero. Poſita eſt in voluntate, & iraſcentis animi facultate adiuvatur. Et cùm ſit firma conſtanſque rerum humarum tolerantia, quicquid adverſi accidit, æquo animo perfert. Finis ejus eſt, honeſtas; quæ cùm abeſt non tam patientia eſt, quàm animi quædam durities; ubi adeſt, gratiſſima & Deo, & hominibus eſt. Materia ejus mala ſunt, quæcunq; evenire poſſunt, vel certè triſtitia animiq; afflictio, quã occurentia, efficiunt mala in morbis, in morte, in cõtumeliis, & id genus.

Officium ejus eſt, quidvis, quod adferre mœrorem poteſt, æquo animo perferre, non turbari, non ſuccumbere, ſeu injuriæ ſint, ſeu quivis fortunæ caſus. Patiens enim dum patitur, vincit; & dum injuriam negligit, eam ſuperat: non ſibi ſumit, ſed Deo vindictam committit. Ingerant ſeſe calamitates, non frangitur: in exilio, in paupertate, in ſervitute, in orbitate, in morbis, in cœcitate non deſperat, Plena eſt miſeriis & ærumnis hæc vita, ſed patientiæ robur emollit.

Patientiæ contraria eſt Impatientia, fuga nimirum honeſti laboris & doloris; vel certè potiùs, animi mollities. Hæc dolorem metuit, malum omne reformidat, ideoque ſuccumbit. Si injuria illata ſit, ægrè & moleſtè fert. Vera patientia nec lachrymas novit, nec querimonias. Pati mavult, quàm improbè vel indecorè agere, quod ita ratio ſuadeat.

Commendatio patientiæ.

Æſchines Philoſophus cùm lateris dolore graviter torqueretur, nunquam ingemuit, rationis autem & virtutis vulnus graviter & acerbè tulit. Profectò nemo ad præclarum facinus eſt idoneus, niſi qui ad rerum aſperitates patientiâ occallavit. Hæc in bello magni oneris vehiculum eſt, in pace juſtitiæ & æquitatis. Hæc cujuſvis doloris eſt remedium. Hæc facit, vt mala ferendo vincere, non minor ſit victoria, quàm reſiſtendo ſuperare. Hæc efficit, vt pulcherrimum ſit vindictæ genus, victo ignoſcere: bis enim eſt victus, virtute & armis. Vulgatum eſt, *Dij omnia laboribus vendunt*. At qui impatiens eſt vel laboris, vel doloris, duplicem non ferendo fert dolorem, quod non minùs graue ſit cedere dolori, quàm ipſemet dolor. Per patientiam vna in bello eſt ad victoriam via; quam quia tenuerunt Lacedæmonii Græcorum omnium ex inopibus & paucis, evaſerunt fortiſſimi. In Patientiæ fundo magnas virtus radices agit, Omni malo fœdius eſt lugere: habet enim malum fortunæ maculam, at luctus, animi dedecus. Quid vereris hoſtem, ô timide, & impatiens? hoſtis in animo tuo eſt. Metus omni hoſte capita-

lior

lior eſt In patientiæ regione optima Virtutis ſchola eſt. Hic diſcitur, In paupertate abundare patiendo; eum eſſe felicem, cujus animus adverſus mala obduruit patientia: Virtutis florem & gloriæ firmamentum vnicam eſſe patientiam; eum qui vincitur laceſſitus convitijs, eſſe victore ipſo meliorem: ſolos eos eſſe miſeros, qui dolorem non ferunt; neminem niſi patientem, eſſe liberum, Pertinax! virtus eſt patientia, nam omnia vincit & cùm patiens obduruit, hoc tantùm dicit, *Perpetere, ô Cor, nam tu longè alias grauiora tuliſti.* Stabilitas bonorum conſiliorum & actionum honeſtarum eſt conſervatrix.

Perſeverantia, vt vult Cicero, eſt ſtabilis & perpetua in ratione benè conſiderata permanſio. Hæc eſt fida patientiæ comes, & in omnibus adjutrix. Illi contraria eſt levitas, ſeu inſtabilis rerum humanarum gubernatio. Oritur hæc vel ex animi mollitie, quæ temerè difficultatibus cedit; vel ex pertinacia in ſententia, quam mutare ratio jubet.

Additamentum.

PAtientia, apud Lypſium lib. 1. de Conſtantia c. 4. eſt rerum, quæcunque homini aliundè accidunt aut incidunt voluntaria & ſine querela perpeſſio. Ejus eſt ſeruare mediocritatem in ferendis doloribus & rebus adverſis, præſertim in iis, quæ præter meritum nobis accidunt. Tolerat autem mala, quæ honeſtè tolerari poſſunt, & quorum neceſſaria perpeſſio eſt; idque moderatè facit & decorè; & tamen eadem, cùm opus eſt, depellere, ut oportet, conatur. Eſt hæc virtus neceſſaria, difficilis, fructuoſa. Neceſſaria, quia, ut Herodotus ait, Malorum plena eſt terra, plenum mare. Et ut Pindarus Ode 3. Cùm uno bono mala duo bominibus Dii immortales diſpertiuntur; & illa quidem ſtulti eleganter ferre non poſſunt, ſed Sapientes, qui foras bona vertunt. Difficilis eſt, quia, ut ait Pythagoras, magna peritia eſt aliorum ferre imperitiam, ut refert Stobæus Sermone 39. Et apud eundem Serm. 5. Menander eum optimum eſſe dicit, qui plurimum pati ferreque poſſit. Fructuoſa eſt, quia ærumnas reddit leviſſimas & toleratu facillimas. Vnde dicitur Vitæ antidotum & domitrix malorum omnium. Et Archilochus apud Stobæum Serm. 128. Dii, inquit, malis inſanabilibus appoſuerunt fortem patientiam. Plautus in Cratyllo, Æquus animus optimum eſt ærumnæ condimentum. Et in Pſeudologo:

Bonus animus in re mala eſt dimidium mali.

Publius Mimus, Cujuſque doloris remedium eſt patientia. Horatius autem lib. 1. Od. 24.

Durum, ſed levius fit patientia,
Quicquid corrigere eſt nefas.

Vulgati ſunt hi verſiculi.

Nobile vincendi genus eſt patientia; vincit
Qui patitur. Si vis vincere, diſce pati.

In proverbia jam abierunt hæ ſententiæ; Suſtine & abſtine. Ferendum eſt ſperandum. Malum eſt magnum ferre non poſſe malum. Nec ineptè Terentianus ſenex in Adelphis Actu 1. Scena 1. Do, prætermitto, non neceſſe habeo, omnia meo jure agere. Ejus imaginem quandam exhibet Plinius lib. 8. cap. 1. in Capellis, quarum una cùm in anguſto ponte alteri facta eſſet obvia, procubuit, & proculſari ſe paſſa eſt, ne ambæ in ſubterfluentem fluvium deciderent. De Patientia Seneca in omnibus fere libris ſuis fuſiſſimè. Referri etiam huc poſſunt, quæ circa dolorem & triſtitiam lib. 2. diximus. Suggerunt hiſtoriæ omnes exempla virtutis hujus. Gymnoſophiſtæ olim eodem in loco perſtare ſolebant ab ortu ad occaſum uſque ſolis, quem immotis oculis intuebantur, & ferventibus arenis alternis pedibus inſiſtebant, teſte Plinio lib. 7. cap. 2. Demoſthenes à quodam laceſſitus convitiis Nolim, inquit, tecum in hoc genus certaminis deſcendere, in quo, qui vincitur melior eſt victore. Ita refert Stobæus de Patientia. Phocion cùm ad mortem duceretur, quidam in os ejus expuit, tum ille ad Magiſtratum converſus ait: Nonne veſtrum aliquis coercebit hunc tam indecorè ſe gerentem? Idem moriturus filio nunciari juſſit, ſe per omnes obteſtari Deos, ne unquam hujus iniuriæ velit meminiſſe. Ita Plutarchus. Sacrates, ut refert Ælianus lib. 2. cùm ei quidam calcem impingeret, amicis indignantibus, Quid ſi me, ait, aſinus calce feriret num illum in jus vocarem? Idem accepto colapho, inquit, Neſcire homines quando cum galeâ ſit prodeundum. Plura de illo apud Laërtium, & de aliis apud Valerium Maximum lib. 3.

Perſeverantia tum aggrediendo, tum

ſuſtinendo opus coronat. Eius tantùm eſt deceûs, ut eâ excluſâ nullus cœptorum ſit fructus. Vnde D. Bernardus, Inchoantibus, inquit, præmium promittitur, ſed perſeverantibus datur. Et Maximus Tyrius Diſſert. 32. Sicut toti terræ ſtabilitatem immobilitatemque ſi demas, Soli contrà motum curſumque ſi tollas ſuum, eſſentiam tollis utriuſque: eodem modo bono illud ſi demas, quod exquiſitiſſimum in re eſt, perſeverantium dico, naturam ejus ſuſtuliſti. Nec enim pro tempore, ſicut forma corporis, florere poteſt bonum. Seneca Epiſtola 35. Proſice, inquit, & ante omnia hoc cura, ut conſtes tibi. Quoties experiri voles, an aliquid actum ſit, obſerva, an eadem velis hodie, quæ heri. Mutatio voluntatis indicat animum mutare alibi, atque alubi apparere, prout tulit ventus. Non vagatur quod eſt fixum & fundatum. Iſtud ſapienti profectò contingit; aliquatenus & proficienti provectoque. Quid ergò intereſt? Hic commovetur quidem, non tamen tranſit, ſed ſuo loco nutat; ille nec commovetur quidem. Tandem Epiſtola 120. Maximum, inquit, indicium eſt malæ mentis fluctuatio, & inter ſimulationem virtutum amoremque vitiorum aſſidua jactatio.

CAPVT VI.

De Conſtantia.

Conſtantia eſt virtus, per quam in propoſito bono ſtabilis eſt animus. Parum admodum à Perſeverantia diſtinguitur. Ejus autem in eo ratio conſiſtit, quòd in bono propoſito ſibi conſtet homo, ſemperque ſimilis permaneat. Perſeverantia verò in eo eſt tota, vt quis in benè cæptis pergat, & ad finem uſque perduret. Adverſatur illi Inconſtantia, quæ hominis eſt in bono propoſito mutabilitas. Qui enim propoſitum facilè mutat, inconſtans eſt.

Conſtantis viri officium eſt, quam ſemel amplexus fuerit virtutem, conſervare, nec leviter mutari. Ideò præceptum hoc ſequitur: *Non quantum ferri poteſt ſed quantum perferri ſumendum.* Item *eſt, quod grande eſt opus tardè aggrediendum; deinde perſeueranter progrediendum.* Certè multi ferunt, ſed non multi perferunt: plurimi incipiunt, pauci perficiunt. Vnde magno olim fructu Gymnaſia & Ludi fuerunt, in quibus Conſtantiam Perſeverantiamque pueri diſcebant. Magna hac in re naturarum eſt diverſitas. Quidam in prælio ſunt ignavi, in lecto conſtanter ægrotant, vt Græci; nonnulli in bello ſunt pugnaciſſimi, in morbo ſtatim ingemiſcunt, vt multi Galliæ populi. Conſtans verè fuit Cajus Marius, qui medico ſecandum crus dolandumque ita præbuit, ut nullum mutati vultus ſignum appareret, nec ſuſtinendo ingemiſceret. Sed hæc conſtantia, quædam eſt corporis patientia, quâ clariſſimus olim Anaxarchus, qui cùm in concavo ſaxo ferreis malleis tunderetur, *tunde, tunde*, aiebat, *Anaxarchi vaſculum, Anaxarchum autem nunquam contundes.* Cernitur etiam in eo, vt cùm quid deliberatum iudicatumque eſt ſecundùm Prudentiæ & Virtutum aliarum regulas, in eo ſtet homo præſenti conſtantique animo, nec illecebris voluptatis, nec vllo dolore abducatur ab honeſto. Epirotarum Rex Pyrrhus, ut Fabricium Romanum ſuas in partes pelliceret, magnam inprimis auri vim obtulit; ille ſprevit: comiter deinde & amicis verbis alloquutus eſt eum, & inter loquendum dimitti elephantem annuit, qui elatâ ſuprà Fabricij caput proboſcide horrendam vocem emiſit; ille nihil territus, & conſtans. *Neque heri*, inquit, *pecuniâ me corrupiſti, neque hodiè elephantis barritu conterruiſti.* Ita vinci vir conſtans non poteſt. Et vtinam civilibus in actionibus omnium hic animus eſſet. Illuſtris eſt conſtantiæ Pomponij gloria. Hic bello Mithridatico graviter ſauciatus ad Regem eſt perductus, qui *Dic quæſo Pomponi*, inquit, *ſi per me diligenter curatus fueris, nunquid eris exinde mihi amicus?* Tum Pomponius; *Ero tibi amicus, ſi & tu populi Romani amicus fueris: ſin ſecus, me quoque inimicum habebis.* Admiratus viri conſtantiam

ſtantiam Mithridates, quam diligentiſſimè eum curavit. Multa eiuſmodi ſunt in hiſtorijs digniſſima poſteritatis admiratione exempla, ſed omnem fortitudinis, patientiæ, conſtantiæ laudem Divi Martyres occupaverunt, & Ethnicis præripuerunt.

Additamentum.

HÆc virtus à veritate & honeſtate nec pollicitis nec minis, nec ſpe, nec metu, nec præmiis, nec pœnis avocari hominem patitur. Virum constantem graphicè depinxit Horatius lib. 3. Od. 3.

Iuſtum & tenacem propoſiti virum
Non ciuium ardor praua jubentium,
Non vultus inſtantis tyranni,
Mente quatit ſolidâ, neque Auſter,
Dux inquieti turbidus Adriæ;
Non fulminantis magna Iouis manus.
Si fractus illabatur orbis
Impauidum ferient ruinæ.

Exempla paſſim obvia in hiſtoriis ſunt. Antoninus Imperator ſui ſimilis ſemper fuit, nec unquam eſt mutatus. Bonus enim erat, non ſimulatus, ut ait Dion. Socrates, teſte Laertio, nec in adverſis, nec in ſecundis vultum unquam mutavit. Fabius Maximus illuſtre conſtantiæ exemplum dedit, de quo illud Ennii eſt:

Vnus homo nobis cunctando reſtituit rem,
Non ponebat enim rumores ante ſalutem.

Item Papinianus, qui à Caracalla Imp. maluit obtruncari, quàm cædem Getæ ab Imperatore jugulati excuſare. Dicebat enim non tam facilè eſſe paricidium excuſare, quàm committere. De Catonis conſtantia & aliorum vide Valerium Max. lib. 3. Porrò vir conſtans poteſt interdum citra levitatis crimen aliud conſilium capere, & inſtitutum mutare, cùm humanitus erraſſe ſe videt, aut publicum privatúmve bonum aliud exigit. Dies enim diem docet, & curæ poſteriores plus habent prudentiæ, ut vulgò dicitur. Cicero pro Plancio, Nec enim, inquit, inconſtantis puto, ſententiam tanquam aliquod navigium, atque curſum ex Reip. tempeſtate moderari. Et Publius Mimus, Honeſtè ſeruit, qui tempori ſuccumbit. Demades cùm in dicendis ſententiis inconſtantiæ argueretur, Mihi, inquit, ſæpè contraria, ſed Reipub nunquam adverſa dixi, ut refert Plutarchus in Protagora. Scitè Senex Terentianus in Adelphis Actu 5. Scena 4.

Nunquam ita quiſquam bene ſubductâ ratione ad vitam fuit,
Quin res, ætas, uſus ſemper aliquid apportet noui.
Aliquid moneat, ut quæ te ſcire credas neſcias,
Et quæ putaris prima, in expediendo repudies.

TITVLVS V.

De Temperantia.

CAPVT I.

Quid ſit Temperantia, quæ materia, quod officium eius?

TEMPERANTIA, vt M. Tullius definit in Rhet. eſt rationis in libidinem atque alios non rectos impetus animi ſumma & moderata dominatio. Vel, eſt moderatio cupiditatum rationi obediens.

Ejus materia voluptates ſunt corporis, quæ guſtu tactuve, ex cibo, potu, aut re venerea, percipiuntur. Illæ enim cùm hominem longiſſimè à ratione abducant, & beſtijs quodammodò ſimilem efficiant, conjunctæ ſemper cum dedecore aliquo & turpitudine, ſi modum excedant. Neceſſaria virtus hæc fuit, quæ voluptates rationis imperio ſubiiceret, & modum in iis refrænandis conſtitueret; aliàs odiſſet atque abigeret, aliàs diſpenſaret, & ad ſanum modum, ut ait Seneca, redigeret.

Officium eſt cupiditatem refrænare, & voluptates moderari. Hoc vt præſtetur, videndum eſt, quid ad vitam commodè degendam naturæ neceſſitas exigat, quæ cùm paucis contenta ſit, facilè illi ſatisfit. Hoc cognito co- *Ejus officium.*

hibère intra naturæ modum oportet tùm appetitum, tùm immoderatum rerum naturalium vſum.

Commendatio temperantiæ.

Porrò Virtutum omnium, teſte Socrate, ſaluberrima eſt Temperantia, publicè priuateq; ſocietatis humanæ coneiliatrix, & qui ingenium, valetudinem, ac modeſtiam in homine per univerſum vitæ curriculum conſervat. Gratiſſima ſanè Deo virtus, cùm temperatè modeſteque vivere diuinum quoddam ſit officium. Illa eſt, quam Peripatetici Prudentiæ conſervatricem appellant, quæque vt rationem in expetendis fugiendiſve rebus ſequamur, efficit, & illud nobis Solonis proponit, *Ne quid nimis*. Illa eſt, quæ in actionibus humanis dominatur, & ſine qua nihil cæteræ Virtutes aut ſunt, aut poſſunt, dum vel metas tranſiliunt, vel vix è ſuis ſedibus egrediuntur. Oportet enim temperatè prudentem eſſe, temperatè fortem & iuſtum. Illa eſt, per quam cupiditatibus imperat ratio, quæ eſt animi noſtri frænum, quæ eſt regula omnia ad naturam, neceſſitatem, ſanitatem, ſimplicitatem componens.

Additamentum.

SORTITA nomen hæc virtus eſt, quod voluptates temperet ac moderetur. Vnde illam aliqui definunt eſſe virtutem, quæ mediocritatem ſervat in expetendis fruendiſque voluptatibus, & perferendis doloribus, qui ex abſentia voluptatum naſcuntur. Objectum temperantiæ faciunt voluptates & dolores inprimis; deinde cupiditatem nutrimenti & generationis, quam cohibere ſecundùm rationis regulam hæc virtus debet. Tum guſtum & tactum, cibum, potum, & amatoria. Nos uno verbo voluptates deſignamus; nam circa dolores quædam eſt fortitudo. Forma temperantiæ, mediocritas eſt voluptatum. Imagines ejus ſunt bellerophon Chimæram conficiens, Perſeus Meduſæ caput abſcindens. Vliſſes obliniens cera ſociorum aures contra Syrenum cantus dum ſcopulos prætervehitur. Temperantiæ effectus ſunt. 1. Acuit animum, cujus robur eſt iefte Pythagora, & quem voluptatibus corporis tanquã clavis quibuſdam affixum liberat. 2. Omnis virtutis fundamentum eſt, & cuſtos; unde penu virtutis à Menandro appellatur, apud Stobæum Serm. 5. 3. Confert ad eruditionem & Sapientiam, Anima enim ſieca eſt ſapientiſſima, ut ait Heraclitus apud Stobæum Serm. 5. 4. Tuetur valetudinem, juxta regulam enim Celſi multi magni morbi curantur quiete & abſtinentiâ. 5 Servat Reſpublicas, quas lupus evertit. Vnde, ut ait Valerius, Capua plus nocuit Hannibali, quàm Cannæ Romanis. Et Græci Troiam ceperunt non niſi vino ſomnoque ſepultam. Et Scythæ ebrii à Cyro ſunt victi. Denique veriſſimè Democritus, Temperantia, quæ jucunda ſunt, auget. Vt ait Stobæus ibidem. Et Socrates frugale animum conferebat viæ brevi & amœnæ, quæ parum habeat moleſtiæ, ſed plurimum voluptatis, teſte Laertio. Idcircò inter virtutes principatum tenet ratione neceſſitatis & fundamenti, quod ſine ea nihil aut parum ſit reliquarum virtutum.

CAPVT II.

Quæ & quot ſint Temperantiæ partes ſeu ſpecies?

Variæ partium Temperantiæ diuiſiones.

M. Cicero tres Temperantiæ partes aſſignat, Continentiam, quæ cupiditatem ac voluptatem refrænat; Clementiam, quæ odium remittit; Modeſtiam, quæ pudorem, honeſtum, & vereeundiam, ſine qua rectum haberi nihil poteſt, conſervat. Nonnulli Philoſophi alii duabus tantùm partibus Temperantiæ latitudinem comprehendunt, Frugalitate, & Caſtitate. Quod Frugalitas cupiditatem nutricem moderetur, ſitque duplex, vel Abſtinentia, vel Sobrietas. Illa in cibo modum rectæ rationi naturæque cuiuſque convenientem tenet; hæc in potu modum præſcribit. Caſtitas autem, quo pacto à Venere illicita abſtinere, & in licita modum obſervare debeamus, doceat. Iterum alii partitionem hanc ſequuntur, vt quatuor ſint Temperantiæ partes. Abſtinentia circa cibum: Sobrietas circa potum: Caſtitas circa vim gignendi; Pudicitia circa oſcula, tactus, amplexus. De ſingulis

ſigilla-

ſigillatim poſtea. Latiſſimum hujus virtutis eſt imperium, & jus aliquod in totam hominis vitam, inque omnes ejus actiones ſibi vendicat. Vnde Proſper de vita contemn. *Temperantia facit abſtinentem, parcum, ſobrium, moderatum, pudicum, tacitum, & verecundum. Hæc virtus ſi in animo habitat, libidines frænat, affectus temperat, deſideria ſancta multiplicat, vitioſa caſtigat, omnia intra nos confuſa ordinat, cogitationes prauas remouet, ſcientias inſerit, ignem libidinoſæ voluptatis extinguit, mentem placidâ tranquillitate componit, & totam ab omni ſemper tempeſtate vitiorum defendit.*

Additamentum.

ALiqui duas conſtituunt Frugalitatem & Caſtitatem. Illi ſubjiciunt abſtinentiam, huic ſobrietatem. Alii quinque enumerant: Abſtinentiam, Sobrietatem, Pudicitiam, Caſtitatem, Virginitatem. Illæ hic à nobis explicantur.

CAPVT III.

Quænam ſit Temperantiæ regula?

VNa generalis Temperantiæ regula eſt, rerum nimirum ad vitam honeſtè degendam pertinentium neceſſitas. Vnde Eccleſiaſticus. 29. *Vita hominis aqua & panis, & veſtimentum, & domus protegens turpitudinem.* Et Seneca, Temperantiam ait nunquam ad voluptates propter illas venire, *Sed ſcit*, inquit, *optimum eſſe modum cupitorum non quantùm velis, ſed quantùm debeas.* Et rectè ſanè illud, *Simplici cura conſtaut neceſſaria, in delitijs laboratur. Ad parata nati ſumus, nos omnia nobis difficilia facilium faſtidio fecimus.* Cùm autem Temperantia circa cibum, potum, & rem veneream verſetur, vt modum in iis conſtituat, particulares Temperantiæ regulæ ſunt duæ. Prima hæc circa cibum & potum *Tantùm ſumendum eſt, quantùm bona corporis mentiſq; valetudo poſtulat.* Altera circa Veneris vſum. *Extra conjugium prorſus eſt abſtinendum, in conjugio, quantùm prolis cauſa expedit, vtendum.* Edendum enim eſt, ut vivamus, non vivendum, ut edamus; ac proindè cibi potuſque finis recta valetudo eſt. Conjugium prolis generandæ cauſa eſt. *Generalis regula eſt Neceſſitas.* *Particulares duæ.*

Additamentum.

SEneca Epiſtola 8. Hanc ſanam ac ſalubrem formam vitæ tenete, ut corpori tantùm indulgeatis, quantùm bonæ valetudini ſat eſt. Cibus famem ſedet, potio ſitim extinguat, veſtis frigus arceat, domus munimentum ſit adverſus infeſta corpori. Hanc utrum ceſpes erexerit, an varius lapis gentis alienæ, nihil intereſt. Scitote tam bene hominem culmo, quam auro tegi. Contemne omnia, quæ ſupervacuus labor velut ornamentum & decus ponit. Cogitate nihil præter animum eſſe mirabile, cui magno nihil magnum eſt. Epictetus apud Stobæum Serm. 5. Inter epulandum cogita duos tibi hoſpites excipiendos, corpus & animum. Quicquid in corpus confertur, ſtatim effluit; quicquid in animum perpetuò ſervatur.

CAPVT IV.

De vitijs Temperantiæ contrarijs.

GEneralia ſunt Temperantiæ, quæ opponuntur, vitia duo. Intemperantia & Stupor. Intemperantia vitium eſt circa delectum quaſvis voluptates in guſtu tactuque poſitas nullâ neceſſitatis habitâ ratione expetens, & moleſtiam, quæ ex earum abſentia oritur, fugiens. Hæc voluptates appetit, iiſque vtitur, quando non oportet vbi non oportet, pluſquam oportet, non eo modo, quo oportet. Vitium proinde infame & probroſum. Turpe enim eſt, eo delectamenti genere hominem vinci, quod cum belluis eſt commune, in quarum ordinem Intemperantia illum redigit, & viliſſimum ventris gulæque mancipium conſtituit, dum rationis imperium non ſequitur, & impetu quodam cæco abripitur. Stupor ſeu Stupiditas vitium *Intemperantia & Stupor.*

tium eſt, honeſtas & neceſſarias ſpernens voluptates. Hic Stupor licitis ac honeſtis voluptatibus ubi, quando, quomodò, & quantùm fas eſt, non vtitur. Rarum ſanè vitium, & rariſſimi illi, qui voluptates non aliquo modo expetant. Vitia alia, quæ ſingulis Temperantiæ partibus opponuntur, ſuo loco dicentur.

Additamentum.

NVmerantur hic generalia duo Intemperantia & Stupor. Intemperantia voluptates abſentes anxiè appetit, præſentes furiosè amplectitur, ſi parari non poſſint ſupra modum dolet. Quare intemperans variis peccat modis. In qualitatè, Iucunda promiſcuè & ſine delectu diſcriminéque concupiſcendo. In quantitate, cum plura quam convenit & majora. In modo cùm voluptates honeſtati anteponit, & ab iis abripi ſe permittit. In circumſtantiis, cùm nec loci, nec temporis, nec perſonarum rationem habet; modo voluptatibus perfruatur optatis. Hoc vitium menti caliginem offundit. Nam ut ait Galenus: Craſſus venter ſubtilem non parit ingenium. Et Cic. in Catone Majore, Impedit conſilium voluptas rationi inimica, & mentis oculos perſtringit. Deinde virtutem extinguit. Nam, ut Cato, In voluptatis regno virtus non poteſt conſiſtere. Corpora quoque debilitat. Siquidem, ut Cic. pro Cœlio, Vitium ventris & gutturis non modo minuit ætatem hominibus, ſed etiam aufert. Pleríque voluptatibus ſe vivi putrefaciunt, & morientes conditi volunt, ne putreſcant. Quod abſurdum meritò Diogeni videtur apud Stobæum Serm. 13. Apud eundem Stobæum Serm. 43. Pythagoras, In civitates, inquit, primum irrepit luxus, ſequitur ſatietas, ſuccedit petulans injuria.

Stupor licitas etiam & conceſſas voluptates aſpernatur. Habenda etiam aliqua corporis cura eſt, non tamen uſque ad concupiſcentiam. Cicero pro Cœlio. Si quem fortè inveneritis, qui oculis aſpernetur pulchritudinem rerum, non odore ullo, non tactu, non ſapore capiatur, excludat auribus omnem ſuavitatem, huic homini ego fortaſsè & pauci Deos propitios, plerique autem iratos putabimus.

CAPVT V.

De Continentia & Caſtitate.

Definitio Continentia. COntinentia Caſtitaſque exiguo ac ferè nullo diſcrimine ſeparantur. Eſt continentia, ſecundùm Ciceronem, virtus, per quam cupiditas conſilii gubernatione regitur. Certè nihil aliud eſt, quàm firmum animi propoſitum, quo adverſus cupiditatem ad voluptates tactus & rem veneream impellentem ſeſe ſub rationis imperio continet. Diſtinguitur à Temperantia, quod hæc domitas habet ſubiectaſque perturbationes, Continentia verò adverſus illas adhuc pugnet. *Quid Caſtitas.* Caſtitas eſt quædam animi puritas à voluptatibus Venereis, quæ impudicitiam & turpitudinem habent aliena. Vndè ejus eſt primos libidinis motus comprimere, & ad rationis normam componere. Differt à continentia, vt quidam volunt, quod hæc poſt rei venereæ experientiam fit, Caſtitas autem antè; A pudicitia, quod cùm hæc circa ſigna & velut præludia rei Venereæ verſetur, ipſa circa maris fœminæque conjunctionem, attendatur. Harum atque ejuſmodi virtutum nomina ferè tantùm in voce diſcrimen habent, & Temperantiæ aut partes varias, aut officia diverſa deſignant. Pulcherrimæ omnes, & perquam neceſſariæ virtutes. Dicere Pythagoras ſolebat, *nihil egregium comparari, quod non continentiæ labor præcederet*. Monebat verò ſuos, vt continentiam tanquam robur ingens & opes ſibi compararent. Et Socrates interrogatus, quo quis pacto opulentus evaderet, *Si* inquit, *continens fuerit & cupiditatum inops. Eſt virtus placitis abſtinuiſſe bonis* ait Ovidius. Non immeritò Anacharſis ſtatuis ſuis atque imaginibus inſcribi iuſſerat, *linguæ, ventri, pudendis temperandum*. Nam lingua effrænis maximorum eſt cauſa malorum, luxu nihil turpiùs eſt; libido ex homine pecudem facit. Tam illuſtris erat Scipionis propter virtutem & caſtitatem fama, vt ad eum Linterni

terni exulantem viſendum ſalutandumq́ue longâ navigatione etiam prædones accederent. Araſpus cùm Cyrum rogaret, cur à Panthea tam elegantis formæ fœmina regios oculos averteret. *Quo*, inquit Cyrus, *elegantior eſt, eo magis eſt abſtinendum*. Magna ea vis eſt Continentiæ & Caſtitatis, quod non tantùm laudabilem hominem, & ſuarum cupiditatum dominum efficiat, verum etiam ſanum, alacrem, & ad res præclaras agendas aptum.

Contrarium Continentiæ vitium eſt in continentia, nimirùm immoderata voluptatum cupiditas, quæ rationis imperio non gubernatur. Hæc hominem libertate ſpoliat, & ſervum ſub libidinis & omnis turpitudinis jugo facit: Caſtitati Luxuria opponitur; item Salacitas, quæ circa venerem quædam eſt intemperantia. *Vitia contraria.*

Additamentum.

HÆc virtus contra flammas & ſordes libidinum mentem integram ſervat, & carnem incorruptam. Cæteris virtutibus honori eſt & ornamento. Vnde Iulianus, teſte Ammiano Marcellino, illud Bachylidis ſemper in ore habebat. Vt egregius pictor vultum ſpecioſum effingit, ita pudicitia celſius conſurgentem vitam exornat. Idem his verſiculis exprimitur:

Vt niſi ſit vi uo facies expreſſa colore
Non dedecus in reliquo corpore truncus habet,
Sic reliqui mores ſpreti ſine honore jacebunt,
Ni ſint ornati laude pudicitiæ.

Ceradas, roganti cuidam, quam pœnam apud Spartanos adulter lueret, Dabit, inquit, bovem, qui porrecto ultrà Taigetum montem collo bibat ex Eurota fluvio. Tum alter, At unde tantus, inquit, bos? Cui Geradas, Et unde apud Spartanos adulter? Ita Plutarchus in Lycurgo. Cyrus abhorrebat ab aſpectu Pantheæ mulieris formoſiſſimæ, quam cùm Araſpas dignam Regiis oculis eſſe diceret, Ob hoc ipſum, inquiebat, abſtinendum, ne ſi illam nunc adeam cùm vacat, etiam deinceps cùm non vacabit, adire cogar, teſte Xenophonte lib. 2. Inſtit. Cyri. Nota eſt Scipionis Africani erga puellam Hiſpanam, & Alexandri Magni erga Darii uxorem, ſororem, & filias continentia. Hic turpe eſſe dicebat, eum, qui viros ſuperaſſet, à fœminis vinci. In Hetruria Spurinus adoleſcens, cùm eximiâ pulchritudine ſuâ fœminarum oculos ſollicitaret, oris decorem vulneribus contudit, maluitque deformitatem eſſe propriæ ſanctitatis fidem, quàm alienæ libidinis irritamentum. Fauna Fauni Aborigenum Regis uxor tantæ pudicitiæ fuit, ut viva tantùm à marito ſit viſa, non ab alio viro, nec nomen ejus auditum. Mortuam mulieres Romanæ ſub nomine Bonæ Deæ coluerunt. Livia Auguſti uxor cùm nudos aliquando viros in occurſo vidiſſet, eos dicebat apud honeſtas matronas nihil à ſtatiis differre, ut refert Dio in Tiberio. Vide Valerium Maximum lib. 4. Muretus lib. 1. variarum lectionum cap. 12. exempla octo recenſet eorum, qui impudicis mulieribus obſecundare nolentes, capitis periculum adierunt. 1. Ioſephi Patriarchæ, qui cùm Putipharis uxori aſſentiri noluiſſet, ab ea accuſatus eſt. 2. Hyppoliti, qui à Phædra noverca tentatus fuit. 3. Tennis, qui à Periboca. 4. Bellerophontis, qui ab Antæa Prœti uxore. 5. Pelei, qui ab Hyppolite Acaſti uxore. 6. Myrtili, qui ab Hippodamia. 7. Tymaſiamis Ægyptii, qui à noverca, cujus nomen ſuppreſſum, coactus eſt ſolum vertere. 8. Criſpi filii Conſtantini Magni Imp. qui à Fauſta noverca falſò accuſatus ſubiit mortem. Alii plures ſunt.

CAPVT VI.

De Abſtinentia & Sobrietate.

ABſtinentia eſt virtus, quæ ciborum cupiditatem vſumq́ue moderatur. Talis autem eſſe moderatio debet, quæ valetudini, mentiſq́ue officijs congruat, vt quemadmodum medicamenta, ſic alimenta ſumpturus bonus homo accedat. *Definitio abſtinentiæ.*

Sobrietas eſt virtus, quæ potus cupiditatem vſumq́ue moderatur. Talis etiam eſſe moderatio hæc debet, ut ſerenitati mentis judiciiq́ue & valetudini congruat. Sobrietatis quippè officium eſt, eam in potu menſuram ſervare, quâ nec mens impediatur, nec corporis ſanitas lædatur. *Definitio Sobrietatis.*

Contra-

vitia contraria. Contraria abſtinentiæ Gula eſt, Sobrietati Ebrietas. Illa eſt immoderata cibi aviditas; hæc potus, vnde rationis perturbatio ſequitur.

Porrò vt in Abſtinentia Sobrietateque modus ſervetur, moderatus ſit potus & ciborum vſus. Ii ſunt ad nutriendum conceſſi, & ad reparandam corporis infirmitatem. Non opus vel faſtidioſa copia eſt, vel ingenioſa gula. *Simplex ex ſimplici cauſa valetudo; multos morbos ſupplicia luxuriæ, multa fercula fecerunt.* Quid de cerebro defluente conquerimur? Deſinamus fundere, & deſinet fluere. Exceſſus hodiè & operoſus apparatus in pretio eſt; cùm omnia profuderunt convivatores, adhuc ſe, quaſi nihil aut parum egerint, excuſant, & frugalitatis veniam, vel tenuitatis deprecantur. Ita in moribus hoc vitium vrbanitas eſt, humanitas eſt. Quid tandem? *Sera in fundo parſimonia* invenitur. En regula ex M. Tullio, *Tantùm eſt comedendum & bibendum, vt reficiantur vires, non opprimantur.* En altera ex Horatio. *Viuitur paruo benè.* Nam *bona valetudinis quaſi quædam mater eſt frugalitas*, vt inquit Valer. Max. Imò teſte Claudiano.

Viuitur exiguo melius, natura beatis.
Omnibus eſſe dedit, ſi quis cognoverit vti.

Anacharſis apud Ciceronem, *Mihi* inquit, *pulpamentum fames, cubile ſolum, veſtis Scytharum tegmen.* Quid iſtud? Nimirùm Naturam parvo contentam eſſe. Epaminondas ad convivium vocatus, cùm lautiſſimè inſtructum illud videret, offenſus amico, *Ego*, inquit, *te ſacrificare, non laſciuire putaui.* Sumptuoſam quidem menſam fortuna, at frugalem Temperantia apponit. Et magna pars libertatis eſt, benè moratus venter, ut inquit Seneca. Iuvenalis.

—— Buccæ
Noſcenda eſt menſura tuæ ——

Apage mancipia iſta ventris, & helluones, quibus vino ſuffocari jucundiſſima mors eſt vt Georgio Clarentiæ Comiti, teſte Camerario; quibus nihil nimiū nihil ſatis eſt, vt Phagoni apud Aurelianum Imperatorem teſte Vopiſco, qui uno die aprum integrum, centum panes, vervecem & porcellum devoravit, bibit autem infunibulo ori appoſito plus oreā: qui victoriam potando quærunt, ut Promachus, qui coronam in Alexandri Magni conuiuio propoſitam potando aſſecutus eſt, ſed poſt triduum cum quadraginta potatoribus eſt extinctus: qui collum ſibi Gruis inſtar optant, ut diuturniore attactu voluptatem ſentiant majorem, ut Philoxenes Erixius. Apage inquam ejuſmodi ventrium ſerui. Qui verè ſobrius & abſtinens eſt, cùm Seneca dicit, *Maior ſum, & ad maiora genitus, quàm vt ſim mancipium mei corporis, quod equidem non aliter aſpicio, quàm vinculum meæ libertati circumdatum.* Aliter qui agunt, inſaniâ voluntariâ laborant. *Venter*, quidem, *præcepta non audit, poſcit, & appellat, non eſt tamen moleſtus creditor: paruo contentus eſt, ſi das illi, quod debes, non quod potes.* Nemo vir magnus, niſi ſobrius.

Additamentum.

SObrietas in cibo potuque tenet naturæ & rectæ rationi convenientem moderationem. Cic. 1. Offic. Virtus corporis ad valetudinem referatur, & ad vires, non ad voluptates. Hippocrates lib. 3. Epidem. Sanitatis conſervandæ duo eſſe, ait, remedia paratiſſima, Non ſatiari cibis, & impigrum eſſe ad labores. Sapiens cap. 38. Noli eſſe avidus in epulis; in multis enim cibis eſt infirmitas. Socrates per omnem ætatem temperatiſſimè vixit. Ideò cùm ſæviſſima lues Athenis graſſaretur, ferè ſolus communi omnium cladi non fuit obnoxius, ut Gellius lib. 2. cap. 1. & Ælianus lib. 13. teſtantur: Idem cùm hoſpites excepturus eſſet anxiæ propterea uxori ait, Si boni ſunt noſtri hoſpites, ſatis apparatus eſt; ſin mali, plus ſatis teſte Laertio lib. 2. Idem dicere ſolebat, alios vivere ut ederent, ſe autem edere, ut viveret.

veret. Perſarum pueri ad magiſtros euntes ſecum panes domo in cibos adferebant, & poculum unum fictile, ut ſi ſitirent, aquas è flumine haurirent, ut refert Xenophon lib. 1. Inſtit. Cyri. Olim, teſte Stobæo Serm. 4. Iberorum mulieres temperatiſſimæ Zonam habebant certæ menſuræ, quâ ſi venter alicujus cingi non poſſet, id in turpiſſimis habebatur. Cyrus cùm hoſpes rogaret, quid ad cœnam parare vellet, Panem, ait, ſolum, ſpero enim me ad fluvium cœnaturum, ut videre eſt apud Xenophontem. Apud eundem idem Cyrus ab Aſtyage avo materno rogatus, cur vinum non biberet. Quia verebar, inquit, ne in poculo venenum eſſet. Et quo pacto, ait Rex, id verebaris? Quia, inquit, videbam vos neque corpore, neque mente poſt potum conſtitiſſe. De Cæſare dictum eſt Catonis apud Suetonium, Vnum ex omnibus Cæſarem ad evertendam Rempub. ſobrium acceſſiſſe. Aga Chariæ Regina cùm ad Alexandrum miſiſſet obſonia quædam, & coquos peritiſſimos, iis repudiatis reſpondit ſe meliores habere, Ad prandium iter matutinum, ad cœnam prandii frugalitatem, ita Plutarhc. in vita Alexandri. De Spartanorum abſtinentia Plotarchus in Laconis & vita Lycurgi. De Cretenſium Ariſtoteles in Politicis. De Romanorum priſcorum Valerius Max. lib. 2. & alii. De Demoſthene, ut refert Cœlius lib. 5. dicebat Themades, Cæteri ad aquas dicunt, Demoſthenes ad aquam ſcribit. Augustus Cæſar cibo minimo eoque vulgari utebatur, & non niſi ter in cœna bibebat, teſte Suetonio. Vide Valerium Maximum.

CAPVT VII.

Quæſtiunculæ aliquot circa Temperantiam.

I. *QVænam ſunt rectæ moderationis in cibo potuq́ ſumendo conditiones?* Imprimis non quouis tempore edendum vel bibendum eſt, ſed certa refectionis expectanda eſt hora. Deinde habitâ conditionis ac ſtatus ſui ratione habendus eſt delitiarum delectus. Tum conſiderata corporis complexione aut minùs, aut ampliùs edendum. Prætereà nec ardenter, nec voraciter quicquam eſt ſumendum. Deniquè vitanda eſt nimis accurata ciborum præparatio. In his qui excedit, temperans certè non eſt.

II. *An ſeruandæ vitæ cauſa liceat aliquando ſe inebriare?* Negant multi, affirmant non pauci. Horum ratio eſt, quod ſi fas ſit, ut fas eſſe omnes volunt, medicinæ cauſa largiore potu ſeſe proluere, cur ni id liceret, cùm vitæ vis intentatur? Lædis corporis ſanitatem, ut vitam ſerves; cur ni etiam rationis uſum ad tempus fortaſſe breue impedias, ut impendentem ex alterius malignitate mortem euites? Certè prudentia & diſcretione hic eſt opus.

III. *An ad æquales hauſtus prouocando fas ſit quempiam inebriare?* Nec ratio ſuadet, nec neceſſitas cogit. Iuſta ergo cùm cauſa non ſit, omninò fas non eſt. Conſule rationem, turpe eſt; conſule mores, fœdum. Læditur valetudo, & ventri tantùm ſeruitur.

IV. *An vt grande malum aliquod impediatur, quempiam liceat inebriare?* Conſtituamus proditurum aliquem Rempubl. ſi ebrius ſit, non prodet. Age, liberaliore potu eum invita, & mentem ejus turba, vt nefarii conſilii non ſit memor. Iuſta eſt cauſa, patriæ ſalus, & cùm duo occurrant mala, ad minus inducis. Aliter tamen impedire ſi potes, tenta ſanè.

V. *Quid de poculis neceſſitatis, hilaritatiſq́; ſit ſentiendum?* Neceſſitatis poculum eſt, quod ſiti reſtinguendæ inſeruit: Huic poſita lex nulla eſt. Tantùm enim haurire fas eſt, quantùm ſitis exigit, ut vita ſuſtentetur. Vltrà ne quis cogat. Atque hinc apud Helvetios prudenter lege ſancitum eſt, ne quis ad bibendum ſollicitâ invitatione cogatur. Hilaritatis poculum eſt, quod ad lætitiam excitandam hauritur. Nulla lex hoc vetat, ſi ſit modus. Vinum enim cor hominis exhilarat. Vnde ſacrarum litterarum authoritas vinum his dari jubet, qui amaro ſunt animo, ut egeſtatis obliviſcantur, & doloris ſui non recordentur. Conciliat ſuavem ſomnum hic hauſtus, curarum

oblivionem inducit,erigit animum, & ſpiritus reficit; phlegmata reſolvit, melancholiam animique triſtitiam & timorem diſcutit, vitioſam corporis temperiem tollit, magnanimitatem parit; alia præſtat commoda. Allud eſt ſuperfluitatis, ut appellant, quod poculum, ſenſum ac rationem obruit. Contra hoc divina lex eſt, quæ corpus crapula ebrietateque gravari vetat. Et Apoſtolus,*Nolite inebriari vino,in quo eſt luxuria*. Sunt etiam ad exterminandum hoc poculum Politicæ Regum & Principum leges, etſi pravâ conſuetudine abrogentur. Moverunt Principes tot ebrietatis incommoda, quæ nemini ſunt ignota. Cùm enim animi lucem ebrietas extinguat, tum naturalem corporis calorem vel debilitat, vel obtundit. & florentem ætatem in morbos immaturamque mortem protrudit. Onerоſa iſta potus ingurgitatio vitam præſcindit. Stare Reſpublica non poteſt, quæ ebrioſorum conſilio regitur;floret illa,quam ſobrij adminiſtrant.

VI. *An minus puniendi ſunt, qui ebrij peccant?* Morte olim ebrius Princeps apud Athenienſes,Laertio teſte, mulctabatur. Ebrii ſi quem pulſaſſent, ut graviori pœnâ plecterentur,Pittaci lex jubebat. Apud Locrenſes verò,ita jubente Zaleuci lege, qui ſine Medici conſenſu vinum ſumebat, capitis damnabatur. Quippè,ut aſſerunt Iuriſconſulti, rei illicitæ vacantem ſua excuſare improbitas non debet. Quod ſi quis conſulto ſeſe inebriaverit,debitam ſcelerato facinori pœnam luat.Secus fiat,ſi ex prava conſuetudine, nullâ adhibitâ induſtriâ,ebrietas exiſtat,quæ, ut Theologorum ſchola ait,non à toto,ſed à tanto excuſat.Abeſt enim tum deliquendi animus, cùm mortuo ægrotoque ſimilior ſit ebrius, quàm vivo vel ſano. Levis ebrietas ordinariæ pœnæ reum facit:illa quæ rationis vſu privat,dolum quidem,ſed culpam non tollit Notum eſt Iuriſconſultorum axioma,*Ebrietas magnum delictum attenuat; non in totum excuſat.*

VII. *Cur ebrietati minus obnoxiæ ſint fœminæ,quam viri?* Humidum frigidumque corpus nactæ ſunt fœminæ, in illud cùm infuſum eſt vinum confeſtim humore iſto temperatur, & vim ſuam amittit, nec cerebrum facilè occupat. Citius in iis quoque quod mollior earum ſit caro, vini vapores emittuntur,& purgantur facilius. Secus in Senibus ſit,quorum aridum & ſiccum eſt corpus, vnde pallidus color & cutis aſperitas. Iis naturâ ſimiles ſunt,quæ vltimam ætatem agunt fœminæ;in quibus vix humor aliquis eſt & obſtructi iam ſunt pori.Sciant tamen omnes quod *Vinum clauo caret, dementat ſapientes,facit repueraſcere ſenes.*

VIII. *Cur vinum coctum minus inebriet?* Quia dulce; impedit autem ebrietatem dulcedo. Ideo Medici cum nimia ingurgitatione vini in vitæ diſcrimen quiſpiam eſt adductus, primo eum vomitu excitato curant, deinde panis melle temperati fruſtum ſumendum præcipiunt. Aqueus etiam quidam humor vino coctо permixtus eſſe ſolet, ac proinde minus eſt purum.

IX. *An permittendæ ſint iuvenibus cibi potuſque voluptates & deliciæ?* Cum voluptates in præcipiti ſint, ad dolorem vergant, in contrarium abeant, niſi modum quis teneat, non facilè illæ Iuvenibus permittendæ, qui modum nullum ſciunt. Rectè ille *Debilitatem induxere deliciæ blandiſſimæ Dominæ* Lacedæmonii voluptatum contemptores, viri dicebantur; Athenienſes deliciarum ſectatores, fœminæ. Iidem Lacedæmonii in ſuorum adoleſcentum Scholam Servum ebrium introducebant, ut fœdo ſpectaculo commoti à vino abhorrerent. *Malorum eſca voluptas eſt*. Aſſueſcat proinde Iuventus jam inde à primis annis Temperantiæ.

Additamentum.

QVæſtiunculis hic propoſitis Voracitas, bibacitas,& ebrietas potiſſimum notantur; nos exempla addemus, & in primis voracitatis. Hercules vno convivio ſolidos boves devorabat. Vnde de Guloſis proverbium;

Bovem

Bovem in maxillis ferre, ut refert Suidas.

Milo Crotoniates taurum, quem vivum ſuis humeris per ſtadium portarat, uno die abſumpſit. Athenæus lib. 10. cap. 1.

Philxpenus Cytherius collum ſibi Gruis optabat, ut diutius eſculentorum voluptatibus perfrueretur. In balneis aquâ fluente os abluebat, & digitos in ebulientes cacabos immittebat, ut guttur & manus ad ferventiſſima quæque obſonia aſſuefaceret. Cùm Syracuſis Polypum totum præter caput devoraſſet, ex cruditate in lethalem morbum incidit; cùmque Medici ſuaderent, ut brevi moriturus res ſuas componeret, Afferte, igitut, inquit, reliquum Polypi, ut ſatur ad inferos deſcendam. Athenæus lib. 1. cap. 3. & lib. 8. cap. 6.

Aureliano Imperatori Phago qnidam in delitiis erat, qui uno die ad menſam Imperatoris voravit aprum integrum, centum panes, vervecem & porcellum, bibens infundibulo ad os appoſito plus orcâ.

Clodius Albinus Imperator in Gallia uno accubitu ſolitus fuit devorare quingentas ficus paſſarias, centum perſica campana, melones oſtienſes decem, uvarum labicarum pondo viginti, ficedulas centum, oſtrea ſexcenta, capones decem. Refert ex Capitolino Volateranus lib. 14. cap. 2.

Inter bibaces numeratur etiam Hercules, qui cùm majoribus delectaretur poculis, Hiſtorici & Poetæ dixerunt ipſum ſcypho inſidentem mare trajeciſſe, ut refert Athenæus lib. 2. cap. 6. Ciceronis filius ob bibacitatem Bicongius eſt appellatus; & quidam Torquatus Tricongius, ut eſt apud Plinium lib. 14. cap. 22. Tiberius Lucium Piſonem urbis Præfectum creavit, quod biduo duabuſque noctibus per potationem continuaſſet, ut refert Plinius loco citato. Cùm Alexander Magnus in honorem Calani Indi Gymnoſophiſtæ, qui ſe vivum combuſſerat, bibendi certamen inſtituiſſet, in quo primum præmium erat talentum unum, 2. triginta menæ, 3. decem. Ex iis, qui in hoc certamen deſcenderant triginta quinque continuo perierunt, ſex paulò pòſt in ſuis tentoriis; Promachus, qui palmam bibendo reportarat, triduum tantùm ſupervixit. Idem Alexander tantopere ſe bibendo ingurgitabat, ut ſæpè per temulentiam duos integros dies, & totidem noctes biberet. Athen. lib. 10. cap. 12. Hinc Proverbium de Protea Macedone, cui Alexander reſpondere bibens non potuit, Alexandrum Regē bibendo viciſti. Ælian. lib. 2. Diotimus Athenienſis appellatus eſt Infundibulum, quod infundibulo in os impoſito ſine reſpiratione vinum infuſum abſorberet. Anus quædam bibula apud Græcos voverat febricitans ſe centum ſolibus. 1. diebus vinum haud bibituram. Recuperatâ valetudine ſolem per cribrum intuita eſt, & cùm plures quaſi ſoles videret, ad uſum vini redivit. Dionyſius Tyrannus interdum ad Nonageſimum uſque diem continuò ebrius erat, unde caliginem oculorum contraxit teſte Æliano lib. 10. Tiberius Imp. ob nimiam bibacitatem pro Claudio, Tiberio, Nerone, dictus eſt Caldius, Biberius, Mero. Suetonius.

De Bonoſo Aurelianus Imperator ſæpè dicebat. Non ut viveret natum illum eſſe, ſed ut biberet. Is cùm in Galliis Imperium arripuiſſet, & victus à Probo vitam laqueo finiviſſet, dictus eſt Amphora pendens, teſte Vopiſco & aliis. M. Antonius in conſpectu populi Romani publicum negotium gerens vomuit, de quo Cicero Philippica 2. Venceſlaus irriſus fuit, quod Norimbergenſes juramento ſolverit propter acceptas aliquot vini amphoras. Item quod bellum facturis Italiæ civitatibus, militi prædam omnem promiſit, verum ne quis in cellas vinarias irrumperet, ſub pœna capitis edixit. Eas enim ſibi intactas ſervari volebat, teſte Ænea Silvio lib. 2. Comment. in Panormitanum. Cùm Ferdinandus Aragoniæ Rex in Nuptiis Alphonſi filii ſui ludos equeſtres ardente ſole ſplendidiſſimos ederes, omnibus hunc apparatum laudantibus, quidam Germanus exclamans, Oh qualis eſt hic ludus, inqnit, in quo nemo bibit! Lex antiqua Græcorum fuit, Aut bibendum, aut abeundum, de qua Cic. lib. 5. Tuſc. qq. & eam Tacitus obſervari à Germanis ait. De Parthis veteri proverbio dictum fuit. Parthi quo plus bibunt, plus ſitiunt, Eraſmus in Adagiis. Sed hi omnes & ejuſmodi alii innumeri Gurgites potius ſunt, quàm homines, & Remiges calicum dicuntur.

Minos Cretenſibus interdixerat Ne ſimul ad ebrietatem uſque potarent. Solon legem tulit, ut Princeps ebrius morte mulctaretur. Pittacus duplicem illis pœnam lege ſtatuit, qui per ebrietatem delinquerent. Apud Locrenſes ex inſtituto Saleuci capitis damnabatur etiam ægrotus, qui ſine medici juſſu bibiſſet. Ariſtoteles 2. Polit. De numero poculorum ſeu hauſtuum variè Veteres. Democritus tres

in vite naſci botros dicebat, 1. voluptatis, 2. ebrietatis. 3. injuriæ. Anacharſis 1. ponebat ſanitatis, ſecundum voluptatis. 3. contumeliæ. 4. inſaniæ. Eubulus apud Athenienſes decem pocula numerat. 1. ſanitaris. 2. amoris & voluptatis. 3. ſomni. 4. injuriæ ſeu contumeliæ. 5. clamoris. 6. laſciviæ & libidinis. 7. vulnerum ſeu livorum. 8. vocantis. 9. ſtomachi ſeu iræ. 10. furoris ſeu inſaniæ.

CAPVT IV.

De Clementia, & Manſuetudine.

Definitio Clementiæ. Clementia eſt virtus, per quam animi temere in odium alicujus concitati comitate retinentur. Ita M. Tullius. Seneca Temperantiam, appellat, animi in poteſtate ulciſcendi; inclinationem animi ad lenitatem in exigenda pœna; lenitatem ſuperioris adverſus inferiorem in pœnis conſtituendis. Verſatur circa vindictam. Vnde officium ejus eſt diminuere ſeu mitigare punitionem, & parcendi cauſas quærere. *Ejus officium.* Regere verò illam prudentia debet, ut nec omnibus, nec nulli ignoſcatur. Statui exemplum in alios aliquando oportet, ne veniæ ſpes improbos efficiat. *Tria ad illam requiſita.* Principum proinde & adminiſtratorum Reipubl. hæc virtus eſt Illa ut exerceatur, neceſſaria inprimis eſt puniendi poteſtas, quæ Regum & ſummorum in Republ. Magiſtratuum: deinde gratia quædam & commiſeratio, ut mitior pœna, quàm delictum exigat, irrogetur; tum amor in ſubditos, ex quo hæc animi lenitas exiſtat. Qui pretio victus, vel amicitia motus pœnam aut remittit, aut mitigat, clemens non eſt.

Vitia contraria. Contraria Clementiæ vitia ſunt duo, Crudelitas, & nimia Lenitas: illa in exceſſu, hæc in defectu. Crudelitas eſt in vindicando ſumendiſque ſuppliciis animi quædam atrocitas. Cauſam hæc aliquando habet, ſed modum non ſervat. Illi comes eſt plerumque Immanitas, ſeu efferata ſævitia, quæ nec captis nec proſtratis, imò nec mortuis parcit. Vitium hoc ab hominis natura plane eſt alienum, quod ad Clementiam Lenitatemque factus ſit homo. Occidendi cauſa tantùm homines occidere, pluſquam eſt belluinum. Nimia Lenitas eſt inconſulta pœnæ remiſſio vel mitigatio: Provenit ex nimia quadam alieni mali commiſeratione, dum calamitas, non cauſa ſpectatur; aut ex ſtupore, dum culpæ magnitudo non percipitur; aut ex commodi amore, vel incommodi timore. Pernitioſum hoc Reipublicæ vitium eſt; nam dum in ſubditis timor minuitur, improbitas invaleſcit.

Quid manſuetudo. Manſuetudo Clementiæ affinis, eſt virtus iræ moderatrix. Verſatur enim circa iram, & præſcriptum à ratione modum illi imprimit. Ipſa proinde huic virtuti eſt contraria.

Cæterùm, vt ait Marcus Tullius Cicero primo Officiorum. *Nihil eſt laudabilius, nihil magno & præclaro viro dignius placabilitate atque clementia.* Vnde Ouid. 3. Triſt.

Quo quiſque eſt maior, magis eſt placabilis iræ.
Et faciles motus mens generoſa capit.
Corpora magnanimo ſatis eſt proſtraſſe leoni,
Pugna ſuum finem, cùm iacet hoſtis, habet.
At lupus, & turpes inſtant morientibus urſi,
Et quæcunque minor nobilitate fera eſt.

Imò proſtratis non tantùm leones parcunt, ſed in viros etiam potiùs, quàm in fœminas ſæviunt, infantes non niſi in magna fame perimunt, nec à miſericordia ſeparantur, ut refert Solinus. Clementiæ igitur dulcedo penetrare hominum ingenia debet, & animum mollire. Singularem clementiæ laudem Philippus Macedo reportavit; qui cùm Mathonam obſideret, & miſsâ è muris ſagittâ dextrum ipſi oculum effodiſſet, iracundior in hoſtes nequaquam eſt factus; imò pacem implorantibus pacem dedit, nec in vulneris aucto-

auctorem inquiſivit. Quanta in T. Veſpaſiano manſuetudo? Domitianum fratrem inſidias molientem ſatis habuit verbis admonere, ut quod obuenturum erat, parricidio non peteret. Quanta in Alphonſo Rege Clementia? malebat multos clementia ſervare, quàm paucos ſeveritate perdere. Et vere, ut idem dicebat, mali clementia interdum citius, quàm ſeveritate in virtutis viam revocantur. Etiam hoſtes manſuetudinis nomen flectit. Precabatur à Diis Perſarum Rex Darius, ut Alexandrum clementiâ ſuperaret, aut ſi ab illo vinceretur, is Perſis ſolus imperaret. Plura in politicis noſtris de hac virtute.

Additamentum.

HÆc virtus Regia & Imperatoria eſt. unde Iuſtinianus lege ultimâ Codicis, Nihil, inquit, eſt tam peculiare Imperialis Majeſtatis, quam clementia & humanitas, per quam ſolam Dei ſervatur imago. Proinde de illa in Politicis. Hic aliqua exempla dabimus. Cotys Rex Thracum, cùm natura celer eſſet, ad iram cum ab hoſpite quodam vaſcula curioſè cælata ſed fragilia accepiſſet, omnia confregit. Ne, ut inquiebat, in eos ſæviret, qui illa frangerent. Nam clementia cavet aut moderatur iram. Philippus Macedo cùm in ludis publicis à Peloponeſiis exſibilaretur, ſuaderentque amici, ut hanc injuriam ulciſceretur, Si bene meritum irrident, inquit, quid facturos ei putaris, qui damnum dederit? Idem cùm benignè Legatos Athenienſium excepiſſet, ab iiſque abeuntibus peti juberet, quam rem Athenienſibus gratam facere poſſet? Demochares Legatus, Si ſe Rex, inquit, ſuſpendat. Indignantibus cæteris nihil aliud Rex ait, quam Renunciare Athenienſibus multò ſuperbiores eſſe, qui iſta dicunt, quàm qui impunè dicta audiunt. Cœlius lib. 1. Fuit illud dictum Scipionis, Malle ſe civem unum ſervare, quàm mille hoſtes occidere. Quod in ore ſemper habebat M. Antonius Pius Imp. ut refert Iulianus Capitolinus. Pericles cùm maledictum quendam in foro totum ſuſtinuiſſet diem, veſperi domum regreſſus, cùm ille idem inſectaretur, mandavit famulo, ut illum cum face domum deduceret. Piſiſtratus, cùm ejus filiam publicè quidam adoleſcens oſculatus eſſet, hortareturque uxor, ut pœnas ſumeret. Si eos, inquit, plectere debemus, qui nos amant, quidnam iis faciemus, quibus odio ſumus? Ita Valerius lib. 5.

CAPVT IX.

De Modeſtia.

MOdeſtia eſt virtus, per quam pudor honeſtus dictorum omnium atque factorum moderationem habita decori ratione ſervat. Eam Stoici ſcientiam appellant, earum nimirum rerum, quæ agentur aut dicentur ſuo loco collocandarum. Conſiſtit enim in eorum ordine modoque, quæ aguntur, aut dicuntur. Officium proinde ejus eſt, ita animi motus moderari, vt omnium actionum conſenſio quædam retineatur. Tum autem ea pulcherrima conſenſio eſt, cùm nihil ineptum parumque decens aut agitur, aut dicitur; nihil iracundè fit, nihil cupidè, nihil non recto animi impetu, ſeu amoris, ſeu ambitionis, ſeu arrognantiæ, ſeu alterius cujuſvis parturbationis. Hâc virtute qui præditus, intra ſtatus ſui, ingenii, & fortunæ limites ſeſe continet ſuo modulo contentus. Omnia ad mediocritatem revocat, omnem rerum ſuarum apparatum intra menſuram coërcet. Atque hoc eſt demùm vivere, modeſtè. Vnde Nonius Marcellus, *Non eos optimè vixiſſe dicam, qui diutiſſimè vixerunt ſed eos, qui modeſtiſſimè.* Hæc virtus nec nimium habet, nec parum, ſed quod ſatis eſt, & decet.

Partes ſeu ſpecies Modeſtiæ ſunt quatuor, Demiſſio animi, Studium diſcendi, Sermonis Vrbanitas, Corporis cultus. Quippè modeſtia vel motum animi ad excelſa coërcet, vel curioſæ cognitionis deſiderium refrænat, vel in compoſitione morum, qui in ſermone cultuque & ornatu elucent, cernitur. *Species quatuor*

Humilitas

Demiſſio animi, quæ humilitas appellatur, eſt virtus, quâ animi inſolentia,

 vt ſub-

vt ſubmiſſius ſe gerat, deprimitur. Hæc propria Chriſtianorum eſt virtus, cujus magiſter ipſe Chriſtus Dominus, cujus præceptum *Noſce teipſum*, cujus cuſtodia, prudentiæ conſeruatio eſt. Illi contraria Arrogantia eſt ſeu ſuperbia, inordinatus honoris appetitus. Fertur illa cœco ſui amore, & quæ non inſunt, & maiora, quam inſunt, fingit. Inſolens eſt & judicio carens oſtentatio. Non licet tamen immodicè ſimulatéque virtutes ſuas extenuare, & alienas falſo prædicare. Hæc aſſecutio eſt.

Diſcendi ſtudium. Diſcendi ſtudium ex agnita ignorantia profectum ſcientiæ deſiderium eſt. Multi dum ad doctrinam perueniſſe ſe credunt, nihil diſcunt. Modeſtiæ eſt ignorantiam ſuam confiteri, & diſcere docerique velle. Qui nihil ignorare vult, ac nimium ſapere, modeſtus non eſt. Adverſantur huic virtuti Curioſitas, & ſtudiorum incuria. Illa eſt immoderata res inanes ac non neceſſarias cognoſcendi aviditas, proindeque vituperanda. Hæc neceſſariæ ſcientiæ negligentia eſt, quæ in ſtupidis aut deſidibus reperitur.

Vrbanitas ſermonis. Vrbanitas ſermonis eſt virtus, quæ jocis & ludis modum adhibet. Ei opponuntur ſcurrilis Dicacitas, & ruſtica Iuſulſitas. Illa jocando honeſtæ jucunditatis modum tranſit: hæc ab illa abhorret. Qui modum & rationem ſervat, urbanus & feſtivus eſt; nec tamen nimis facilis eſt, nec moroſus, nec aſſentator.

Cultus corporis Cultus corporis eſt modeſtiæ pars, quæ in corporis ornatu decorum ita ſervat, ut nec aggreſtis ſordidaque negligentia ſit, nec nimia cura aut luxus. Eſt enim inter luxum & ſordes quædam mediocritas. Hæc autem ut ſervetur, habenda eſt ſtatus, conditionis, fortunarum, temporis, loci ratio, ut decorum, quod nihil aliud eſt quàm ipſum honeſtum, ſibi conſtet.

Additamentum.

AMbroſius 1. Offic. cap. 18. Modeſtiam Dei portionem appellat, quia Deum in aliquo inhabitantem ſignificat. Exterius etiam ſe prodit. Nam exterior motuum corporis compoſitio decora, & ad modeſtiam compoſita allicit ad amorem & adminiſtrationem. Hinc Chryſoſtomus ait Triobolarem illam Græcorum Philoſophiam, mendaci habitu & umbrâ illâ Philoſophiæ multos ad ſe flexiſſe. Quotquot enim olim Sapientiæ nomine claritatem aucupabantur, modeſtiæ tenaciſſimi erant. De Ægyptiorum Sapientibus Porphyrius lib. 4. de Abſtinentia, Ex ipſo corporis ſtatu, inquit, quidam gravitatis ſplendor conſpiciebatur. Inceſſus enim bene erat compoſitus; aſpectus ita ex propoſito conſtans, ut ſi noluiſſent convivere. Riſus verò iratus, qui ſi fortè excidiſſet, ita moderatè, ut vix riſiſſe dixeris. Continebant autem ſemper manus intra habitum, quarum compoſitio unicuique nota erat ſignificativa eorum, quæ in adminiſtratione rerum ſacrarum acceperant. Plures enim erant manuum compoſitiones. Similia habet Xenophon de Laconibus lib. de Laconum Rep. Dio Chryſoſtomus quoque ab hac virtute maximè commendat Rhodios Orat. 31. Vobis laudem pariunt, inquit, cognoſcunturq; apud omnes, ut non parvæ, inceſſus, cæſaries, & quod nemo tumultuosè vadit per civitatem, compellanturque propter veſtram conſuetudinem & peregrinantes hoſpites compoſitè incedere. Propterea hic accedit & veſtibus modus, ut alicui ridicula videri queat purpuræ menſura. Iam & illa manifeſtiora, quod ſpectatis cum ſilentio, & popyſmis utimini moderatis. Hæc omnia gravitate commendant civitatem, propter hæc omnia ab aliis differre videmini, in his omnibus eſtis admirationi, atque diligimini, magiſque quàm portus, quàm mœnia, quàm navalia, vos ornant antiqui mores, quàm Græci. Vnde vos quiliber ſimul ac è navi deſcendit, novit; etiamſi ſit barbarus, aut veniat è civitate quadam Aſſyriæ aut Ciliciæ. Plura habet Orat. 32. ubi invehitur in Alexandrinorum immodeſtiam, præſertim in publico & in conviviis. Tertullianus lib. de Pallio cap. ult. dicit hanc motum omnium compoſitionem habere illud inſigne decus, quod occurſu ſuo vitia ſuffundat. Et Hieronymus lib. 2. in Iovinianum, Chriſti Philoſophos, ait, licet ſermone taceant, habitu & geſtu loqui. Et Ambroſius ſerm. 10. in Pſalm. 118. demonſtrat virum modeſtum ac probum, vel ſi videatur, prodeſſe. Videndum verò eſt, ne hæc externa compoſitio in hippocriſim degeneret & moderationem

nem ementiatur, quâ deſtituitur. In motu enim puro ac ſimplici debet eſſe abſque fuco ſpecies authoritatis & pondus gravitatis. Nimirum plenitudo & modeſtiæ, ut ait Tertullianus lib. de cultu fœm. cap. 13. Emanat ab animo in habitum, & eructat à conſcientia in ſuperficiem, ut & foris inſpiciat quaſi ſupellectilem ſuam. Fabius lib. 11. cap. 3. Mores ex voce atque actione perlucent, ait.

CAPVT X.

Quæſtiunculæ aliquot circa Modeſtiam.

QVæ modeſtia in appetendis & conſervandis honoribus ſit regula? Hæc nimirum, *Nullos ambitioſè venari, delatos à viris bonis legitimè defendere.* Is demùm ſolidus eſt honor, qui invito defertur; qui ſe vltro ingerit ſuſpectæ fidei eſt. Acquiſitis honoribus acquieſcere modeſtiæ eſt, non immodicos appetere. Ambitio modum non habet, & jactantiæ, inſolentiæ, oſtentationis eſt parens. Nihil ſibi nimium tribuendum eſt.

II. *Quæ Modeſtiæ in diſcendi ſtudio ſit regula?* Neceſſaria tantùm, quæque vera & ſolida ſunt, ignorare non velle. Amare & inveſtigare ſapientiam, nec nimium ſapere velle.

III. *Quæ Modeſtiæ in vrbanitate ſermonis ſit regula?* Neminem dicacitate offendere, ſales immoderatos, turpes, & ineptos nunquam proferre, omnia rectæ rationi, etiam ridendo jocandoque congrua dicere. *Qui in verbo non offendit, hic perfectus eſt.*

IV. *Quæ Modeſtiæ in cultu corporis ſit regula?* Nec affectatæ ſint ſordes, nec exquiſitæ munditiæ. Sit moderatus veſtitus, mundus, aptus corpori, ad vſum conveniens, non ad ſtultitiam & ridiculam oſtentationem. Decorum & ſtatus cujuſque modum attendit. Turpe eſt quicquid eſt præter modum. Archidami filiæ cùm eſſent à Dionyſio pretioſis veſtibus donatæ, recuſavit ipſe pater, ne iis indutæ turpiores apparerent.

Nunquam ſatis commendari Modeſtia poteſt. Eſt temporum Magiſtra, & Domina, eſt ſcientia oportunitatis & idoneorum omnium ad agendum; & ille ſapientiſſimus eſt, qui modeſtiâ præcellit. Metiri ſeipſum modeſtiâ homo debet, vt cùm plurimum liceat, minimum exiſtimet decere. Vbi modeſtia deeſt, ibi indignatio ſemper eſt præſens & diſcordia. Gravitatem præ ſe fert modeſtia; maledicta & obtrectationes ita placide perfert, ut malè audire non curet, benè facere gaudeat. Intra gyrum officii ac rationis ſe tenet; in præclaro facinore monumentum ſui ponit, non in Statuis, aut arcubus triumphalibus. Euripides. *Commendatio Modeſtiæ.*

Heu, heu! Modeſtia quomodo vtique pulchrum quid.
Et gloriam bonam inter mortales adfert!

Verè Menander dixit, *Solam Modeſtiam promptuarium eſſe virtutis.* Cùm duplex decretus eſſet Mario triumphus, triumphare ſine Catulo Collega noluit. Dion Syracuſanus cùm rerum potitus eſſet, nec veſtem, nec menſam mutavit, quod inſoleſcere in proſperis turpiſſimum judicaret. Metire quiſquis voles umbram tuam, cum fortunâ non creſcit.

Additamentum.

AD primam quæſtionem referenda ſunt, quæ diximus tit. 4. n. 2. de Appetitu honoris.

Quod attinet ad regulam in ſermone ſervandam, Thales apud Laertium lib. 1. Pauca verba, inquit, ſapientis animi ſunt indicium. De Catilina Saluſtius ſatis loquentiæ, ſapientiæ parum. Aut ſilendum, ait Pythagoras, aut meliora ſilentio proferenda. Cavendum ne joci noſtri acerbiora ſcommata ſint. Duplicem ait ſalem eſſe, Mercurii & Momi; illum vocant facetias blandas, honeſtas, jucundas; hunc jocos mordaces, turpes, moleſtos. Habenda ratio perſonarum. Non fruſtra lingua in udo eſt, quia facilè labitur ait Auguſtinus. Antiochus Homilia 103. Virtutem ſilentii ait eſſe ſapientiſſimarum cogitationum matrem.

Quod attinet ad cultum corporis, Muſonius

ſonins lib. de Veſtimento ex antiquioris alicujus doctrina ſic ait. Volebat etiam tegmen virum temperante in corpori quærere non ſumptuoſum, nec exquiſitum. Veſte enim & calceamentis eodem modo utendum eſſe aiebat, quo panoplia; nempè defendendi corporis gratia, non oſtentationis. Sicut igitur ea optima ſunt arma, quæ firmiſſima, quæ tueri indutum iis maximè valent, non inſignia & ſplendida; ita amictus quoque & calceorum uſus, qui ſit corpori commodiſſimus, optimus eſt, & non is, qui ſtolidorum oculos poſſit in ſe convertere. Decet enim tegumento ipſo præſtantius & fortius efficere id, quod tegitur, & non imbecillius. D. Chryſoſtomus vult ſpectari originem, veſtium. Veſtes, inquit, nobis ſunt datæ non ut iis ornemur, ſed ut nuditatis fœditatem occultemus: non ut talibus induamur, quæ nos majori turpitudini, quàm ipſa nuditas, exponant. Martialis Epig. in Pannicum.

Pectere te nolim, ſed nec turbare capillos,
Splendida ſit nolo, ſordida nolo cutis.
Nec tibi mitrarum, nec ſit tibi barba reorum,
Nolo virum nimium, Pannice, nolo parū.

Seneca lib. 7. nat. qq. cap. 31. Quicquid, inquit, eſt boni moris extinguimus lævitate & politura corporum. Muliebres munditias anteceſſimus, colores meretricios, matronis quidem non induendos, viri ſumimus. Tenero & molli inceſſu ſuſpendimus gradum; non ambulamus, ſed incedimus. Exornamus annulis digitos; in omni articulo gemma diſponitur. Quotidie comminiſcimur, per quæ virilitati fiat injuria, ut traducatur, quia non poteſt exui. Habenda quidem eſt ratio perſonarum & conditionum dignitatumque, ſed tamen ut ait Seneca 3. de Benef. cap. 28. Eadem omnibus principia, eadem origo. Nemo altero nobilior, niſi cui rectius ingenium, & artibus bonis aptius. Et Sidonius lib. 5. Epiſt. 10. ſcribens de Pragmatio. Erubeſcebat formæ dote placuiſſe, cui meritò ingenii ſufficiſſet adamari. Et verè optimus quiſque morum præſtantius pulchritudine placet.

CAPVT XI.
De Verecundia & pudore.

Definiuntur & diſtinguitur.

VErecundia Modeſtiæ cos eſt, & turpidinis frænum. Ejus color virtutis eſt color. Aliquando affectus eſt, aliquando virtus, aut virtuti conjuncta. Si affectus, eſt perturbatio ex malis præſentibus aut futuris, quæ infamiam inferunt, proveniens; ſeu timor dedecoris. Si Virtus, talis eſt, quæ dedecoris atque infamiæ metu nos à vitijs avocat. Illi cognatus eſt pudor, qui eſt iuſtæ reprehenſionis quidam ingenuus timor, quo retenti recta etiam & honeſta agere erubeſcimus. Diſcrimen vix aliquod hic eſt. Verecundiæ adverſatur Impudentia, quâ decorum & vitæ honeſtas negligitur, & ad vitia, quia non timentur, aditus aperitur. Pudori ipſa quoque Impudentia adverſatur & ruſticus quidam pudor, qui nimius eſt, & iuſto major in honeſtis timor, honeſtatem & decorum quaſi reformidans. Tum Verecundia autem, tum pudor decori cuſtos eſt, & parens honeſtatis. Imò virtutum omnium eſt condimentum gratiam addens & ſuavitatem. Ejus ſocietate tutiores ipſæ ſunt virtutes; & cùm bonæ ſit indolis ſignum, quamdiu in animo durat, tam diu locus eſt bonæ ſpei. D. Bernardus. *Quam pulchra & quam ſplendida morum eſt verecundia in vita & vultu adoleſcentis? quam vera & minime dubia bonæ ſpei nuntia, bonæ indolis index? Virga diſciplinæ, expugnatrix malorum, propugnatrix puritatis innatæ, ſpecialis gloria conſcientiæ, famæ cuſtos, vitæ decus, virtutis ſedes, virtutum primitiæ, naturæ laus, & inſigne totius honeſti.* Idem *ſoror continentiæ, indicium columbinæ ſimplicitatis, teſtis innocentiæ, lampas pudicitiæ mentis iugiter lucens.* Convenit hæc virtus omni ætati, ordini, ſexui; adoleſcentes tamen & iuveniles animos maximè decet. Nec ſolùm in factis, ſed in ipſo quoque ſermone ſpectatur, & prima benè loquendi diſciplina eſt verecundia, quæ nihil immodicum, nihil indecorum admittit. *Tacebat in periculis Suſanna,* inquit Ambroſius, *& gravius verecundiæ, quàm vitæ damnum putabat, nec arbitrabatur periculo pudoris tuendam ſalutem: ſoli Deo loquebatur*

batur, cui poterat caſta verecundia eloqui, refugiebat ora virorum intueri. Socrates hortabatur Iuvenes, vt hæc tria haberent, *Prudentiam in animo, ſilentiũ in lingua, verecundiam in vultu.* Hæc facit, ut quis malũ, etiamſi ſolus fuerit, nec faciat, nec dicat. Primum enim eſt revereri ſeipſum, quod qui facit, coram aliis non erubeſcit; honeſtè enim & decorè ſe gerit. Excitauit verecundia Demoſthenem, ut bleſæ linguæ vitium conjectis in os calculis emendaret, vocem anguſtam frequenti montium cõcenſu ſolveret, os ad ſpeculum domi componeret. Quippè verebatur, ne quid indecenter ageret. Sanè enim ea vis eſt pudoris & verecundiæ, vt à turpitudine reuocet, & actiones ad honeſtatem componat.

Additamentum.

EPictetus apud Arrianum lib. 3. cap. 22. cùm deſcripſiſſet latebras & tegumenta ſcelerum, quæ impii peccaturi captant, ait, probo pudorem eſſe pro domo, cubiculario, tenebris, quibus ſeptus, tectuſque faciat duntaxat, quod juſtum eſt, ſeipſum reveritus. Cæus Sophiſta verecundiam dicebat eſſe veſtem virtutis. Pythias Ariſtotelis filia rogata, quis color eſſet optimus, Is, inquit, qui præ pudore, in hominis ingenui vultu effloreſcit. Theognis negat theſaurum ullum pudore meliorem reponi poſſe. Quintilianus lib. 11. cap. 3. Nihil, ait, ad conciliandum gratius verecundiâ. Nazianzenus carm. 63. vocat bonum ruborem florem amabilem. Ennodius lib. 12. informans adoleſcentes ſtudia litterarum capeſſentes. Ad diſciplinarum, inquit, arcem properantes matrem bonorum operum amate verecundiam, quæ ita ex ſe variarum ſpecies virtutum fœcunda & virgo parturit, ut impudentia procax & corrupta vitiorum. Hæc nos hâc voce, ut ad eam tendatis, hortatur.

Tingite candentes roſe ode murice vultus,
Atque fidem morum pandite de facie.
In niveo ſpargens maculas ſit pulchrior ore,
Cùm ſudans tenerum roſcida colla feras.
Nil tibi plus linguâ tribuas, quàm ſtemmate frontis,
Quicquid amare libet, hinc tibi concilia.

Nefas eſt huic tam ſacro manus negare conſilio, quando & ipſa, quæ loquitur, quæſituoſi decoris dote redimita, nobilitatis vel amplificat bona, vel ſuggerit. Bernardus Serm. 86. in Cantica. Quid amabilius verecundo adoleſcente? Quam pulchra eſt hæc ſplendida gemma morum in vita & vultu adoleſcentis? Quam vera & minime dubia bonæ nuntia ſpei, bonæ indolis index? Virga diſciplinæ eſt illi, qui pudendis affectibus imminens, lubricæ ætatis motus actuſque leves coërceat, conprimat inſolentes. Ibidem appellat illam Sororem continentiæ, lampadem pudicæ mentis, expunctricem malorum, propugnatricem puritatis innatæ, ſpecialem gloriam conſcientiæ, famæ cuſtodem, vitæ decus, virtutis ſedem, virtutum primitias, naturæ laudem, inſigne totius honeſti.

TITVLVS VI.

De Iuſtitia.

CAPVT I.

Quid ſit Iuſtitia communis, quod ejus officium, quæ partes, quæ præcepta?

IVSTITIA Communis vna, particularis alia conſtitui ſolet. De Communi hic primo. Iuſtitia igitur Communis ſeu Generalis, vt definit M. Tullius 1. Rhet. *Eſt habitus animi communi vtilitate conſervata ſuam cuique tribuens dignitatem.* Eam ipſe Dominam & Reginam Virtutum omnium appellat, quod illas omnes ſuo ambitu complectatur, & earum comitatu ſit perfecta. Per quam proinde, vt Ariſtoteles ait, homines apti redduntur ad juſtè agendum, & generis humani

Definitio Iuſtitiæ Communis

ſocietas

ſocietas conſervatur. Alij Virtutum omnium complexionem eſſe definiunt, atque illum iuſtum eſſe volunt, in quo omnis virtus reperiatur. Certè nihil aliud mihi eſſe videtur, quàm habitus animi ad diuinarum humanarumque legum obſeruationem inclinans. Qui enim diuinum humanumque ius obſervat nullaque ex parte officio ſuo deeſt, Iuſtus verè dici poteſt. Talis verò vt quis exiſtat, virtute omni præditus eſſe debet, & ſecundùm vniuſcuiuſque normam vitam ſuam & vitæ actiones inſtituere. Quoniam verò vniverſalis hæc virtus ad omnia, quæ lege ſunt ſtatuta, propter commune bonum ſeſe extendit, dici legalis ſolet.

Ejus officium eſt efficere, vt qui ſubditi ſunt, legibus obtemperent, vnicuique, Deo imprimis & Patriæ debitum cultum obſequiumque præſtent; qui verò præſunt, leges obſeruari curent, & commune Reipubl. bonum promoveat. Ita fit, vt omnium officia comprehendat, & virtutum aliarum actiones ad communem vtilitatem ordinet, circa Ius omne verſetur, voluntatem perficiat, vnicuique, quod illi debetur, reddi curet.

Partes. Ejus partes ſunt, Religio, Pietas, Obſervantia, Veritas, Vindicatio, Gratia, de quibus ſigillatim infrà.

Præcepta. Præcepta Communis huius Iuſtitiæ generalia ſunt duo. *Facere bonum, & declinare à malo.* Cùm autem omnis homo, quamdiu vitæ huius aurâ fruitur, tribus omninò debitor exiſtat, Deo, ſibi, proximo ſuo, ſeu hominibus, alijs, ab hac Iuſtitia tres ſunt ſupremæ leges, *Deum cole, Teipſum noſce, proximum tuum ſicut teipſum dilige.* Religione Deus colitur, honeſtè vivendo ſeipſum quis noſcit & reveretur, amicitiæ officijs quivis homo diligitur. Quæ omnia ex iis, quæ dicenda ſunt, poſteà intelligentur.

Porrò antiquiſſimum Iuſtitiæ communis præceptum eſt, vt rationi pareat appetitus. Imò Iuſtitiæ hoc fundamentum eſt. Imperium Rationis & Mentis eſſe debet, obſequium Appetitus & ſenſus; vt hoc modo ſibi ipſi imperet homo. Prius enim eſt ſibi ipſi imperare, quam aliis legem dicere; quod præcipere neſciat, qui non ſit obedire. In hoc Iuſtitiæ originalis cardo volvitur, vt concupiſcentia Rationis judicium ſequatur, & omnes animi in homine facultates nutum ejus obſervent, eaque exiſtat tranquillitas, vt homo totus ſit ſuus, Deo adhæreat, honeſtatem amet, alteri non faciat, ſibi fieri quod nolit. D. Bernardus Iuſtitiæ huius communis partes & officia complexus eſt. *Iuſtitia eſt reddere vnicuique quod ſuum eſt. Tribue ergò tribus quæ ſua ſunt, ſuperiori, Æquali. Inferiori. Redde Prælato reverantiam & obedientiam; quarum altera cordis, altera corporis eſt. Tribue Æquali conſilium, quo ignorantia erudiatur, & auxilium, quo infirmitas iunetur. Tribue ſubiecto cuſtodiam, vt poſſit cavere peccatum; & diſciplinam, vt quod minus cauit minimè maneat impunitum.* Idem ferè, & explicatius Anſelmus. *Iuſtitia eſt animi libertas, tribuens vnicuique ſuam propriam dignitatem, maiori reverentiam, pari concordiam, minori diſciplinam, Deo obedientiam, ſibi ſanctimoniam, inimico patientiam, egeno operoſam miſericordiam.*

Additamentum.

EX Ariſtotele lib. 5. Eth. cap. 1. colligitur hæc Iuſtitiæ Vniverſalis deſcriptio. Iuſtitia univerſalis eſt obedientia erga leges honeſtas, quæ publicam privatamque utilitatem ſpectant. Item hæc. Eſt virtus perfecta ad alium relata, perfecta, inquam, quia virtutum omnium quædam complexio eſt, ſecundum Theognidem, cujus verſum hinc citat ibidem Ariſtot. *Iuſtitia in ſeſe virtutes continet omnes.* Ad alium referri dicitur, quia non tam ſibi, quàm aliis conſulit. Vnde Cicero 2. de Rep. Foras ſpectat, & totum ſe ad alienas utilitates porrigit & explicat. Hanc ob cauſam reliquarum eſt Domina & Regina virtutum. Plato lib. 4. de Rep. dicit eſſe conſenſionem omnium animæ facultatum,

cultatum, in qua ratio præeſt, ſed appetitus obtemperat. Ex his colligitur Injuſtitiam univerſalem nihil aliud eſſe, quàm malitiam totam, & illam quidem ad alios relatam. Seu eſſe legum omnium diuturnarum, naturalium, & politicarum violationem.

Ariſtoteles 5. Eth. cap. 4. aliter Iuſtitiam in genere definit eſſe habitum, à quo juſtis agendis idonei ſunt homines, & juſtè agunt, & juſta volunt. Et capite 5. eiuſdem libri Iuſtitiam eſſe dicit, ſecundum quam juſtus ad agendum per electionem id, quod juſtum, promptus & paratus eſſe dicitur. Quâ ratione, ſed ſenſu contrario, Injuſtitia erit habitus, quo juſtè agere poſſunt homines, & injuſta agunt, & injuſta volunt. Iuſtitiam ita Claudianus commendat in Theodoſii Conſulatu.

—— Te prima hominem ſylueſtribus antris
Elicis, & fœda detergis ſæcula cultu,
Te propter colimus leges, animoſq; ferarum
Exuimus.

Pædalii Indiæ populi nihil aliud à Diis ſuis, quàm juſtitiam precabantur, quod ab hac cætera bonorum genera abeſſe nunquam poſſent. Ageſilaus cùm quæreretur, Vtra præferenda eſſet juſtitia an fortitudo, Nullus, inquit, fortitudinis uſus foret, ſi omnes juſtitiæ operam darent. Ipſe Ariſtoteles ita virtutum omnium præſtantiſſimam juſtitiam eſſe contendit; ut nec veſperus, nec Lucifer adeò ſit admirabilis.

Officia, præceptaque hujus virtutis, & partes clarè hic exponuntur.

CAPVT II.

Quid Iuſtitia particularis, quæ eius materia, quod officium, quis finis?

IVſtitia particularis eſt virtus, quæ ſuum cuique tribuit, & ſuo quemque officio fungi iubet. Seu ut Vlpianus, *Eſt conſtans & perpetua voluntas ius ſuum cuiq; tribuendi.* Inclinat enim & firmat ipſa voluntatem ad perpetuò cuique tribuendum, quod ipſi ex vera, iuſtaque obligatione debetur, idque ad æqualitatem. Illam Plato appellat fulcrum Ciuitatum, Pythagoras ornamentum virtutum, Cicero Rerumpub: benè conſtitutarum animam, Civitatum normam, legum condendarum regulam. Hanc ſolam Pædalii apud Indos à Dijs immortalibus petebant. Et quod ſol in cœlo eſt, quod cor in humano corpore, quod paſtor in grege, quod in exercitu Imperator, quod in navi gubernator, hoc in amœniſſimo virtutum horto Iuſtitia eſt. Sublata juſtitja non tam vivunt mortales, quam ſpirant tantùm; & quanquam longa ætas effluxerit, minimum tamen vixiſſe videtur, qui juſtè parum vixerit. Iuſtitiâ hominum vita definienda eſt, & qui vivere anhelant, iis, præterquam quod juſtum eſt, nihil omninò faciendum eſt. *Definitio juſtitiæ particulares.*

Iuſtitiæ materia ſunt inprimis perſonæ, quibus jus ſuum tribuendum eſt; deinde res illæ, quæ ſunt Ius ipſum cuique debitum. *Materia eius.*

Officium eſt jus ſuum cuique tribuendo commune Reipublicæ bonum procurare, ſicque nemini nocere, & prodeſſe omnibus velle. Finis verò eſt commune bonum, quod tum ſibi conſtat, cùm quod ſuum eſt, quiſque poſſidet. Atque hinc ut Philoſophus ait 5. Eth. *Omnium virtutum ſola iuſtitia in bonis alienis dicitur, quia non ad ſuum commodum, ſed ad aliorum omnia confert. Aliorum enim commodis vtilitatiq; ſeruit, aut Principis aut Reipub.* Originem ejus Cicero in Rhetoricis oſtendit. *Initium*, inquit, *iuſtitiæ eſt à natura profectum; deinde quædam in conſuetudinem ex vtilitatis ratione venerunt: poſtea res à natura profectas, & à conſuetudine probatas legum metus & religio ſanxit.*

Additamentum.

ALlata hic Vlpiani definitio lib. 1. Inſtitutionum Iuris paſſim recepta eſt. D. Thomas 2. 2. q. 58. art. 1. cùm hanc juſtitiæ actualis definitionem ex Vlpiano retuliſſet, dicit eam ſic juſtitiæ habituali poſſe accommodari. Iuſtitia eſt habitus, ſecundùm quem aliquis conſtanti & perpetua voluntate jus ſuum cuique tribuit. Et hanc eandem propè eſſe dicit, cum Ariſtotelica, quæ lib. 5. Eth. traditur

ſuprà

ſup.à nobis relata.Hæc verò conſtantia & perpetuitas intelligi debet pro tempore; quo præceptum de jure cuique tribuendo urget,aut ex prudentis judicio congruum eſt. Siquidem juſtitiæ habitu non conſtituimur in perpetuo ad hanc virtutem ſpectante. Quare in Vlpiani definitione per voluntatem habitus voluntatis eſt accipiendus. In eadem jus ſuum cuique tribuere, eſt debitum omnibus exſolvere. Et quemadmodum virtutes aliæ inter exceſſum & defectum conſtitutæ mediocritatem ſervant; ita juſtitia hæc in bonis & fortuitis malis æqualitatem efficit, nec plus nec minus accipit aut tribuit, quàm oportet.

CAPVT III.

Quæ ſint partes ſeu ſpecies Iuſtitiæ particularis?

Duo ſunt ſpecies.

CVm Iuſtitia in commutandis diſtribuendiſque rebus mediocritatem obſervet, duabus partibus continetur, quarum vna Commutativa juſtitia eſt, altera Diſtributiva dicitur.

Commutativa Iuſtitia

Commutativa Iuſtitia eſt, quæ in commerciis ac negotiis æqualitatem obſervat. Seu,quæ in contractibus,obligationibus,& commutationibus vnicuique quòd ſuum eſt tribuit. Hujus regula eſt Arithmetica proportio; neque enim perſonarum,ſed rerum æqualitatem attendit, rerum commutationem ita corrigit, ut neutri parti injuria inferatur. Nam quemadmodum in Arithmetica proportione æqualiter diſtare à ſe invicem termini debent, nec vllus alterum, qui vicinus eſt, ſuperare; ita in rerum commutationibus qui permutantes ſunt, æquales vtrimque partes ſortiri debent nudâ & ſimplici ſpectatâ æqualitate. Hoc vt juſtè fiat, opus eſt viri prudentis judicio,qui circumſtantias & rerum pretium diligenter perpendat. Æſtimatur rerum pretium vel copiâ, vel inopiâ. Accreſcit illud cùm charitas eſt annonæ, decreſcit cùm vilitas eſt. Attendi etiam rerum bonitas debet, quæ in fructu proveniente cernitur; item communis hominum opinio ſeu æſtimatio. Tanti quippè plerumque res ſunt,quanti æſtimantur. Exceſſus Iuſtitiæ huius eſt,nimium lucrum,cùm nimirum pars vna plus aufert, quàm debet,non ſine alterius injuria. Defectus eſt damnum, quando minus accipit pars vna,quàm debet, incommodoque afficitur. Vnde fit vt Commutans Iuſtitia debiti retribuendi rationem habeat, non honoris diſtribuendi.

Diſtributiva Iuſtitia

Diſtributiva Iuſtitia eſt, quæ in diſtribuendis pro cuiuſque meritò præmijs & pœnis æqualitatem obſervat. Seu quæ pro factis vnicuique quod ſuum eſt tribuit. Cùm autem facta vel bona ſint, vel mala, pro bonis præmia redduntur,pro malis pœnæ; ſicque vna Iuſtitiæ Diſtribuentis pars eſt Remunerans,altera Puniens. Regula ejus eſt Geometrica proportio, in qua maiorum minorumque numerorum æqua ratio ſpectatur. Spectat hæc Iuſtitia potiſſimùm ad Principes & Magiſtratus,quorum eſt pro cujuſque dignitate meritoque officia & munera diſtribuere; item pœnas pro delictorum ratione conſtituere, vt æquali jure cives regantur. Neceſſaria tamen omnibus ejus cognitio eſt, tum vt quiſque ſuum in Republica locum & munus intelligat,ſeipſum noſcat, nec inſolentius efferat; tum vt alteri ſuum locum ac munus tribuat relinquatque.

Additamentum.

DVæ hic conſtituuntur, Commutativa, & Diſtributiva. Nam ut ait Ariſtoteles lib. 5. Eth. cap. 2. Omnis inter homines communio duabus potiſſimùm rebus continetur, Ordinatione perſonarum, & rerum commutatione. In his dominatur æqualitas, quæ, ut ait Iocaſte apud Euripidem in Phœniſſis, Semper amicos amicis, Civitates civitatibus, Confœderatos confœderatis invicem devincit; cùm quod æquale idem legitimum ſit inter homines. Quippè, æquale non facit bellum, ut ait Solon teſte Plutarcho in ejus vita. Hoc ut Veteres ſignificarent, in ſerio ſignorum Zodiaci, Virgini, quæ Aſtræa eſt, libram appoſuêre; quàm eandem eodem ſenſu Pythagoras tranſilire prohibet, ut eſt apud eundem Plutarchum

chum in puerorum inſtitutione.

Commutativa juſtitia ſic appellatur, quod commutationes rerum & contractus moderetur. Verſatur enim circa contractus, in iiſque æqualitatem conſtituit, non Geometricâ, ſed Arithmeticâ proportione, nulla perſonarum, quæ contrahunt, habitâ ratione. De ea æqualitate, ſi controverſia oriatur, ad judicem itur, & æqualitatis emendatio poſtulatur. Conſtituitur hoc exemplum perſpicuitatis causâ. Emit quiſpiam libros aureis decem, nec Bibliopolæ ſatisfacit. Hic inæqualitas oritur, juſtitiæ huic contraria. Emptor habet plus, ſeu lucrum, libros nempè & pecuniam, adeoque viginti aureos; venditor minus habet, ſeu damnum, nihil nempè eorum, quæ in contractu, cùm libros tradiderit, nec pecuniam receperit. Hanc inæqualitatem corrigit juſtitia commutativa, & decem aureos adimit emptori, ut Bibliopolæ fiat ſatis. Vnde naſcitur medium inter lucrum & damnum Arithmetica proportione ſitum. Reperietur autem hoc medium, ſi exceſſus lucri ſupra damnum in duas partes ſecetur; & altera damno adjiciatur. Vel ſi damnum & lucrum in unam redigatur ſummam, ejus dimidium erit ipſum medium. Vnde Ariſtoteles lib. 5. Eth. cap. 4. Iuſtum, inquit, eſſe medium inter lucrum & damnum, niſi aliud ſpontaneum ſit. Hujus juſtitiæ effectus ſunt, quæſtus ſine injuria, pax ſine diſcordia, poſſeſſio proprii juris ſine invidia. De hac loquitur Deus Deuteronomii cap. 25. Non habebis in ſacculo diverſa pondera, majus & minus; nec erit in domo tua modius major & minor. Põdus habebis juſtum & verum, & modius æqualis & vetus erit tibi. Item Levitici c. 19. Nolite facere aliquid iniquum in regula, in pondere, in menſura, in ſtatera. Hac juſtitiâ commendati olim fuerunt. 1. Apollonius Alabaudenſis dicendi Magiſter, qui cùm certâ mercede doceret, non patiebatur inidoneos ad eloquentiam apud ſe operam perdere, ſed dimitebat, & ad artem aliquam, cui apti erant, addiſcendam hortabatur, teſte Cicerone s. de Oratore. 2. Mutius Scævola Pontifex Maximus idemque Iuriſperitus & Orator ſummus, cùm aliquando fundum emiſſet, eumque poſtquam vidit, pluris æſtimaret, quàm emerat, addidit pretium majus, ut Cic. lib. 3. Offic. refert. 3. Pythagoricus quidam Philoſophus, cùm emiſſet calceos & pretium die ſequenti ſolvere deberet; ubi paratus ſolvere fuit, Sutorē vitâ functum intellexit. Gaviſus primo, ſed mox cùm angi conſcientia cœpiſſet, progreſſus ad Sutoris tabernam pretium calceorum in eam conjecit, dixitque, Tibi vivit, aliis qui mortuus eſt. Ita refert Eraſmus. 4. Fabius Maximus captivos quosdam redemerat interpoſitâ nummorum pactione, quos cùm Senatus redimere non vellet, ipſe fundum ſuum, ut ſatisfaceret vendidit.

Iuſtitia Diſtributiva ſecundùm Ariſtotelem lib. 5. Eth. cap. 6. eſt, quæ perſonas ordinat, & unicuique convenientia ſecundùm dignitatem Geometricâ proportione aſſignat. Verſatur hæc circa operas, officia, pecunias, opes, honores, præmia, pœnas, quæ inter homines diſpertiri ſolent, ſed ita tamen, ut non omnibus paria, ſed æqualibus æqualia, inæqualibus inæqualia præbeantur. Varii enim ſunt in Repub. perſonarum gradus & ordines, quorum habitâ ratione hæc juſtitia pro cujuſque dignitate, virtute, officio, meritis, convenientia decernit, aliis plura, pauciora aliis; ſicque perſonarum & rerum æqualitatem efficit. Per hanc juſtitiam Reſpublicæ florent, cùm in iis virtus honoratur, vitia contemnuntur & plectuntur; qua de re Plato de Legibus, Iſocrates, Plutarchus & alii. Porrò ut applicetur proportio Geometrica ad Iuſtitiam Diſtributivam, 1. Inſtituenda eſt collatio perſonarum & rerum inter ſe. 2. Videndum quibus apti ſint rebus, cùm non omnes omnia poſſimus. 3. Singulis convenientia ſunt aſſignanda. Quare ſi de Caſtris regendis agatur, Ciceroni Marius eſt anteponendus; ſi de Rep. pacis tempore, Cicero Mario præferatur. Alexander Severus Imp. non ambientibus, ſed recuſantibus Magiſtratus committebat, quod hos ad Remp. gerendam aptiſſimos eſſe diceret, teſte Lampridio. Antigonus, ut refert Plutarchus in Apophtegmatibus, Thraſyllo Cynico petenti dragmam, Non eſt, inquit, munus Regium; cùm ille Da ergò talentum, diceret, Non eſt, inquit Rex, Cynicum tale Munus accipere. Archelaus, cùm quidam ab eo poculum aureum peteret, juſſit illud Euripidi dari. Tu quidem, inquit, dignus es, qui petas, ſed hic, qui accipiat.

CAPVT. IV.

Quotuplex Ius, & quæ Iuris præcepta?

Naturale & poſitiuum *Quid Ius naturale.*

IVs generaliter ſumptum duplici ſpecie conſtat, Naturali & Poſitivo. Ius naturale eſt, quod omnibus hominibus à natura inſitum eſt, eandemque ſemper, & ubique vim obtinet. Seu eſt quoddam recti iuſtique præceptum in hominum conſcientia relictum. Atque, ut cùm Cicerone dicam, *Eſt non ſcripta ſed nata lex, quam non didicimus, accepimus, legimus, verum ex natura ipſa arripuimus, hauſimus, expreſſimus: ad quam non docti, ſed facti; non inſtituti ſed imbuti ſumus.* Definit illud Vlpianus, *Quod natura omnia animalia docuit.* Verum quomodo capacia Iuris ſunt bruta, quæ ſolis naturæ ſtimulis incitantur, nec jure quicquam faciunt, nec injuriam inferunt? An ſine ratione jus eſſe poteſt? *Errat*, inquit Seneca lib. 2. de Ira. *qui animalia in exemplum hominum adducit, quibus pro ratione eſt impetus, homini pro impetu ratio eſt.* Dividitur Naturæ Ius, in primum & ſecundum; ſeu in illud, quod primò inſitum eſt nobis, & illud quod poſtea.

Illud duplex. *Primum.*

Primum eſt, ad cujus notitiam & obſervationem per primam Naturæ inclinationem homo, quà homo eſt, diſponitur. Tale eſt, Deum eſſe colendum, parentes honorandos, liberos educandos. Secundum eſt, ad cujus notitiam & obſervationem per ſecundam naturæ inclinationem homo, quà ſocietatis humanæ membrum eſt componitur. Hoc dici Ius Gentium ſolet, quod omnium voluntate ſine lege vetuſtas comprobavit, naturâ ita dictante. Tale eſt, pactum ſervandum eſſe, legatos non eſſe lædendos; quicquid denique hominum omnium moribus ſine ſcripto receptum eſt.

Secundum

Quid Ius poſitiuum.

Ius poſitivum eſt præceptum aliquod ſupremi Magiſtratus auctoritate ſancitum. Fundatur in Naturæ Iure, & ad eorum, quibus fertur, utilitatem accommodatur. Continetur legibus ipſis, ex quibus legitima jura cognoſci oportet. Dici Civile ſolet, quod ſingularum ſit Civitatum.

Aliud ſtrictum aliud æquum.

Dividitur autem in Ius ſtrictum, & Ius æquum. Ius ſtrictum eſt lex nullâ habitâ circumſtantiarũ ratione conſiderata, & prout ſcripta eſt accepta. Vocant illud Ius ſcriptum, ſeu Ius abſolutum. Ius æquum eſt ſcriptę legis habitâ circumſtantiarum ratione moderatâ temperies. Hæc ars eſt æqui & boni.

Iuris præcepta ſunt tria, *Honeſtè viuere. Alterum non lædere, Suum cuique tribuere.* Primum eſt Modeſtiæ, ſecundum Temperantiæ, tertium Iuſtitiæ. Honeſtè vivere, ſecundùm Stoicos, eſt cum virtute conſentire, ac moribus non eſſe diſſolutis. Alterum non lædere, ad famam ſalutemque alienam ſpectat. Suum cuique tribuere, ad id, quod intereſt, refertur. Quanquam hæc Iuriſprudentiæ ſtudio relinquo.

CAPVT V.

Alia Iuſtitiæ partitio in Diuinam, Naturalem, Ciuilem, Iudicialem.

QVadrifariam etiam dividi commodè Iuſtitia poteſt, vt prima ſit Divina, ſecunda Naturalis, tertia Civilis, quarta Iudicialis. Hæc partitio ex Iuris diviſione oritur.

Quid Iuſtitia Diuina.

Divina Iuſtitia eſt, cujus participes à Deo facti ſunt homines, & quæ illos ad ejus agnitionem obligat ac compellit. Nimirũ vt tanquam mundi hujus & omnium in eo rerum conditor conſervatorque credatur, agnoſcatur, colatur. A quo omnia ſint, cujus omnia ſint, ſine quo nihil ſit. Recta iſta & firma ſummi Dei ratio eſt, juſta jubens, injuſta prohibens.

quid naturalis.

Naturalis Iuſtitia eſt ipſum Naturæ Ius ſtabile perpetuumque. Soli homini competit, qui ejus legem ſecutus ſeipſum inprimis alit, tuetur, gubernat; deinde ex ſe genitos, ac tum parentibus ſenio, vel morbo, vel neceſſitate laboranti-

borantibus adeſt. Poſtremo humanitatem conſervat, & omnibus prodeſt. Præcipit hæc Iuſtitia, vt naturam quæ recta honeſtaque ſequens à vitijs abhorret, ducem habeamus.

quid Ciuilis.

Ciuilis Iuſtitia eſt Ius ipſum Poſitivum, quod ſummi conſtituunt Magiſtratus. Conſervat communem utilitatem, & ſuam cuique tribuit dignitatem, idque per Reges & Principes, qui morum magiſtri cenſoreſque ſunt, qui proinde viros optimos Magiſtratibus præficere, & juſtas ſerre leges debent, nec permittere, vt vitia in Civitatibus radices agant.

quid Iudicialis.

Iudicialis Iuſtitia eſt, quæ in jure dicendo, ſeu Iudicio exercendo verſatur. Iudicium autem eſt recta juſti atque injuſti iudicatio. Opus igitur inprimis eſt, ut quid juſtum aut injuſtum ſit leges decernant, tum ut per hanc Iuſtitiam ſuum cuique tribuatur; abſolvantur innocentes, puniantur rei. Quanquam hæc omnia videti iam ex ſupra dictis nota poſſunt.

Additamentum.

CONſulendi hac de re potiſſimùm Iuriſperiti, apud quos variæ Iuris diviſiones, & deſcriptiones leguntur. Ius Naturæ ab Ariſtotele 5. Eth. cap. 2. Et 1. Rhet. c. 13. definitur eſſe Ius, quod ſemper & ubique vim habet; ſicut ignis, inquit, & hic & apud Perſas urit, nec ab opinione pendet. Apud Lactantium lib. 6. Divinarum Inſtitutionum cap. 8. Eſt recta ratio naturæ congruens diffuſa in omnes, conſtans, ſempiterna, quæ vocat ad officium jubendo, vetando à fraude deferret. Authot hujus Iuris eſt Deus, qui rerum agendarum & fugiendarum notitiam quandam animis noſtris impreſſit, & in Decalogi tabulis poſteà expreſſit. Ejus potiſſimùm præceptum eſt, Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris. Hoc Ius negarunt olim Pyrrho, Carneades, Cynici, nec aliud agnoverunt, quàm conſuetudine, lege, opinione, conſtitutum, ſed delirarunt. Præter Scripturarum Sacrarum authoritatem luculenter illud aſſerit Cicero de legibus, Omnium, inquit, quæ in hominum doctorum diſputationibus verſantur, nihil eſt profectò præſtabilius, quàm planè intelligi nos ad Iuſtitiam eſſe natos, nec opinione, ſed naturâ conſtitutum eſſe jus. Lib. 1. qq. Tuſcul. docet nos à pueris rerum inſitas & quaſi conſignatas in animis notiones habere. Et lib. 2. de Nat. Deorum, Omnium, ait, commenta delet dies, naturæ Iudicia confirmat.

Ius Gentium illud eſſe dicunt, quod naturalis ratio inter omnes homines conſtituit, & quod peræquè apud omnes cuſtoditur.

Ius poſitivum eſt decretum legitimæ poteſtatis non pugnans cum jure naturæ, ſed addens illi circumſtantiam aliquam probabili ratione, non neceſſario definitam, Ejus ergò forma eſt, cum Iure naturæ convenientia. Cicero 2. de Legibus, eſt juſtorum & injuſtorum diſtinctio ad antiquiſſimam illam & rerum omnium principem expreſſa naturam, ad quam leges hominum diriguntur, quæ ſupplicio improbos afficiunt, & defendunt, ac tuentur bonos. Pulchrè Demoſthenes Orat. 1. in Ariſtogitonem. Lex eſt inventum & donum Deorum, decretum verò Prudentum Virorum, coërcitio delictorum conſultò vel inconſultò factorum, commune pactum civitatis, ad cujus præſcriptum omnes vitam inſtituere oportet. Quare quæcunque lex naturæ & rectæ rationi contraria eſt, fex eſt non lex. Legem, ait Ariſtoteles 3. Polit. qui præficit Reipub. Deum & rationem præficit; qui verò hominem, non niſi belluam. Porrò valor & authoritas poſitivi juris eſt à ratione probabili, auctoritate Magiſtratus, & temporis diuturnitate. Qua de re Ariſtoteles 2. Polit. c. 6. Veteres Legiſlatores legum ſuarum Deum ſemper authorem fecerunt. Mynias Ægyptius Mercurium, Minos, Jovem, Lycurgus Apollinem, Zamolxis Veſtam, Numa Egeriam Nympham.

Æquitas eſt virtus, quæ Iuſtitiam ſeveram mitigat, vel pœnam inferendo mitiorem, vel condonando prorſus offenſam probabili ratione.

Ius Summum eſt, quando leges non malitiosè quidem & fraudulenter contorquentur, ſed tamen ſtrictè retinentur & præcisè, nec ab iis tranſverſum unguē diſceditur, licet propter rationem probabilem adhiberi mitigatio poſſit. Sic L. Domitius Siciliæ Prætor in crucem ſuſtulit paſtorem, qui aprum venabulo confixum adferebat, quod contra Prætoris edictum cum telo fuiſſet, ut eſt apud Valerium lib. 6. cap. 3. Vſus eſt ſummo jure Manlius Torquatus Bello Latino Conſul, qui fi-

lium ſecuri percuti juſſit, quod exploratum miſſus & ab hoſte prouocatus contra Conſulare edictum pugnaſſet viciſſetque. Valerius lib. 2. cap. 2.

Æquitatem Publicam Ariſtoteles 3. Eth. cap. 10. appellat Iuris legitimi ſeu legis correctionem, quatenus deficit, eò quòd in genere lata eſt. Seu id, quod præter ſcriptam legem juſtum eſt. Quare eſt quædam moderatio & benignior legis interpretatio. Hæc autem moderatio tantùm ad Ius Civile ſpectat, cùm Naturæ Ius nullam correctionem admittat. De his omnibus vide Iuriſconſultos.

CAPVT VI.

De Religione.

Definitio Religionis. RELIGIO eſt virtus, quâ juſtus vetuſque Deó cultus tribuitur. Seu, eſt Iuſtitia erga Deum. Secundùm Ciceronem, *Religio eſt, quæ Superioris cuiuſdam naturæ, quam diuinam vocant, curam ceremoniamq́ adfert.*

Vnde dicta Dicta eſt, Iſidoro teſte, à religando, quod nos liget Deo, & ad cultum illi exhibendum obliget. Pietas dici ſolet, quà nimitum Deum colimus. Eâ lege nati omnes, & in hanc editi lucem ſumus, ut juſtum ac debitum illi obſequium præbeamus.

quod officium eius Officium Religionis eſt, vnire hominem Deo Conditori ſuo, cum quo quamdiu conjunctus manet, tamdiu perfectus eſt.

Eius finis Finis eſt Divinæ Majeſtatis honor. Quippè illi ac ſoli gloria omnis debetur, quam ex animo velle, atque omni conatu procurare hominis eſt. Hæc virtus omnis Iuſtitiæ initium & fundamentum eſt; neceſſaria verò, ut iuſta ac fraudis expers vita degatur. Arcet enim ab improbitate, dum iuſtè pieque viventibus felicitatem æternam proponit, & delinquentibus terminandum nunquam ſupplicium. Ab hac eſt illa, quam habemus, rerum divinarum ſcientia. Ejus vim aliquam animis inſitam mortales omnes habent: vnde ab orbe condito nulla vnquam tam barbara gens fuit, quæ non religionem aliquam, etſi falſam, coluerit, Divinique Numinis metu juſiurandum fidemque ſervaverit, & ab injuriâ prohibita ſit. Vera maioribus noſtris à Chriſto Ieſu illuxit, & ad nos vſque integra incorruptaque peruenit. Et hæc Chriſtianorum felicitas eſt, vero non falſo cultu, verum Deum adorare.

vitium contrarium. Contraria Religioni Superſtitio eſt, quæ vano inanique cultu Deum honorat. Hûc deceptâ vetuſtas ferè omnis fuit. Deteſtabilior Superſtitione Impietas eſt, quæ Iuſiurandum contemnit, Blaſphemiam evomit, Religionem aſpernatur, Epicureos aut Atheos homines efficit. Porrò ut religio perfecta ſit in nobis, inprimis comparanda vera certaque Dei cognitio eſt. Nam ex cognitione oritur honor. Quomodo autem de Diuina Majeſtate ſentiendum ſit, & quid de ea fide tenendum, Chriſtiana noſtra Catholicaque Religio docet. Audiat Eccleſiam quiſquis Deum ignorat. Deinde cognitum Deum honorare par eſt. Nimirum colendo, illique ſerviendo. *Optimus animus pulcherrimus Dei cultus eſt*, inquit Seneca. Nequaquam tamen receptum publicè cultum fas eſt aſpernari; amplecti oportet, & promovere, ut cùm pura mente colatur Deus, tum ſolemnibus cæremoniis, & venerando quodam apparatu honoretur.

Additamentum.

PRimum hominis debitum eſt colere Deum. Circa hoc debitum verſatur Religio, quæ Pietas in Deum eſt, virtutum moralium eminentiſſima. Ejus dignitatem & ſplendorem egregiè Philo lib. de Charitate aperuit. Solent, inquit, pietatem comitari virtutes cæteræ, à qua non magis divelli poſſunt, quàm umbra à corpore, quod in ſole verſatur. Enumerat deinde virtutes, quæ Religionem comitantur, & vitia quæ oriuntur, ubi illa non eſt. Et Iſidorus Pelus lib. 3. Epiſtola 268. Quemadmodum in corpore valentior pulchritudinis pars eſt oculorum pulchritudo, ita in animo præcipua pulchritudinis pars eſt pietas. Ratio tantæ in hac

virtute

virtute præſtantiæ eſt, quia Religio homines à Deo quaſi abjunctos eidem per cultum debitum religat. Plutarchus lib. adverſus Colotem. In legum conſtitutione inquit, primum eſt & maximum de Diis opinio Quamobrem & Lycurgus Lacedæmonios, & Numa Romanos, & Ion antiquos Athenienſes,& Deucalion Græc. ferè univerſos,Diis conſecraverunt votis, ſacramentis, vaticiniis, omnibuſque eos ob ſpem & metum Diis debitos obnoxioſque reddentes. Et ſi terras obeas invenire poſſis urbes muris, litteris, Regibus, domibus, opibus, numiſmate carentes, Gymnaſiorum & theatrorum neſcias; urbem templis Diiſq; carentem quæ precibus, jurejurando, oraculis non utatur, non bonorum causâ ſacrificet, non mala ſacris avertere nitatur, nemo unquam vidit. Sed facilius urbem condi ſine ſolo puto, quam opinione de Diis penitus ſublata, civitatem coire aut conſtare. Hic autem ſatis exprimitur Religionis officium.

CAPVT VII.

De Pietate & Obſeruantia.

CVm primus Deo tribuendus ſit cultus,tum ſecundus Patriæ, parentibus & propinquis, ac tertius denique debitus eſt iis, qui ætatis, vel Doctrinæ, vel Dignitatis prærogativâ cæteris antecellunt. Atque hinc Pietas & Obſervantia. Vtraque Iuſtitia quædam eſt. *Quid ſit Pietas.*

Pietas eſt virtus,per quam Patriæ,parentibus,ſanguineque junctis debitum officium & dilligentem cultum tribuimus. Ei contraria Impietas eſt,quâ nimirùm beneuolentia caritaſque Patriæ propinquiſque negatur. Nam, ut refert Cic. præclarè ſcriptum eſt à Platone, *Non nobis ſolum nati ſumus, ortuſq; noſtri partem patria vindicat, partem amici*. Quales autem in Patriam eſſe debeamus, Herocles in ſermone de ea re docet *Eſt*, ait, *Patria velut alter quidam Deus, & primus maximuſq; parens. Quare qui nomen ei impoſuit à re ipſa, non temerè Patriam nominauit, vocabulo quidem à Patre deducto, pronunciato tamen fœmininâ terminatione, ut ex utroque parente miſtum eſſet. Atque hæc ratio inſinuat, Patriam unam ex æquo duobus parentibus colendam eſſe. Præferenda igitur omninò eſt Patria vtriuis parentum ſeorſim; & ne ſimul quidem parentes ambos majoris fieri, ſed æquali honore dignari. Eſt autem & alia ratio, quæ non tantùm æquali, ſed maiori etiam, quàm ſimul ambos parentes honore patriam afficere & monet, neque ſolis eam præfert, ſed etiam uxori & liberis, & amicis, & abſoluto ſermone rebus alijs omnibus poſt Deos. Qui ſeipſum præ patria ſeruare vult, tum injùſtè facit, tum ſtolidus eſt, inſuper impoſſibilia deſiderans. At qui patriam ſibi ipſi præponit, is Dijs charus eſt, & mente prudens. Quicquid patriæ prodeſt, id ſingulis quoque particulatim eſt commune: etenim totum nullum eſt ſine partibus. Et viciſſim quod ciui fuerit vtile, ciuitati quoque conuenit, ſi modo illi, quatenus ciuis eſt, expedit.* Eodem ferè ſenſu M. Cicero, *Patria nihil charius in vita eſſe debet. Nullus locus eſt domeſticâ ſede jucundior. Chari ſunt liberi, propinqui, familiares, ſed omnes omnium charitates patria una complexa eſt, pro quâ quis bonus dubitet mortem oppetere, ſi ei ſit profuturus?* Patriæ igitur omnia ferè debemus. Eſtne illi in Magiſtratu aliquo ſerviendum? ne recuſa. *Vocante te patria ipſa ad Remp. gubernandam, abſurdum eſt non parere*, inquit Plato. Eſtne ferendum aliquid pro patria, vel moriendum? Promptus paratuſque eſto. Siquidem, teſte eodem Platone, *ſiue mandarit verberari te, ſiue in prælium miſerit ad vulnera accipienda, morteḿq; ſubeundam, obediendum eſt omninò. Ius enim ita dictat, neque tergiuerſandum, neque fugiendum, neque ordinem deſerendum, ſed & in bello, & in judicio, & prorſus ubique ea ſunt, quæ Reſp. patriaq; juſſerit, facienda.* Teſte verò Cic. *Nullus eſt caſus pro dignitate & libertate patriæ non ferendus.* Horatius lib. 1. Carm.

Præferre patriam liberis Regem decet. Item:

Dulce & decorum eſt pro patria mori.

Quid ſi ne iraſci quidem patriæ liceat? Ita Fabius filium monet apud Sil. Ital.

Jamque hoc, nec dubites, longæui nate parentis
Accipe, & æterno fixum ſub pectore ſerua.
Succenſere nefas patriæ, nec fœdior vlla
Culpa ſub extremas fertur mortalibus umbras.

Tantùm hunc ſui amorem ipſa ſingulis patria inſevit. Vnde 1. de Ponto:

Neſcio qua natale ſolum dulcedine cunctos
Ducit, & immemores non ſinit eſſe ſui.

Noti ſunt Decii apud Romanos, qui ne in periculo patria corrueret, devotum morti caput ſuppoſuerunt. Notus apud Athenienſes Rex Codrus, qui ne in hoſtium poteſtatem patria veniret, ultrò mortem quæſivit, ut ſuo illi ſanguine victoriam pareret, & libertatem conſervaret. Magnum etiam pietatis hujus & juſtitiæ officium parentibus propinquiſque debetur. Divinæ quippè Majeſtatis hoc præceptum eſt, *Honora patrem tuum, & matrem tuam, ut ſis longæuus ſuper terram.* Quomodo honorabis? *In opere, & ſermone, & omni patientia*, inquit Eccleſ. *ut ſuperueniat tibi benedictio à Deo, & benedictio illius in nouiſſimo maneat.* Maledicere iis non licet. *Qui maledixerit Patri vel Matri, morte moriatur* Matth. 15. Exod. 21. Obediendum eſt iis: unde Divus Paulus ad Epheſ. 6. *Filii obedite parentibus veſtris in Domino, hoc enim juſtum eſt.* Imò ad Coloſſ. 3. *Filii obedite parentibus per omnia; hoc enim placitum eſt Domino.* Non irridendi ſunt, non contemnendi, non percutiendi: imò ſerviendum eſt iis Nam Eccleſ. 3. *Qui timet Dominum honorat parentes, & quaſi Dominis ſeruiet his, qui ſe genuerunt.* Vna omnium officiorum cauſa eſt, vita accepta. Hinc Divus Ambroſius in Matth. *Primus gradus pietatis eſt iſte, ut quos Authores tibi voluit eſſe Deus, honores obſequiis, abſtineas contumeliis, nec vultu lædenda eſt pietas Parentum.* Plura in Oeconomicis hac de re.

Quid ſit Obſeruantia. Obſervantia eſt, per quam eos reveremur & colimus, qui ætate, ſapientiâ, dignitate antecedunt. Neceſſaria omni ſocietati hæc virtus eſt, ut Principibus, Magiſtratibus, Præceptoribus debitam obedientiam præſtemus; quâ ſublatâ ruat omnis ſocietas neceſſe eſt. Contraria Obſervantiæ ſeu Obedientiæ Contumacia & Negligentia eſt, item obſequii ſimulatio. Illa pernitioſa omninò eſt, quàm arrogantia gignit, aut nimius ſui amor: hæc verò ad res etiam parum honeſtas obedientia eſt. Vile ſanè obſequium.

Porrò præceptum hoc Divinum eſt Levit. 19. *Coram cano capite conſurge, & honora perſonam ſenis, & time Dominum Deum tuum.* Eſt & illud Epiſt. 1. Petri 2. *Regem honorificate. Subjecti eſtote omni humanæ creaturæ propter Deum; ſiue Regi, quaſi præcellenti, ſiue Ducibus tanquam ab eo miſſis ad vindictam malefactorum, laudem verò bonorum.* Item *Serui ſubditi eſtote in omni timore Domini*. Item, *Non eſt poteſtas niſi à Deo, & qui reſiſtit poteſtati, Dei ordinationi reſiſtit.* Alexander Magnus, Plutarcho referente, dicebat ſe non minùs Ariſtoteli præceptori, quàm Philippo patri debere, quod à patre vivendi, à præceptore benè vivendi initium accepiſſet; ideoque illum ſummâ veneratione proſequebatur.

Additamentum.

POſt Religionem pietas prima in patriam & parentes eſt. Lucianus in patriæ Encomio rectè dixit: Si quis juſtum patriæ honorem defert, ille patriæ quoque convenienter præcipuum honorem habiturus eſt: ſiquidem ipſe etiam pater, peculiaris eſt patriæ poſſeſſio. Sublimus verò Hierocles Diſſertatione de Obſervantia in patriam. Eſt patria, inquit, velut alter quidam Deus, & primus maximuſque parens. Quem locum hic citamus fuſius. Auguſtinus Sermone 68. de tempore. Cui non magis dulce eſt proprium tugurium, quàm palatia peregrina,

& vo-

& voluntaria caſa, quam digeſta Prætoria? Quis propria ſine dolore deſeruit, aut ſine lachrymis dereliquit? Cui non eſt durum, illos conſcios natalium parietes; dulcia illa lumina atque amabilem larem, quem & parentum memoria, & ipſius infantiæ rudimenta commendant, ubi cunabula illa novi & mox orientis hominis famulabantur, ubi ſecura alludens infantia inter lucis primordia; aut pueriles anni ſimplicitate felices, quos ſibi inter laſcivos atque ipſius ætatis luſus venaculo genuina ſolo neceſſitas exhibebat. Dio Chryſoſtomus multa eiuſdem argumenti habet Orat. 44. Philo lib. de Decalogo. Præceptum, inquit, de honorandis parentibus ſitum eſt in duarum tabularum confinio. Cùm enim in prima ſit ultimum, conjungit ambos, priori ſecundum applicans complexam ius quod nobis intercedit cum hominibus. Quod ideò factum arbitror, quia parentum natura videtur mortalis & immortalis eſſentiæ confinium. Mortalis propter cognationem cum hominibus & cæteris animantibus, & propter corpus corruptibile; immortalis verò, quia gignendo refert Deum genitorem omnium. Parentibus igitur tanquam vitæ & educationis naturæ principiis ſecundariis, ſpecialis cultus debetur. Et quia in conſanguineis parentum ſanguis invenitur, idcircò pietas aliquatenus quoque ad conſanguineos extenditur. Tanquā reſperſos primario illo & fontali jure, quo parentibus obſtringimur. Seneca lib. 3. de Benefic. cap. 37. Siculi juvenes, inquit, cùm Ætna majori vi peragitata in urbes, in agros, in magnam Inſulæ partem effudiſſet incendium, vexerant parentes ſuos. Diſceſſiſſe creditum eſt ignes, & utrimque flammâ recedente, limitem adopertum, per quem tranſcurrererent juvenes digniſſimi, qui magna tutò auderent. Hoc idem argumentum Divinæ providentiæ haber Ariſtoteles lib. de Mundo ad Alexandrum c. 7.

Porrò dum de pietate in patriam ſermo eſt, non ipſe nativitatis locus, ſeu terrá intelligenda eſt, ſed communitas hominum; dumque patriæ amor parentum amori præfertur, publicum privato bonum anteponitur. Non negamus tamen, quin propenſiſſimus ſit ille affectus, quo in patriam ſuam, quantulacunque demum ea ſit, fertur. Cujus exemplum in Vlyſſe Homerus exhibuit, qui Ithacâ ſuâ, quæ erat tanquam nidus ſaxo affixus, nihil jucundius habuit.

Porrò ut pietas erga parentes, ita obſervantia erga ſuperiores verſatur, quorum etiam virtuti & excellentiæ cultus aliquis debetur. Hinc Cicero lib. 2. de Invent. obſervantia eſt, per quam ætate, aut ſapientia, aut aliquâ dignitate antecedentes reveremur & colimus. Hic cultus ſe prodit poplitem flectendo, genua ponendo, aſſectando, deducendo, honoratiore loco cedendo. An autem honoratior locus ſit in dextra aut ſiniſtra vetus rixa eſt, de qua Biſciola tom. 2. lib. 11. cap. 5. Et Lipſius lib. 2. Electorum, cap. 2. Apuleius lib. 4. Cum equo, inquit per viam concito pervolant Si quem interea conſpicantur ex principalibus viris nobilem hominem, bene conſultum, bene cognitum, quanquam oppido feſtinant, tamē honoris ejus gratia cohibent curſum, relevant gradum, retardant equum, & ilicò in pedes deſiliunt, fruticem, quem verberando equo geſtant, eam virgam in lævam manum transferunt. Itaque expedita dextra adeunt ac ſalutant; & ſi diutulè ille quippiam percontetur, ambulant diutulè & fabulantur. Huc pertinet illa adoratio, ut obſervat Muretus lib. 10. Var. cap. 1. cùm inter ſalutandum, oſcula manu redduntur, & oſcula delibata digitis ad os referuntur. Veteres etiam capita & pectora honoris gratiâ oſculabantur. Cæterùm obſervantia admetienda eſt cujuſque excellentiæ. Vnde Philo lib. de Monarchia ſub finem, Non omnia, ait, omnibus danda, ſed quæ accipientibus conveniant; alioquin ordo, quo nihil in vita melius, tolletur è medio, ſuccedente confuſione perniciofiſſima. Si enim in navibus oneratijs nautæ gubernatoribus pares erunt, & in triremibus æquabuntur præfectis remiges, navaleſque ſocii, in exercitu equites magiſtris ſuis, ſcutati ordinum ductoribus, Centuriones Legatis & Imperatoribus; item in Rep. concionatores Senatoribus, rei Iudicibus, & in univerſum plebei Magiſtratibus, tumultus ſeditioneſque naſcentur, & iſta verbo tenus æqualitas inæqualitatem rerum pariet. Nam æqualia dignitate inæqualibus tribuere, inæqualitas eſt, inæqualitas verò fons malorum.

CAPVT VIII.

De veritate & Vindicatione.

Definitio veritatis. VEritas eſt animi habitus,quo quis verum ſemper nihil ſimulando dicit,ſeu affirmet,ſeu neget. Odit hæc virtus in vita fucum, & in Artibus ſophiſticam;neceſſaria verò in omnibus negotiis eſt,quæ contrahi ſine fide non poſſunt. Fides autem eſt dictorum factorumque conſtantia & veritas.Ea dum in rationibus contrahendis ſervatur, ſuum cuique tribuitur, ſicque proprium Iuſtitiæ munus expletur.

Vitium contrarium. Veritati contrarium eſt mendacium, quod humanam ſocietatem fraudulenta negotiatione violat,odiaque & diffidia concitat.

Materia. Cernitur autem Veritas in dictis & factis, ejuſque materia ſunt ea omnia ſigna, quæ ad mentem noſtram alteri patefaciendam conceſſa ſunt nobis.

Officium. Quippè efficere debet, ut quædam ſit mentis, linguæ, & ſignorum externorum conſenſio, eademque regulâ ſermo & geſtus conſtent. Atque hoc officium eſt Veritatis, cujus partes potiſſimùm ſunt quinque. Prima amare verum ipſum.Secunda cavere,ne quid contra mentis judicium dicatur.Tertia Iudicium mentis aperire. Quarta cùm affirmandum aut negandum aliquid eſt,rei veritatem diligenter inquirere.Quinta quod promiſſum eſt ſervare præſtareque. Pythagoras duo hominibus divinitus data longè pulcherrima eſſe dicebat. *Veritatem amplecti & aliis benefacere. Vtrumque cum Deorum Immortalium operibus comparari poſſe*, vt refert Ælianus. Apud Perſas vna erat puerorum diſciplina, *Fugere mendacium, & verum ſemper loqui*.Fuit & illa Epaminondæ Thebani diſciplina, qui uſque adeò ſeverus veritatis cultor fuit,ut ne joco quidem mentiri unquam voluiſſet. Titus autem Pomponius Eques Romanus non modo mendacium ipſe non dicebat, ſed nec à quoquam dici ferebat.Sanè, vt dicebat Democritus,*Pietas palam declaranda, ſed veritas conſtanter vbique defendenda eſt*. Vtinam omnes Epicteto crederent,nihil veritate pretioſius haberi debere;atque tum homines Deo aliquid ſimile facere.cùm veritatem exercent, ut aiebat Pythagoras. Vnde prohibitum diuino decreto mendacium eſt Exodi 23. *Mendacium fugies*. Et ad Coloſſ.3. *Nolite mentiri inuicem. Nec artificioſo mendacio, nec ſimplici verbo oportet quenquam decipere. Quia quomodolibet mentitur quis,occidit animam*,inquit D.Auguſtinus.

Definitio vindicationis. Vindicatio, vt eam M. Tullius definit, eſt per quam vis, & injuria, & omninò quicquid obfuturum eſt, defendendo aut vlciſcendo propulſatur. Seu eſt vltio injuriæ;cùm nimirùm pœna pro delicto infertur.Fieri id varijs de cauſis poteſt.Ac inprimis eo tantùm conſilio, ut malè ei ſit,qui injuriam intulit. Deinde ut deliquens emendetur. Tum quia poſtulare æquitas videtur,ut qui culpæ reus eſt,pœnas luat,& injuriæ ſatis fiat.Poſtremò ut in poſterum vnius alicujus exemplo cæteri à pravis facinoribus revocentur. Quia verò non privatâ, ſed publicâ authoritate ſumenda vltio eſt, fit ut legitima vindicatio Magiſtratibus, qui legum ſunt miniſtri, divinitus ſit commiſſa; & privatis,quibus nullum vindicandi jus eſt datum, adempta. Mavult verè Chriſtianus pati,quàm vlciſci: illud enim juſtè ſemper fieri poteſt, hoc vix ſine injuria. Vim vi tamen repellere privato cuilibet fas eſt, non lædendi aut vlciſcendi,ſed ſe defendendi cauſâ.

Vitium contrarium. Repugnat Vindicationi Crudelitas, & nimia Lenitas. Nimis eſt lenis,qui bonis nocet,dum parcit malis;nimis crudelis eſt, qui majorem,quàm culpa ſit,pœnam conſtituit.

Addi-

Additamentum.

VEritas hic, idem quod veracitas. Ariſtoteles 4. Eth. cap. 7. dicit eſſe mediocritatem circa veritatem in dictis & factis; ſeu circa profeſſionem eorum, quæ re vera adſunt. Veracem illum dicit, qui ſui juris eſt & arbitrii, vera cùm in vita, tum in ſermone, qui ea, quæ ſibi adſunt, profitetur ineſſe, & nec majora facit, nec minora. Apud Ægyptios ex primi Iudicis collo imago pendebat ex gemmis auroq; confecta, quam veritatem appellabant, ut ſignificarent Iudicis cordi & ori veritatem ſemper ineſſe debere. Ælianus lib. 14. Perſæ primum in peccatis locum æri alieno, ſecundum mendaciis tribuebant. Plutarchus de vitando ære alieno. Pomponius Atticus nec mendacium dicere nec pati poterat; unde fiebat, ut amici omnes illi res ſuas curandas darent, & conſilium ejus expeterent. Verax ſimulatione non utitur. Talis erat Cajus Fabritius, qui à Pyrrho rogatus, ut ſuos inter Duces & amicos primum locum caperet, ei hoc in aurē inſuſurravit. Non id, ô Rex, è re tua futurum eſt; qui enim te nunc ſuſpiciunt, amant, ac colunt, ſi me experiantur mihi potius, quàm tibi ſubeſſe cupient. Pythagoras dicebat Deo nos ſimiles effici beneficentia & veritate. Euripides in Phœniſſis ſimplex veritatis eſt ſermo, nec prudentibus eget Pharmacis, quibus fucetur. Veritati mendacium opponitur, quod in moribus turpiſſimum eſt, de quo Proverbiorum c. 12. Abominatio coram Deo labia mendacia. Et Pſal. 5. Perdes omnes, qui loquuntur mendacium. Achilles apud Homerum Iliados 1. dicebat, ſe non minus, quàm inferorum portas odiſſe eum, qui aliud ſentiat, aliud loquatur, aliud animo conditum habeat, aliud ore proferat. Euripides in Phœniſſis, ait Mendacium variis indigere medicamentis, atque idcircò, quod difficillimum ſit mendacium tueri, ne mendax ſibi contradicar. Vnde tritum illud: Mendacem oportet eſſe Memorem.

CAPVT IX.

De Gratitudine, ſeu Gratiâ.

GRatia ſeu Gratitudo virtus eſt, per quam beneficij accepti memoriâ, & remunerandi voluntas continetur. Verſatur in accipiendo magis, quàm in dando. Dare quippè liberalitatis eſt, accipere autem & referre velle, gratitudinis. Itaque Iuſtitia quædam eſt erga benefactorem, qui vel Deus eſt, vel parentes, vel ii, qui præſunt, vel homo quivis alius. Vt legitima Gratitudo ſit, obſervanda ſunt hæc. Inprimis ſolo ejus, qui donat, affectu animoque beneficium eſt æſtimandum. Neque enim, *beneficium* inquit Seneca de benef. lib. 1. *in eo quod fit, aut datur conſiſtit, ſed in ipſo dantis & facientis animo*. Omninò quo quiſque animo benevolentiaque fuerit, ſemper eſt ponderandum. Deinde benignè acceptare oportet. *Nam qui gratè beneficium accipit, primam ejus penſionem ſoluit. Gaudet enim donator, cum ſuum donum gratum eſſe videt*, inquit Seneca. Et idem, *Vis reddere beneficium? accipe benignè*. Tertiò agendæ benefactori ſunt gratiæ. Nihil verò aliud eſt gratiarum actio, quàm benevola accepti beneficii cum quadam ſubmiſſione proteſtatio. Et hæc quædam eſt beneficii compenſatio: honoratur enim qui benè fecit, & cui benè factum eſt, is ſeſe ſubmittit Modus hic ſit, ut dantis affectus potiùs, quàm donum ſpectetur. Quartò de benefactore honorificè ſemper & ſentiendum, & loquendum eſt. *Is gratiſſimus quippè eſt*, inquit Seneca lib. 3. de benef. *qui beneficii oblitus eſt: cui enim totum beneficium elapſum eſt, gratus fieri non poteſt*. Quintò vel re ipſâ, vel obſequio beneficium eſt referendum. Referre qui non poteſt, benè apprecetur; qui poteſt, non feſtinet; expectanda oportunitas eſt. Qui enim feſtinat, debitoris animum, non grati hominis habet. Qui citò reddit, beneficio affectus videri non cupit. Plus referendum eſt, quàm acceptum, ſpectato nimirùm donantis animo, non beneficio. Vnde Cic. *In referenda gratia imitari debemus agros fertiles, qui plùs multò adferunt, quàm acceperunt.* *Varia officia.*

Contraria Gratitudini Ingratitudo eſt, nimirùm accepti beneficii oblivio, aut nulla, aut mala, aut contra relata gratia. *Quæſtiuncula.*

I. *Quæ-*

I. *Quomodo grati erga Deum eſſe poſſumus?* Caſſ. in pſal. 47. Gratias agere Deo poſſumus. Grati ergò erga divinam Majeſtatem ſumus, cùm acceptorum ab eâ beneficiorum perpetuo memores ſumus, gratias agimus, laudamus. *Optima beneficiorum cuſtos eſt memoriæ, & beneficiorum, & perpetua confeſſio gratiarum*, inquit Chryſoſt. Parem referre Deo gratiam nemo poteſt.

II. *Quomodo grati erga Principes eſſe poſſumus?* Si gratias illis perpetuas habeamus, & in eorum obſequium parati ſemper ſimus. Nam & his etiam parem referre gratiam non poſſumus. Animum illi metiuntur, non donum; vnde quandoque parva etiam munera à ſubditis accipiunt. Reges magna dando, & parva accipiendo lætari debent. Artaxerxes Perſarum Rex à vulgari operario aquam è profluenti flumine hauſtam lætus accepit. Metiebatur dantis promptitudinem, non rem datam. Et Regium non minùs eſſe ſciebat parva gratè accipere, quàm magna benignè largiri. Optimi Reges pro rectis actionibus ſolam gloriam, & honeſtum honorem expectant.

III. *An beneficium datum prædicare oporteat?* Non datum certè, ſed acceptum. Vnde dicere Iſeolon ſolebat, *Beneficii dati obliviſci decet, accepti meminiſſe*. Vulgus hominum ſi quid cui benefecerit, ſine fine prædicat, ſine modo exaggerat: ſi verò quid collatum eſt, aut obliviſcetur, aut diſſimulat, aut elevat.

IV. *Quid in referenda gratia ſit attendendum?* Quantum ſit acceptum, à quo, quando, ubi, quemadmodum. Vnde Seneca negat quenquam ſcire gratiam referre, niſi ſapientem. Notum illi eſt, quanti res quæque taxanda ſit: notum quo tempore & loco ſit referendum.

Additamentum.

GRatitudinem Græci Virtutem eſſe dicunt, quæ præſtita nobis beneficia agnoſcit, meminit, prædicat, & pro virili rependit. Ejus tria ſunt officia, 1. gratias animo habere, quod eſt agnitionis & memoriæ. 2. gratias agere verbis, quod eſt prædicationis. 3. gratiam referre opere, quod eſt retributionis. Quemadmodum autem non tantùm eadem menſura reddendum, quod acceperis, ſed etjam majore ſi poſſis, ut ait Heſiodus & Cic. lib. 1. Offic. ita gratitudinis eſt plura, quàm in nos collata ſunt, rependere. Id oſtendebant Veteres, qui unam Gratiarum averſam, ſed cæteras nos aſpicientes pingebant & fingebant. Laertius illud Chilonis refert, beneficii dati obliviſci oportet, accepti meminiſſe. Porrò, ut Poeta Græcus ait: Gratiarum optimus eſt animus. Ideò quæ dantur aut referuntur non copia, ſed animo dantis aut referentis ſunt æſtimanda. Nam ut Ovidius lib. 3. de Ponto. Eleg. 4.

Si deſint vires, tamen eſt laudanda voluntas,
Hac ego contentos auguror eſſe Deos.
Hæc facit, ut veniat pauper quoque gratus ad aras
Et placeat cæſo non minus agna boue.

Obſervandum hic illud, quod in Monoſtichis Græcorum præcipitur, Oportune accipiens beneficium, oportune reddito. Nimirum tempore & loco. Eſt vel idcircò commendabilis hæc virtus, quod Gratiarum actio ſit quædam ad plus dandum invitatio. Notum eſt illud Anaxoræ morituri ad Periclem, Qui lucerna egent, oleum infundunt. Ægyptii olim omnium populorum gratiſſimi erant, qui brutis etiam ob bene merita gratiam referebant. Alexander Magnus Ariſtoteli pro hiſtoria animalium octingenta talenta dedit, ut refert Athenæus lib. 9. cap. 20. Cyrus Maior publico edicto Iudæos in patriam remiſit & templum inſtaurari curavit, quod in Iſaiæ libris ante ducentos & decem annos editis cap. 44. & 45. nomen ſuum diſertè poſitum inveniſſet, ut refert Ioſephus lib. 11. Antiq. Iud. Sicut autem laudatiſſima eſt gratitudo, ita turpiſſima eſt ingratitudo, quam matrem vitiorum Cic. lib. 8. ad Atticum appellat, Et Xenophon lib. 1. de Inſtit. Cyri dicit in ingratitudine nihil mali non ineſſe. Vitium tamen hoc pervulgatiſſimum eſt; nam ut ait Pindarus, Antiqua dormit Gratia, & immemores ſunt homines. Simonides rogante quodam ut ſibi encomium ſcriberet, ſe ei gratiam relaturum, Duas, inquit, arcas habeo domi, unam gratiarum, alteram argenti; cùm neceſſi-

tas

tas aliqua mihi eſt, Gratiarum quidem arcam aperio, ſed inanem ad uſus neceſſarios invenio; aliam verò ſolùm mihi utilem. Non ſine cauſa Plautus in Pœnulo Act.3. Scen.6. Si quid benè facias levior pluma eſt gratia; ſi quid peccatum eſt, plumbeas iras gerunt. Magna ingratitudo fuit Iuſtiniani Imp. in Beliſarium, quem poſtquam Gothos & Vandalos in Africa vicerat, reſque alias in Italia magnas geſſerat, oculis & fortunis privavit, & ad ſtipem colligendam coegit. Magna Romanorum in Camillum, Scipionem, Lentulum, & alios ejuſmodi.

CAPVT X.

De Liberalitate.

Liberalitas eſt benefica de aliquo benè merendi voluntas. Seu eſt virtus, quæ pecuniarum amorem moderatur, & ad eas, quando ratio dictat, erogandas, promptum ac facilem hominem reddit. Verſatur itaque circa affectum æſtimationemque pecuniarum ſeu divitiarum. Id enim omne pecuniæ nomine intelligendum eſt, cujus pretium pecuniâ metimur. Officium verò ejus eſt divitiarum cupiditati modum imponere, & ſervato modo elargiri. Servandi modi conditiones hæ ſunt. Inprimis ita dandum eſt, ut nulla remuneratio expectetur. Secundò de noſtro dandum eſt, non de alieno; nocere enim liberalitas nemini debet, & beneficio dignis prodeſſe. Tertiò attendendum eſt, in quem benè collocari beneficium poſſit. M.Cicero 1. Off. ſeptem eorum gradus conſtituit; in quos conferri beneficium poteſt. In 1. ſunt patria & parentes. In 2. liberi & tota domus. In 3. propinqui & affines. In 4. amici & familiares. In 5. Cives. In 6. qui ejuſdem nationis, gentis, linguæ. In 7. omnes homines. Quartò non quantùm quis vult, ſed quantùm poteſt, dandum eſt. *Modus enim liberalitatis tenendus eſt, ut quod benè facis, quotidiè facere poſſis*, inquit Divus Ambroſius. Quintò pro dignitate, conditione, ac merito cujuſque dandum eſt. Proinde indigenti magis, quàm diviti. *Definitio Liberalitatis.* *Eius officium & conditiones.*

Porrò duo ſunt, ut ſcribit in Officiis M.Tullius, liberalitatis genera: vnum quo egenti pecuniâ ſubvenitur, alterum quo opera aut conſilio juvatur, quod beneficentiæ eſt. Quo ſenſu D.Ambroſius, *Eſt duplex liberalitas*, inquit, *vna quæ ſubſidio rei adiuuat, id eſt vſu pecuniæ; altera quæ operum collatione impenditur, quæ multo frequenter ſplendidior eſt, multoq́ præclarior*. Excitabitur vir liberalis ad promptè hilariterque dandum, ſi cogitet viles & incertas eſſe divitias, eas aut ad mali licentiam, aut faſtum, aut inanem ſenſuum oblectationem ſervire, curarum & moleſtiarum plenas eſſe. Multis opus non eſſe, parvo contentam vivere naturam.

Liberalitati duo vitia opponuntur, Avaritia & Prodigalitas. Illa defectus liberalitatis eſt, hæc exuperantia. Avaritia eſt nimium pecuniarum ſtudium quibus nec ſibi nec aliis avarus prodeſt. Avarus enim is dicitur, qui nimiis opibus anxiè congerendis ſtudet. Prodigalitas eſt immoderata pecuniarum effuſio; ſeu facta nullam ob juſtam cauſam largitio. Avaritia plerumque ſenum eſt, Prodigalitas juvenum. Revocari hæc ad liberalitatem faciliùs poteſt, quàm Avaritia; prodeſt enim aliis, avaritia verò ne poſſidenti quidem. *Vitia contraria.*

I. *Vtrum honeſtius ſit dare vel accipere?* Omninò dare honeſtiùs eſt. Quippè virtutem magis decet benefacere, quàm beneficium accipere: cumque virtus circa difficiliora verſetur, dare difficiliùs eſt, quàm accipere. Propenſi omnes ſunt ad accipiendum, pauci ad dandum. *Quæſtiuncula.*

II. *Quæ circumſtantiæ in exercenda liberalitate ſunt attendendæ?* Quid, quibus, quando, quomodo. Suum nimirùm dare oportet, ac quantùm vires facultateſque permittunt, ne egeſtas ſequatur. Dignis & ingenuis dandum eſt; cùm inhoneſtis commercium nè ſit vllum. Tunc verò quando neceſſitas & honeſtas exigit. Convenienti denique modo & ordine.

III. *An*

III. *An in mendicos liberalitas ſit exercenda?* Qui ſuâ improbitate miſeri facti non ſunt, infirmumque corpus trahunt, juvandi omninò ſunt. Et hæc eſt grata Deo miſericordia. Qui validi ſunt, & robuſto ſanoq; corpore, dextrâ beneficâ non ſunt provehendi, ſed è Repub. potiùs ejiciendi, ut dicebat Carolus Magnus. Et Camerarius tria hominum genera è civitatibus eiicienda aſſerebat, *leproſos, mortuos, mendicos validos*. Notum illud ex Græcis.

Panem mendico dato, & adde obſonia pugno Nimirùm graviter increpando. Ignavia quippè ſervitutis ignominioſæ cauſa eſt.

IV. *Vter melior ſit Prodigus an Auarus?* Interrogatus aliquando Diogenes quænam feræ omnium eſſent peſſimæ? *In montibus*, inquit, *leones & urſi, in Ciuitatibus Auari*. Melior ſanè Avaro prodigus eſt. Ad mediocritatem enim magis, quàm Avarus accedit; curari poteſt, non item Avarus; multis prodeſt, nemini Avarus. Demoſthenes cùm avarum quendam deferri ad ſepulchrum videret, *Iſte*, inquit, *cum vitam non vitalem vixerit, aliis vitam relinquit*. Neque à mortuo colloquium, neque ab avaro petendum eſt beneficium, ut aiebat Socrates.

Additamentum.

CIrca liberalitatem hæc adjicienda. Inprimis videndum eſt, quibus dandum ſit. Ariſtoteles dandum eſſe, ait, iis, quibus oportet, ſeu qui digni ſunt noſtra beneficentia. Seneca de Provid. Beneficium dando accipit, qui digno dedit, Benefacta malè locata, malefacta arbitror, inquit Ennius apud Ciceronem lib. 2. Offic. Cùm quidam barbatus, palliatus, & crinitus aliquid ab Herode Attico ad panes coëmendos peteret, quæreturque abeo, quiſnam eſſet? irato vultu ſe Philoſophum eſſe reſpondit, Tum Herodes, Demus inquit, tanquam homines, non tanquam homini; & ei dari curavit pretium panis 30. dierum, addens ſimul, Video barbam & pallium, ſed Philoſophum non video. Ita Gellius lib. 9. Noctium Atticarum, cap. 2. Ariſtoteles aliquando reprehenſus, quod munus improbo dediſſet. Non hominem, inquit, ſed humanam ſortem miſeratus ſum. Vel ut alii referunt, Non homini dedi, ſed humani ſorti. Ita Laertius lib. 5. cap. 1. Seneca tamen lib. 4. de Benef. Gratuitos, inquit, habemus Deos; ſi Deos imitaris, da etiam ingratis beneficia. Nam & ſceleratis ſol oritur, & piratis patent Maria. Deinde habenda eſt ratio dantis & accipientis. Dantis ut ex ſuo det. Cicero in Offic. Sunt multi, qui eripiunt aliis, quod aliis largiuntur; id tantùm abeſt ab officio, ut nihil officio magis poſſit eſſe contrarium. Et idem ibidem, Cavendum ne liberalitas major ſit, quàm facultates. Itē non ita Claudenda eſt res familiaris, ut eam benignitas aperire non poſſit; nec ita referenda, ut patent omnibus. Modus adhibeatur uſque referatur ad facultates. Benè Græculus quidam ad Auguſtum, Si plus haberem, plus darem, ut ſcribit Sueton. Accipientis autem, ut pro dignitate ejus detur, vel ſi pauper ſit pro inopia. Vnde Cicero 2. Offic. monet, ut cuique pro dignitate tribuatur, quod juſtitiæ fundamentum ſit. Danda etiam quæ profutura ſint accipienti. Hinc idem Cicero 1. Offic. Videndum ne obſit benignitas, & his ipſis, quibus videtur benignè fieri, & cæteris. Adde quod in tempore ſubvenire egentibus omnium ſit primum. Nam bis dat, qui citò dat, ut habet proverbium:

Gratiaque officio, quod mora tardat, abeſt.

Seneca lib. 2. de Benef. Ingratum eſt beneficium, quod diu inter manus dantis hæſit. Auſonius ex Græco Epig.

Gratia quæ tarda eſt, ingrata eſt: Gratia namque
Cùm fieri properat gratia grata magis.

Item.

Si benè quid facias, facias citò, nam citò factum
Gratum erit; ingratum gratia tarda facit.

Porrò beneficia non multitudine aut magnitudine, ſed omninò dantis ſunt æſtimanda, ut ait Ariſtoteles 4. Eth. cap. 1. Is verò animus eſſe debet, ut hilariter det. Vnde Apoſtolus Hilarem datorem diligit Deus. Similis eſſe debet liberalis arbori, quæ pomis gravida dimittit ramos, & invitat ad carpendum. Et Publius Mimus, his eſt gratum, quod opus eſt, ſi ultrò offeras. Exempla hujus Virtutis vide apud Valerium Maximum, & alios.

CAPVT XI.

De Iniuſtitia.

HActenus de Iuſtitiæ partibus,nunc de vitio illi contrario. Hoc verò iniuſtitia eſt *per quam*,ut ait Ariſtoteles 1. Rhet. *aliena ſinguli contra leges retinent*. Vel,vt refert Stobæus, *eſt animi vitium,quo amplius, quàm par eſt,homines ſibi ſumunt*. Ejus effectus hos eſſe dicit,patriam, inſtituta,Iura violare; Magiſtratibus & legibus non parere,mentiri,pejerare,tranſgredi conventiones,fidem fallere. Vnde Verinus Poëta, *quid ſit. qui effectus.*

Nil iniuſtitiâ miſeræ eſt infeſtiùs vrbi, *Comites.*
Funditus hæc muros vertit & ipſa domos.

Comites illi adſunt Calumnia, jactantia, inhumanitas, Simulatio,Malignitas, Calliditas.

Diſtribui in Communem, Privatamque poteſt. Communis eſt quæ legibus,& æquitati repugnat. Legibus quidem per avaritiam,odium, falſam interpretationem, aut ſimili alio modo. Æquitati autem cùm malitiosè legis verba urgentur, non mens legiſlatoris attenditur. Privata eſt, quæ Diſtribuenti aut Commutanti juſtitiæ adverſatur. Iniuſtè commutat, qui eos, cum quibus commercium illi eſt, fraudat ac decipit, ſive emendo, ſive vendendo,ſeu rebus aliis contrahendis,ſicque quod debet non reddit. Injuſtè diſtribuit,qui bonos deprimit,& malos evehit; aut qui his parcit, illos non defendit. Alii ſunt ii juſtitiæ modi,quos in ſingulis juſtitiæ partibus deſignaſſe ſit ſatis. *Partes.*

Additamentum.

QVæ hic de Injuſtitia dicuntur; exemplis tantùm ſunt illuſtranda. Antigonus ſenior, cùm illi Sophiſta quidam librum de Iuſtitia offerret, Deſpis, inquit, qui cùm me videas armis alienas urbes vexare, de Iuſtitia apud me diſſeras. Ita Plutarchus in Apohteg. Ariſtoteles reprehendebat Athenienſes, quod cùm duas res inveniſſent, frumenta & leges; frumentis uterentur,non legibus Stobæus Serm. de Iuſtitia. Dionyſius Siciliæ Rex cùm Cythared o convenerat, ut quo melius caneret, eò majorem mercedē acciperet. Annititur hic ut quam ſuaviſſimè modularetur, præmium eò amplius ſperans; Dum aſt mercedem exigit, Dionyſius, Perſolvi, inquit, quod promiſi & par pari retuli, voluptatem pro voluptate; ſpem ſignificabat,quæ eò major fuerat,quò magis ex arte cecmiſſet. Plutarchus lib. de auditione. Ad Injuſtitiam Diſtributivam refertur illa Ephemeris Crateris de præpoſteris ſumptibus. Ponito coco minas decem, medico drachmam, adulatori talenta quinque, Conſiliario fumum, meretrici talentum, Philoſopho triobulum. Laertius lib. 6. Item illa diſtributio Tiberii Imperatoris, qui Pomponio Flacco Syriam Provinciam, Lucio Piſoni Præfecturam urbis detulit, eò quòd cum ipſo triduo perpotaſſent.

CAPVT XII.

Variæ circa Iuſtitiam quæſtiunculæ.

I. QVid de Aequitate ſit ſentiendum? Æquitatem Peripatetici Prudentiæ, Stoici Iuſtitiæ comitem faciunt. Vtrumque rectè. Prudentis enim viri eſt duriora quædam molliora reddere; Iudicis verò boni efficere, ne ſummum Ius ſumma injuria fiat, idque quadam æqui bonique ratione. Eſt enim Æquitas virtus,quâ quis rectè legem multis in caſibus deficientem corrigit & moderatur. Vnde ſapienter Iſæus dicebat. *Oportere legum ſeueritatem puniendi manſuetudine coërceri*. Certè in judicijs æquitas dominatur,& cùm vel publicum bonum, vel ratio virtutis poſtulat,ad legis verba non attendit. Regula quædam communis eſt Lex, ſed exceptionem admittat quandoque neceſſe eſt. Hanc æquitas proponit, & benignè decernit. Cauſam adferunt tot ac tam varij in humana vita caſus. Neque honeſti una ratio eſt, ſed diverſa. *De æquitate.*

De ſummo Iure

II. *An ſummum Ius ſumma ſit iniuria?* Ita M. Tullius affirmat. At verò ſi Iuris conſtitutionem attendamus, atque ea cùm rectæ rationis regula congruat, nullum jus eſſe injuria poteſt. Si interpretationem, eaque malitioſa ſit & verſuta, nec circumſtantiarum rationem habeat, & conſilium, rationem, authoritatem legiſlatorum excludat, fit ſumma injuria, quod ſummum eſſe Ius deberet. Dicebat Diocletianus Imperator *Juſtitiam ſine miſericordia crucem eſſe.* Herculis clavam vetus quidam Poëta madidam oleo fingebat: quemobrem? ut juſtitiam miſericordiæ oleo leniendam eſſe doceret.

De lege Talionis

III. *An admittenda ſit lex Talionis in Rebuſpublicis?* Pythagorei id jus eſſe olim definiebant, quod viciſſim quiſque pateretur. Vnde illud:

Si quæ quis faciat, eadem patiatur & ipſe,
Judicium rectum fuerit, vindictaq; recta.

Paritatem boni malique Talionis lex, & proportionem Arithmeticam attendit. Eam 12. tabularum leges olim receperunt; eam Legiſlator Moyſes dum dentem pro dente, oculum pro oculo erui juſſit, non improbavit. Eſt & diuina Lex, *qua menſurâ menſi fueritis, eadem remetietur vobis.* Sunt tamen non pauci caſus, in quibus Talionis legem nequaquam Æquitas admittit. An ſi quis ferire Magiſtratum auſus, feriendus ſit tantùm, ac non potiùs ſummo ſupplicio coërcendus? Aliud eſt malitioſè, aliud incautè agere. Igitur legem Talionis prudentia Iudicis moderetur, & rationis proportionem ſequatur.

De injuſtis.

IV. *An injuriam ſibi quiſpiam inferat?* Nemo ſanè ſeipſum ſponte lædit; & tum injuſtitia, tum injuria non ad ſeipſum, ſed ad alterum eſt. Qui ſeipſum lædit, volens hoc ipſum nolenti non facit.

Additamentum.

PRimâ quæſtione agitur de æquitate, 2. de ſummo jure; de hoc & de illa diximus capite 4. & 5.

Adjiciendum hic de æquitate, quod ſi à medio ad alterutram partem ſit declinandum, ſatius eſſe ad mitigationem, quàm ad nimiam ſeveritatem propendere. M. Antonius pœnas legibus definitas ſemper ad modum aliquem mitigabat. Nec malè Antiphon dicebat, Si peccandum eſt, ſatius eſt injuſtè dimittere, quàm injuſtè perdere. De ſummo Iure, ne injuria fiat, hoc eſt exemplum. Apud Spartanos lex erat, ut quicunque ex acie fugiſſent, eſſent infames, veſtitu barbaque à reliquis civibus diſcernerentur, ab obviis impunè pulſarentur, uxores ducere non auderent. Accidit ut e pugna Lentrica multi Nobiles honeſtique viri fugerint, eùmque luere pœnas deberent, Ageſilaus à populo petiit, ut ſinerent eo die leges dormire, quod calamitas non tam ignavia civium, quàm iniquitate fortunæ accidiſſet. In poſterum ab illo die leges ſervarent. Plutarchus in Apophtegmatibus.

Quæſtione 3. agitur de pœna talionis. Ea eſt quæ delicto, menſurâ & modo congruit. Seu eùm per quod quis peccat, per idem punitur, juxta verſiculum Rhadamanthi lib. 5. Eth. cap. 5. citatum.

Iuſta n alis hæc admiſſo pro crimine pœna eſt,
Vt quæ fecerunt, eadem patiantur & ipſi.

Hoc pœnæ genus dicitur Neoptolemi vindicta, quod is ad aram ſit obtruncatus, qui Priamum ad aram occiderat. Item Mala Termeria, quod Termerum humana capita verberibus confringentem, Hercules itidem verberibus contuderit. David adulter & homicida liberorum parricidiis & Abſolonis inceſtu plexus eſt. Hercules Diomedem Thraciæ Regem, qui hoſpites equis lamandos objiciebat, eodem ſupplicii genere ſuſtulit. Theſeus Scyronem latronem, qui hoſpites in mare dejecerat, eodem præcipitavit. Vetronius Thurinus, qui fumum vendiderat, fumo ab Alexandro Severo, teſte Lampridio, necatus eſt. Vide Gellium lib. 4. cap. 5. ubi declarat originem proverbii hujus, Malum conſilium conſultori peſſimum.

TITVLVS VII.

De Virtute Heroica.

CAPVT I.

Quid ſit virtus Heroica.

VIrtvs Heroica nihil aliud eſt, quàm virtutum Moralium eminentia. Hæc non tam humana induſtria acquiritur, quàm divinitus quibuſdam hominibus conceditur. Ii ſuprà cæterorum conditionem virtute ſuâ poſiti ea præclara facinora edunt, quæ imitari reliqui non poſſunt. Vnde propter eximiam illam admirabilemque virtutem Heroes dicuntur, minime ſanè terreni, & omnium hominum amore laudeque digniſſimi. Ea verò virtutis eminentia ex fine potiſſimùm dependet, quem quo perfectiùs virtus attingit, eò eminentior eſt. *Definitur virtus Heroica.*

An verò ſola Moralium virtutum eminentia dicenda ſit heroica virtus? *Quæſtiuncula.* Ita quidem, ſi loquendi uſum ſpectemus, ex tantùm heroicæ virtutes appellantur, quæ in genere morum eminentiores ſunt, & in quibus præſtare aliquid difficillimum eſt. Olim vel fortitudine eminebant, vel temperantia, aut magnanimitate clarebant, quicunque Heroes dicebantur; cujuſmodi erant Homerici illi Heroes Achilles, Hector, Agamemnon: Item Romulus, Theſeus, Themiſtocles, & id genus quam plurimi alii. Nonnunquam tamen etiam ii Heroïs nomine cenſentur, qui arte ſuâ admirandum aliquod opus præſtiterunt, aut inſigne in humanum genus beneficium contulerunt. Artis Medicæ excellentia Æſculapium, Muſicæ Orpheum Heroem fecit. Sapientia cùm non virtus Heroïca, ſed divina credita ſit, Sapientes non Heroës ſunt dicti, ſed divini. Quippè *Sapientis nomen*, ut inquit Plato, *altiſſimum eſt, & ſoli Deo convenit.*

Additamentum.

ARiſtoteles 7. Eth. cap. 1. Virtus Heroica, inquit, eſt excellentia quædam & eminentia virtutis, quæ humanam tranſcendit imbecillitatem, & ad Deum quamproximè accedere videtur, paucis hæc virtus tributa eſt, qui inſigni prudentiâ res perplexas & dubias ſine errore, admirabili alacritate & conſtantiâ; difficiles & arduas ſine fatigatione & cum incredibili felicitate; difficiles & periculoſas ſine offenſione ad Reip. ſalutem ita gerunt, ut potius ad perfectionem divinam accedere videantur, quàm ad humanam imbecillitatem ſe dimittere. Heros ergò eſt, qui virtutis eminentiâ & perfectione in hac vita ſuprà conditionem humanam elevatur. Poetæ Heroas Semideos appellant, ex Deo & homine natos.

CAPVT II.

Vnde virtutis eminentia & ſplendor oriatur.

VIrtutis Heroicæ prima origo eſt amor honeſtatis, tum hominis virtute præditi natura. Cùm enim honeſtatis amor magno ad ſupremum finem fervore tendit, eſſe ſine ſplendore non poteſt. Natura verò cùm per ſe ad honeſtatem eſt propenſiſſima tum in ea facilè virtus oritur, ac firmiùs hæret. Multùm quoque ſublimis aliqua fortuna dignitaſque iuvat. Nam non illuſtrat virtutem tantùm, verum etiam promovet, perficit, præclarè agendi oportunitates offert, exercendæ virtutis inſtrumenta præbet. Demum cum ex conſuetudine virtus oriatur, ex ea quoque incrementum & ſplendorem accipit. Eorum autem virtus ampliùs commendatur, qui perturbationes animi vehementiores devincunt. Nam earum eminens ſedatio virtutis Heroicæ finis eſt & effectus. *In amore honeſtatis, & natura*

Additamentum.

EX natura & amore heneſtatis. Videtur peculiare Dei donum hæc virtus, & ſine Dei afflatu non contingere. Hinc apud Lucianum Dialogo 3. Heros definitur, quod nec homo ſit nec Deus, ſed utrumque ſimul. Ea propter Heroes Dei filii nominantur. Licet autem ſit Dei donum, tamen ſine indole generoſa, ſine pulvere, ſudore, laboreque inſtitutionis & exercitationis nemini contingit. Hinc Alexander, teſte Plutarcho, non minùs ſe Præceptori, quàm parenti debere profitebatur. Et Ariſtides interrogatus, quomodo juſtus factus eſſet, Plurimum, inquit, valet noſtra diligentia ſtudioſæ juventuti.

CAPVT III.

An etiam in fœminis Heroica eſſe virtus poſſit?

Non videtur. HEroicam virtutem, virorum eſſe virtutem Ariſtoteles vult, Fœminam, ait, animal eſſe læſum, & viro impotentius; & cùm firmiſſima in Heroica virtute conſtantia requiratur, tum *varium & mutabile ſemper Fœmina eſt*, inquit Poëta. Habet illa temperamentum humidum ac viſcoſum, quod celerrimè commovetur, & varias recipit figuras; vnde ſequi inconſtantia ſolet. Virtus ipſa Heroica heroicum etiam exigit temperamentum, videlicet ingenium acre & igneum, animum magnum, cor excelſum, corpus ſpiritu & calore plenum.

Eſſe tamen in ijs poteſt. Poſſunt tamen nonnunquam etiam Heroicæ virtutis capaces eſſe fœminæ, cùm animo & affectibus ſunt maſculæ, & tales, *quas natura fecit ſolertes, induſtria litteratas, educatio pias, experientia ſapientes*, ut venuſtè Seneca loquitur. An non Heroinæ ſunt, & clariſſimam apud poſteros laudem occupaverunt, Iudittha, Semiramis, Camilla, Amazones, & eiuſmodi quamplurimæ aliæ, quarum nomina nulla vetuſtas obliterabit? Plenæ ſunt illuſtrium fœminarum deprædicationibus Hiſtoriæ. Illuſtriſſimæ verò Heroinæ fuerunt Divæ illæ Virgines, quæ in Eccleſia Catholica virginitatem martyrii palma coronaverunt.

Additamentum.

SVnt capaces fœminæ, ſed non frequēter; animos habent communiter imbecilliores, turbulentioreſque affectus. Vult etiam Deus hunc ſexum viris, ut plurimum ſubeſſe, in quo minùs confidentiæ & roboris eſt. Interdum tamen in fœminis hæc virtus, tanquam novum quoddam ſydus effulſit. Vide exempla Heroicarum fœminarum apud Plutarchum de præclaris mulieribus, & Lipſium in Monitis Politicis, & Cœlium Rhodiginum lib. 14. Heroicarum tamen mulierum virtus ſe ad virorum eminentiam habet, ſi cut earum ſexus ad virilem, & vt luna ad ſolem. In pueris capax indoles, ſed nondum in iſta ætatula virtus ipſa. Talis indoles fuit in Alexandro puero, Cyro, Davide, Catone & aliis. Fuerunt & Spurii aliqui hâc virtute illuſtres, ut Iepthe, Themiſtocles, Romulus, Carolus, Martellus, Ioannes Auſtriacus & alii.

CAPVT IV.

Quæ vitia virtuti Heroicæ ſint oppoſita?

FEritas in exceſſu, Ignavia in defectu. Feritas vitium eſt, quo homo excuſſo rationis rectæ judicio, omniq́ue humanitate abiectâ inſtar beſtiæ in omnis libidinis ac turpitudinis cœno volutatur. Inde beſtialitas dici vulgò ſolet, & ferarum proprium eſt vitium. Ea feritate laborabat olim Heliogabalus, homo ſi naturam & nomen ſpectes; beſtia ſi conditionem & mores. Ei prandenti aut cœnanti nudæ puellæ miniſtrabant; pellicum ſuarum aliquam nunquam in amplexum ſecundo admittebat. Feritatis nomine cenſetur etiam nimia in Deum impietas; item quæcunque immanitas, quæ vel ex morbo aut humorum depravatione oritur, ut in fœminis vterum geſtantibus, quæ aut calcem, aut cineres comedunt, etſi hæc propriè

feritas

feritas non ſit ; vel ex perverſa natura, ut in tyrannis; vel ex abſurda quadam conſuetudine, qualis eorum eſt populorum, qui nullis induti veſtibus errant.

Ignavia eſt quædam ad omnem virtutis impetum ineptitudo. Talis erat Sibaritarum olim, quorum Lex hæc fuit. *Nemo noſtrum frugi eſto.* *Et ignavia.*

Additamentum.

FEritas & Ignavia. Illa eſt quædam ſumma & extrema malitia, quæ omni honeſtatis ſenſu carens, immaniſſima ſcelera perpetrat, & honorem infrà beſtias abjicit. Feritate laboravit Cleomenes Rex Spartanorum, qui ſuos ſibi artus detruncavit, teſte Herodoto lib. 6. Item Meyentius, Phalaris, Dionyſius Tyrannus, Caligula, Nero, Tamerlanes, Ioannes Baſilides, & omnes Tyranni. Ignavia quidam ſtupor eſt ad omnem honeſtatis ſenſum. Ea laborant, qui porcorum inſtar in vitiorum & voluptatum luto involutantur.

CAPVT V.

An verum ſit proverbium; *Heroum filij noxæ.*

ÆLius Spartianus, *Neminem prope magnorum virorum optimum & vtilem filium reliquiſſe*, ait. Ferè enim aut hi nullos liberos habuerunt, aut tales, quibus caruiſſe felicitas non parva fuiſſet. Equidem, ut ait Horat. *Fortes creantur fortibus & bonis*: at verò quam id rarum? Teſtis eſt Davidis filius Ammon, ſuæ ſororis inceſtâ conſuetudine pollutus. Teſtis Abſolon, teſtis Adonias eiuſdem filij. An non ipſe Patriarcha Iacob non optimos omnes ſuſcepit filios? An non Auguſtus Cæſar ſuos liberos ſibi eſſe carcinomata dicebat? Sanè divinæ benignitatis dona, familiarum ſucceſſionibus non alligantur, nec filio debita parentis eſt virtus. Ita vult ille, qui omnia poteſt, vt ejus juſtitiam in hac orbiculari rerum omnium converſione non minùs colamus, quàm potentiam admiremur. Eſt quædam etiam hoc tempore mundi Senecta, quæ paulatim in pejus ruit. Et quemadmodum morituri naſcimur, ita indoles ſtirpium ac familiarum ſuos habent natales incrementaque, & conſeneſcunt. Multum educatio prava nocet; & negligens puerorum cura magna hujus infelicitatis eſt cauſa. Si recta educatio non ſit, facilè etiam felicia ingenia degenerant. Aliquando lacte alieno corrupti in pueros mores invehuntur; & ſæpè blanda parentum indulgentia liberos reddit inſolentes. Sed de huius rei cauſis non laboro. De virtutum Moralium natura ſit jam ſatis.

Verum ſæpe eſt, & variæ eius cauſa.

Additamentum.

SÆpè verum eſſe hic oſtenditur, & cauſæ variæ exponuntur. Vide de hoc proverbio Eraſmum Chiliade 1. Cent. 7. Homerus in Odiſſæa:

Æquat rara patrem ſoboles, ſed plurimi ab illis
Degenerant, pauci ſuperant probitate parentes.

Exempla hic aliqua referuntur, & plura paſſim in Hiſtoriis obvia ſunt. Quidam Phyſicam hanc cauſam adferunt, quod magni viri ad liberorum generationem ſegniores ſint. Mollis educatio multum hic obeſt. Nam ut ait Poeta:

Blanda patrum ſegnes facit indulgentia natos.

Finis Commentariorum in Librum Tertium Inſtitutionum Moralium.

NICOLAI VERNVLÆI INSTITVTIONVM MORALIVM

LIBER QVARTVS.

De Virtutis fructu, & aliis, quæ illam conſequuntur.

TITVLVS I.

De Ciuilitate ſeu Morum compoſitione.

CAPVT PRIMVM.

Quid ſit Ciuilitas, & in quo conſiſtat?

PHILOSOPHIÆ Moralis non tantùm eſt Virtutis naturam explicare & eruditionem augere, verùm etiam Mores conferre, & per virtutem perficere. Primus igitur virtutis fructus eſt vitæ morumque recta compoſitio, ſeu probitas animi, & Ciuilitas. Qui enim virtute præditus eſt, probè viuit, & honeſtè cum omnibus ſe gerit. Probitatem præſtant mentis puritas, & vitæ ſeu actionum omnium iuſtitia. Ciuilitas autem eſt decens Morum & geſtuum compoſitio; quæ, quia Morum prima in homine cura eſt, negligi nunquam debet. Siquidem ut ait Comicus, *Mores boni pulcherrimum peculium*, &, ut eſt ſymbolum Conradi Imperatoris, *Omnium mores, tuos inprimis obſeruato.* Ovidius.

Definitio Ciuilitatis.

Prima ſit in nobis morum tutela bonorum,
Indicium mores nobilitatis habent.

Ciuilitatis comites indiuiduæ ſunt Honeſtas, & Humanitas, de quibus infrà. Extrema verò ejus ſunt, Levitas in exceſſu, & Ruſticitas in defectu. Levitas eſt, quâ quis præter decorum diſſolutè in moribus exorbitat. Vnde leves ii ſunt, qui aut nimis multis ſalutationibus, titulis, geſticulationibus utuntur; aut frequentiorem, quàm deceat, corporis inflexionem, veſtiumque & geſtuum varietatem adhibent. Viles ſanè ſunt iſti, qui nimium Civiles. Imò quædam eſt hiſtrionica Scurrilitas eorum Civilitas; riſu, non laude digna. Iudicio carent homines ejuſmodi, inconſtantes ſunt, & imprudentes; quid pro temporum, perſonarum, locorum conditione deceat, non vident. Ruſticitas eſt, quâ quis præter decorum Moribus inconditis ſeſe exerit. Ruſtici proinde ii ſunt, qui nullo honeſto geſtu vtuntur, aut ſermone; quique ſeu comedendum ſeu bibendum ſit, aut quidvis agendum aliud, vrbanè nequaquam ſe gerunt.

Addita-

Digitized by Google

Additamentum.

CIvilitas in corporis munditie, vultu, geſtu, victu & denique in ſermone decorum obſervat. Officia Ciyilitatis ſunt dare operam. 1. ut corpus ſit mundum, terſum, elegans, comptum, ſed abſque fuco, minio, ceruſſa, unguentis, cincinnis, & aliis ejuſmodi ineptiis. 2. Vt veſtitus nec ſuprà modum ſplendidus ſit, nec ſordidus. 3. Vt omnes corporis partes, potiſſimùm tamen caput, oculi, labra, manus, pedes, ſitum, ſtatum, inceſſum, progreſſum convenientem præ ſe ferant. Inprimis autem, ut in deferendis honoribus habitus corporis, conformationes manuum, inflexiones capitis & pedum motiones cujuſq́ue nationis moribus ſunt conſentaneæ. 4. Vt vox concinna ſit, & oratio tempeſtiva, circumſpecta, & venuſta. Et Denique ut cibus potuſq́ue decenter ſumantur. Ex quibus patet Civilitatem multarum virtutum quandam eſſe complexionem, potiſſimùm temperantiæ, modeſtiæ, manſuetudinis. Civilis fuit Alcibiades & laudem apud antiquos meritus eſt, quod omnium moribus ſeſe attemperaret. Item Ariſtippus qui omnibus ſe accommodabat. De quo Horatius, Omnis Ariſtippum decuit color. Et quidam alius ſeu Plato, ſed Strato de Ariſtippo, Tibi uni & clamidem, & pannum ferre datum eſt. Civilitatis quædam pars eſt gravitas, quæ mores & exteriorem habitum in converſatione ad cujuſque dignitatem & authoritatem ſtudiosè componit. Ea viros maximè & ſenes decet, adoleſcentes ornat. Gravis erat Pericles, qui etſi popularis, authoritatis concilianđæ & conſervandæ gratia rarò in publicum prodibat, nec conviviis intererat. Pompeius ob eandem cauſam forum & multitudinem declinabat. Incivilitas, in iis, quæ civilitatis ſunt, decorum planè negligit. Vt Patrocles qui ſe per omnem vitam non laviſſe dicitur. Nimia autem Civilitas in iiſdem decorum ſuprà modum affectat, ſicq́ue odioſa eſt, & riſui expoſita. Rectè Plautus in Moſtella. Mulier rectè olet, ubi nihil olet. Et, Fucati corporis fucatus eſt animus. Geſticulationes corporis inſolentiores, & frequentiores præſertim in honoribus exhibendis; item recuſationes loci & ſeſſionis aſſignatæ, & alia ejuſmodi, ad ineptias hodiè receptas ſpectant.

CAPVT II.

De Honeſtate.

Quid ſit honeſtas. Quid honeſtum

HOneſtas, ut Franciſcus Patricius definit, eſt animi electio firma & ſtabilis, ea omnia agendi, quæ ſecundùm virtutem ſunt. Vnde Zeno præſtantiam ingenii illam appellabat. Honeſtum autem non eſt id, quod populari famâ glorioſum dicitur; ſed quod detracta omni utilitate laudari jure poteſt. Eſt ipſamet virtus, ex qua ſplendor aliquis & illuſtris honor provenit; cujus ea vis eſt, ut non tantùm opera efficiat admiranda, verum etiam eorum auctores hominum omnium benevolentia digniſſimos reddat. Tanta erat Sertorij honeſtas, vt nec videre quicquam turpe, nec audire vnquam poſſet. Quorundam ſuorum ſcurrilitatem non ferebat, eos ad ſales placidos, & facetos iocos adhortabatur. Rectè ſanè. *Nihil enim turpe*, inquit Cic. 3. Off *faciendum bono viro, etiamſi ex omni parte lateat, etiamſi omnes Deos homineſq́ celare poſſimus. Sapientis eſt proprium nihil curare, pænitere eum quod poſſit facere, ſed ſplendidè, conſtanter, graviter, honeſtè omnia.* Honeſtatem qui non colunt, viri eſſe boni non poſſunt; nec ſibi tamen tantùm nocent, ſed alios etiam turpitudinis vitio inficiunt, proindeq́ue ex hominum cœtu exturbandi. Quam verò rarus eſt honeſtatis amor? Admittant noſtra tempora hanc Senecæ querelam in Rhet. *Ecce*, inquit, *torpent ingenia deſidioſæ Juuentutis, nec in vnius honeſtæ rei labore vigilatur; ſomnus languorque, & ſomno & languore turpior malarum rerum induſtria inuaſit animos, cantandi ſaltandique obſcœna ſtudia effœminatos tenent; & ad muliebres blanditias extenuare vocem, mollitia corporis certare cum fœminis, immundiſſimis ſe extollere immunditiis, noſtrorum adoleſcentium ſpecimen eſt, qui ſunt expugnatores alienæ pudicitiæ, immunditiæ negligentes ſuæ.*

Additamentum.

QVi honeſtus idem bonus cenſetur. Ea vis eſt honeſtatis; ut hominem perfectè commendet. Neque enim amare vitium poteſt, multò minùs admittere, qui honeſtus eſt. Honeſtatis opera ſunt, quæcunque virtutis; nec placet quicquam, quod non idem cum honeſtate conjunctum. Propterea viris excellentibus ſimiles nos optamus, quod in iis honeſtas ſplēdeſcat. Nihil hic addendum. Quicquid de omni virtute dictum eſt, ad honeſtatem pertinet.

CAPVT III.

De Humanitate, & Affabilitate.

quid ſit Humanitas.

HVmanitas eſt virtus, quâ erga alios officioſè humaniterque nos gerimus. Hac qui præditi ſunt, triplici ratione, ut præcipit Epictetus, conſiderare homines debent, nimirum aut ſe præſtantiores, aut inferiores, aut æquales. Præſtantioribus auſcultare obtemperareque debent, inferioribus rectè conſulere, æqualibus benè conſentire. Quod cùm ſit, læta cum omnibus converſatio eſt, & contentio nulla. Eſt verò inter duo vitia Humanitas; vnum in exceſſu eſt Moroſitas; alterum in defectu Blanditia. Moróſitas tunc eſt, cùm ita quis inhumaniter agit, vt alios torvo inſpiciat vultu, & omnia ſiniſtre interpretetur. Blanditia verò eſt, cùm quis peſſimè factis abblanditur, & ea nutu, verbis, vultu, geſtu approbat. Porrò cùm in hominum ſocietate vivere ſit neceſſe, videndum nunc eſt, quomodo converſari agereque cum aliis oporteat, ita tamen, ut de Regum cum ſubditis converſatione, quæ ad Politicam; de Conjugum inter ſe, de filiorum cum Parentibus, aut ſervorum cum Dominis congreſſu, qui ad Oeconomicam ſpectat, nihil hic attingamus.

Præceptum. Vitia extrema.

Quid Affabilitas ſit.

Humanitatis ſocia Affabilitas eſt, quæ noſtram cum aliis converſationem gratam efficit. Spectari cum noſtra, tum eorum, cum quibus agimus, conditio debet, atque ita conſiderandæ omnes circumſtantiæ, ut neque nimis blandi in congreſſibus ſimus, neque nimis aſperi. Vnde circa hominum converſationem Affabilitas verſatur, colloquiaque, convictum, & actiones omnes moderatur, ſervatâ ſemper decori & honeſtatis ratione, ut grata omnibus noſtra conſuetudo exiſtat. Illi placidi nimis ſunt, qui ita aliis ſeſe accommodant, ut omnia laudent. Id cùm commodi alicujus gratia faciunt, Adulatores appellantur. Nimis verò illi aſperi, qui placere aliis aut nihil aut parùm curant, difficiles in omnibus ſunt, in omnibus contradicunt. Vrſinus Poëta.

Sis patiens, verax, comis, ſermone modeſtus,
Sint tua laudatis ſeria dicta jocis.
Multùm quippè placent admixtis dulcia acerbis,
Adde ſales gravibus, tempore gratus eris,
Scilicet extremum nemo laudabit vtrumque
Serius; aut nimium ſiue locoſus eris.

Additamentum.

CIcero Orat. pro Muræna, Comitas affabilitaſque, inquit maximè conciliat animos hominum. Et in lælio, Amicitia debet eſſe remiſſior & dulcior, & ad omnem comitatem & facilitatem proclivior. Vtraq; tum Humanitas, tum Affabilitas à natura multis inſita eſt, nonnullis ex litterarũ ſtudio quæſita. Ovid. 2. de Pont.

Adde quod ingenuas didiciſſe fideliter artes,
Emollit mores, nec ſinit eſſe feros.

Item.

Artibus ingenuis, quarum tibi maxima cura eſt,
Pectora molleſcunt, aſperitaſq; fugit.

Peregrinationes quoque multum ad humanitatem conferunt, & adverſæ illam docent. Cyrus dicebat teſte Xenophonte, Humanitatis, quam belli opera multò ſibi jucundiora videri. In Auguſto Cæſare rara quædam humanitas fuit. In Magiſtratuum

tuum comitiis, ut unus è plebe ſuffragia ferebat. Nunquam ſuos populo commendabat, niſi hâc formulâ, Si merebuntur Ingreſſus Curiam patres ſedentes, nominatim ſingulos ſalutabat, diſcedens ſingulis ſedentibus valedicebat. Epaminondas apud Thebanos ita humanus erat, ut diceret, Non eſſe diſcedendum è foro, niſi quis ſibi quempiam feciſſet amicum. Eodem ferè modo Titus Imp. cùm nihil cuiquam denegaret, rogatus an tanti eſſet Imperium, ut omnia præſtare poſſet? Neminem oportet à conſpectu Principis triſtem abire debere. De Humanitate & Affabilitate, in Politicis maximè; ſunt enim iſtæ, quaſi dotes Politicorum.

Olim, ut Suidas ait, divites cum pauperibus lavabant, ut pauperes ſupellectile divitum uterentur. Philopœmenes Achæorum Prętor cùm aliquando veniſſet ad fæminam quandam Megarenſem, quæ cænam abſente marito parabat, obſoletâ amictus ipſe clamyde. Fæmina illa, quæ quidem Prætorem ad cænam expectabat, ſed quia illum non noverat, exiſtimans aliquem eſſe ex miniſtris & antecurſoribus, petiit ab eo ut ſecum in cæna inſtruenda operam adhiberet, & ligna findere inciperet. Ubi Philopæmenes continuò pallium abjecit, & ligna findere cœpit. Interim cùm hoſpes adveniſſet, ſubitò admiratus, quid hoc rei eſt, inquit, ô Philopæmene? Tum ille, quid aliud ago, inquit, quàm quod deformitatis meæ pœnas luo? Sic refert Plutarchus in ejus vita. Idem Plutarchus in Apophtematibus refert de Artaxerxe Rege, quod non tantùm ſeipſum affabilem adire volentibus præſtiterit, verùm & uxorem ſublatis Aulæis vehi juſſerit, ut ab omnibus compellari poſſet. Apud Romanos tribunitiæ fores neque interdiu, neque noctu claudebantur, ut planè perfugium & portus eſſent indigentibus. Nec licuit tribuno integrum diem ab urbe abeſſe, niſi in feriis latinis, ut teſtes ſunt Halicarnaſſeus lib. 8. Gellius lib. 3. Macrobius in Saturnalibus. Cavendum tamen nimium placendi ſtudium, quod præter modum per omnia quibuſlibet obſequitur, nullæ honeſtatis & utilitatis habitâ ratione. Vel ut ait Ariſtoteles lib. 4. Eth. cap. 6. quòd voluptatis cauſâ laudat omnia, nec ulla in re adverſatur, nec quemquam offendit. Hoc ſtudium placendi nimium non fuit in Scipione, qui, Servius Sulpitius Galba, & Aurelius in Senatu contenderent, uter eorum adverſus Viriathum in Hiſpaniam mitteretur, liberè dixit, Neutrum mihi mitti placet, alter nihil habet, alteri nihil ſatis eſt.

CAPVT IV.

De Converſatione, in qua Civilitas apparet.

CVm natus ad ſocietatem ſit homo, perquam illi neceſſaria converſatio eſt. Hæc quemadmodum certis inſtitui legibus debeat, hic dicemus, atque inprimis generatim. *Regula generales converſationis.*

Prima Converſationis regula eſt. *Deum ſibi antè oculos ſemper ponere, cujus oculus omnia videt, auris omnia audit, liber omnia dicta factaq; continet.*

Secunda eſt. *In omni congreſſu ſuavem, nemini gravem, paucis familiarem ſe præbere. Si amicus ſit, cum quo agitur, utendum illo ad gratiam; ſi inimicus, ad patientiam, ut nimirum omnes benevolentiam noſtram ſentiant, & qui egent, beneficentiam.*

Tertia eſt. *In omni converſatione Modeſtiam exhibere, quæ & gratiam mereatur ſingulari bonitate, & laudem reportet grata conſuetudine.*

Quarta eſt. *Nihil quod turpe ſit ullius hominis gratiâ efficere, omnia pro omnibus, quæ honeſta ſunt, præſtare velle.*

Additamentum.

TRaduntur hic tres regulæ generales pro omni converſatione.

Addendum ad primam conſilium cujuſdam Arabis, qui dicebat hominem in omni loco, ne quid contra rationem agat, perſuadere ſibi debere, ſupra ſe eſſe unum oculum omnia videntem; unam aurem omnia audientem; unam manum omnia ſcribentem. Hoc eſt Deum ſibi ubique præſentem repræſentare.

Ad ſecundam illud Epicteti. Qui nobiſcum verſantur, aut præſtantiores ſunt, aut inferiores, aut æquales. Præſtantioribus auſcultare & obtemperare convenit; inferioribus modeſtè perſuadere; æquabus conſentire. Ita Stobæus Serm. de Temperantia. Similia habet Cic. lib. 1. Officiorum, ubi agit de Temperantia.

Ad

Ad tertiam illud Curtii lib.8. pro ſervanda ubique modeſtia. Si homo eſt, inquit, id quod es, ſemper te eſſe cogita.

Ad quartam exemplum Publii Rutilii, qui cùm injuſtæ amici petitioni reſiſteret, & is per ſummam indignationem diceret, Quid igitur mihi opus eſt amicitiâ tuâ, ſi, quod rogo, non facis? Reſpondit, Imò quid mihi opus eſt tuâ, ſi propter te inhoneſti aliquid facere debeam? Valerius Maximus lib. 6. c. 4. Eodem modo Pericles, ut eſt apud Gellium lib 1. cap. 3. amico roganti, ut falſum teſtimonium diceret, reſpondit, Se amicum eſſe, ſed uſque ad aras.

CAPVT V.

De Converſatione Senum, & Adoleſcentum.

Quomodo ſegerere Senes debeant.

SEnes in Adoleſcentum Conſortio graves eſſe decet & humanos. Graves ſint cultu vultuque compoſito; prudenter diſſerendo, præmeditata omnia loquendo, nihil temerè effutiendo, non ad ſcurrilitatem ſeſe abjiciendo, quâ dignitas illorum vileſcit & irridetur; nihil turpe committendo; neque enim ea ætas excuſationem meretur, & Senum vitia ſub quadam Majeſtatis ſpecie facilè ſeſe in adoleſcentum animos inſinuant. Prudenter Cato, *Ne ætatis tuæ malis addas turpitudinem.* Humani ſint ſuaviter monendo, & libenter docendo: Pulchrè Seneca. *In hoc ſcire aliquid deſidero, ut alios doceam. Si cum hac conditione detur ſapientia, ut illam incluſam teneam, abjiciam.*

quomodo Adoleſcentes cum Senibus.

Adoleſcentes cum Senibus agentes obſervantiam præſtent & attentionem, proindeque illis aſſurgant, loco cedant, honorem exhibeant, non loqui ipſi importunè præſumant, ſed Senes audiant, à quibus haurienda prudentia, & capienda tractandorum negotiorum conſilia. Non eorum ſenectutem, non exanguè, deforme, arcuatum corpus irrideant, non inſultent. *Nulli exprobranda eſt ſenectus*, ut Bion aiebat, *ad quam omnes optant pervenire.* Facta Senum notare & dicta oportet.

Additamentum.

IN hac converſatione requiritur in ſenibus gravitas & humanitas; in adoleſcentibus obſervantia & attentio.

Scire debent ſenes, quod vulgò dicitur, Canos temporis quidem argumentum eſſe, non etiam Sapientiæ. Item tria hominum genera mundo exoſa eſſe, Pauperem ſuperbum, Divitem mendacem, Senem fatuum. Ideò quando cum juvenibus ſunt, graviter agere, & prudenter loqui debent, ac de iis potiſſimùm, quæ exemplis & inſtructioni vitæ ſerviunt. Illud Apoſtoli conſiderare crebrò debent. Cùm eſſem parvulus, loquebar ut parvulus: quando autem factus ſum vir, exui quæ erant parvuli. Neque debent juvenes contemnere, ſed æſtimare, ut hoc modo eos ad honorandam ſenectutem adducant. Et quia facta ſenum ſunt quædam data juvenibus præcepta, videant ne morum intemperantiâ juvenes diſſolutos reddant. Sint ſobrii, caſti, prudentes in dilectione & patientia, ut monet eos Apoſtolus. Nam juvenes eos vel imitantur, vel vident.

Iuvenibus, ut dici ſolet, Præmatura barba evellenda eſt. Ea nimirum perſuaſio, quâ ſapere ſe putant, Sciant experientiam tractu temporis comparari, & ab experientia naſci prudentiam. Ideò quando cum ſenioribus converſantur, ne nimium ſapere velint, ſed eos obſervent, & auſcultent. Mentis oculus tum prius florere incipit, cùm corporis oculus defloreſcit. Silentium medicamentum eſt juvenum. Veterum quidam dicebat, ô juvenis vix etiam in tua cauſa loquere, vel cum neceſſitate fueris adſtrictus. Non aſpernari ſocietatem ſenum debent, nec irridere. Pueri, qui Eliſeum ſubſannabant, à duobus urſis ſunt impetiti, & eorum quadraginta interfecti. Laudati fuerunt juvenes Romani, olim, qui ſenes adeò reverebantur & honorabant, ut ſi quis vir eſſet ætate grandior, hunc ut patrem; ſi fæmina, hanc ut matrem, venerarentur. Vnde Satyric.

Credebant hoc grande nefas, & morte piandum,
Si juuenis vitulo non aſſurrexat; & ſi
Barbato cuicunque puer.

Placet in hac converſatione, ſi juvenis genæ verecundo colore attingantur. Is enim color gratiam conciliat, bonæ indolis teſtimonium eſt, & felicis eventus certiſſimus nuntius.

CAP-

CAPVT VI.

De Converſatione Doctorum, & Indoctorum.

quid docti facere debeant.

IT: qui doctrina clari ſunt, cum Indoctis agant, ut modeſtiam & humanitatem oſtendant. Eorum itaque eſt non nimium indoctis ſeſe anteferre, nec ſuam ſapientiam nimium jactitare. Arrogantia quædam ingenia tacere tantùm neſciunt, & ut ſapere videantur, ſubtilia quædam commenta, quæ qui adſunt, non intelligant, in medium plenis buccis proferunt. Certè ligna, quæ multùm fumant, parùm calefaciunt; & altiſſima flumina minimo ſono labuntur. Nunquam qui doctus eſt, indoctum ſuperbè contemnat; gratuletur verò ſibi, quod ex plebeiorum fece ſit exemptus. Quod ſi inconſideratum fortè verbum indocto excidat, nō ilicò ſolvi in cachinnos oportet, ſed in ſenſum bonum detorquere, aut benignè excuſare. Curent docti, ut de rudium hominum artibus operibuſque, quantùm fieri poteſt, cum illis agant, & ſermones miſceant, quos etiam parare quandoque operæ pretium eſt.

quid indocti.

Indoctorum hoc officium ſit. Inprimis Doctos obſervent honorando & in pretio habendo. Digni enim honore ſunt, quos Deus tam egregiis dotibus nobilitavit. Deinde ſilentium præſtent, potiſſimum cùm de rebus iis eſt ſermo, quas vix, aut omninò non intelligunt. Tacere quippè ei convenit, qui quod aptè loquatur non habet. Habeat hic locum, *Ne ſutor ultra crepidam.* Impudentes illi ſunt, qui quo minùs ſciunt, eò ampliùs clamant. Viri docti non illos, ſed ſeipſos conſiderant, & quid deceat, non quid illi effutiant.

Additamentum.

IN converſatione à Doctis modeſtiam & humanitatem exigimus, ſine arrogantia & jactantia; ab indoctis honorem & obſervantiam erga Doctos. Rara eſſe ſolet Doctorum & Idiotarum converſatio, aut certè non jucunda. Idiotæ enim doctis non delectantur; Docti ſciunt ſe ab illis in pretio non haberi. Similes ſunt Idiotæ Gallo illi Gallinacæo, qui cùm in ſterquilino unionem reperiſſet, conſpecto eo dixit, Quid mihi tam pretioſa re inventâ opus eſt? Me tritici granum oblatum magis juvaret. Sed, ut dici ſolet, Ignorantia ſtultitiæ ſpecies eſt. Quidam Idiota cùm diceret ſe malle inter meretrices reperiri, quàm inter Philoſophos, reſpondit illi Pythagoras, Etiam ſues lutum magis quam puram aquam amant. Sunt tamen aliqui qui ſuam ignorantiam agnoſcunt, & Doctos venerantur. Quando cum his doctus aliquis converſatur, ita agat, ut eos non contemnere videatur, non ignorantiam exprobret, non ſuam ſcientiam jactet, ſed humaniſſimè cum iis agat, & velut aliud agendo, inſtruat. Hoc modo amorem illorum, & venerationem excitabit. Vituperatus eſt Accius Poeta, qui doctrina ſua adeò inſoleſcebat, ut Cæſareum Imperatorem Poetarum Collegium aliquando ingredientem, ſalute non fuerit dignatus, eò quòd plures ſe illo faceret. Certè, quemadmodum ramus, quò magis onuſtus eſt fructibus, ita magis ad terram inclinatur; ſic quò eſt copioſior alicujus doctrina, eò magis ſubmittere ſe debet. Nam ut virtutis, ita ſapientiæ fundamentum eſt humilitas. Non equidem volo abſconditam Doctorum ſcientiam eſſe debere, ſed abſcondi tamen ejus affectatio in converſationibus debet.

Ad Indoctos pertinet litteratorum converſationem expetere, & eos honorare. Quippè ſingularis prudentiæ ſpeciem præ ſe ferunt, qui Litteratos pro amicis habent olim fecerunt Alexander, Auguſtus, Mæcenas, & poſteà Carolus IV. Imperator. In hac verò converſatione optimum eſt Indoctis tacere; etſi ii ſint ferè mores, ut qui minus ſciunt magis loquantur, contendant, vociferentur. Inde natum eſt illud commune dictum, Rota quò vitioſior eſt, eò majorem ſemper ſtrepitum edit. Contrà verò litteratis hoc accommodatur. Flumina profunda minori cum ſtrepitu currunt. Inter leges Imperii naturalis eſt, Ut prudentes imperent ignorantibus; ideò Idiotæ illis acquieſcant ſine contradictione, & quod neſciunt libenter inquirant ſine ignorantiæ ſuæ occultatione; Docti eos libenter doceant ſine inſultatione.

CAP-

hoſpitem in tempeſtate. Et apud Euripidem in Alceſtide, Hoſpitem meritò odi, qui in malis advenit. 2. Eſſe modeſtum, non garrulum, non curioſum. Omulus Antonino Pio quærenti unde columnas Porphyreticas in ædibus ſuis haberet, liberè ei reſpondit, teſte Iulio Capitolino, In alienis ædibus, ô Imperator, & mutum & ſurdum eſſe decet. 3. Boni conſulere quæ præſtita fuerint & exhibita. Hinc Cæſar cùm Mediolani eſſet in hoſpitis menſa, cæteris nauſeantibus unguentum loco olei, ut Plutarchus refert, vel oleum conditum pro viridi appoſitum, ut Suetonius habet, avidè comedit, ne hoſpitis apparatum contemnere videretur. 4. Non excedere modum nimiâ voracitate, qua de re multa apud Sapientem cap. 31. 5. Maturè diſcedere. Nec enim hoſpitem ſemper oportet eſſe hoſpitem, ut ait Ariſtoteles 3. Rhetoricorum. Notus eſt etiam tritus hic verſus:

Poſt tres ſæpè dies vileſcit piſcis & hoſpes,
Ni ſale conditus, vel ſit ſpecialis amicus.

Adde, peregrinum debere erga hoſpitis ſui domeſticos certo quodam reſpectu eſſe, eâque uti modeſtiâ, quâ illi ad amandum & æſtimandum ipſum mutentur, Tria ſunt, ut dicitur, maximè fugienda. Medicus indoctus, Cibus bis coctus, Hoſpes malus.

CAPVT VIII.

De conuerſatione virorum & fœminarum.

IN virorum cum fœminis converſatione verba & facta intra honeſtatis limites eſſe debent: in vtriſque gravitas & humanitas appareat. Nihil ergò viri dicant, quod obſcænum ſit. Nam caſtæ animæ etiam turpi vno verbo graviter ſauciantur, quæ caſtæ non ſunt, inflammantur. Si quid ambiguè dictum ſit, ſano & bono ſenſu accipiatur. Vulgatum iam illud eſt. *Mores virorum.*

Sit bonus interpres, nunquam mala verba nocebunt,
Sit malus interpres, nunquam bona verba iuuabunt.

Nihil verò agant contra honeſtatem, imò nihil contra verecundiam. Sed quoniam

In vitium ducit culpæ fuga, ſi caret arte.

Ita ſervetur grauitas, vt humanitas non amittatur.

Fœminæ autem in virorum conſortio ſedatos & caſtos exhibeant mores. Modus hic ſit, ut loquela ſuas habeat partes, & ſilentium, decus ſanè mulierum. Proinde ne rixis & clamoribus omnia repleant; nec tamen etiam ita ſuperbæ ſint, ut proloqui nihil velint, aut ad interrogata reſpondere. Sit affabilitas cum verecundiâ. *Item fœminæ.*

Additamentum.

VIrorum in eo officium eſt cum fœminis adſunt, ut nec verbo nec facto honeſtatem offendant; fœminarum, ut ſilentium ſervent, & caſtos mores exhibeant. Tres ſunt vulgatæ ſententiæ. 1. Si mundus abſque fœminis conſervari poſſet, noſtra converſatio non procul à Deo diſſita foret. 2. Nihil in mundo pejus eſt fœminâ, quantumvis bonâ. 3. Malitia viri melior eſt probitate fœminæ. Quæ quidem ſententiæ non in mulierum vituperium ſunt dictæ, ſed id tantùm ſignificant, viros facilius peccare converſando cum mulieribus etiam honeſtæ famæ, quàm cum viris ſceleratis. Accommodatur illis commune hoc dictum, Capra Iuvenis ſalem comedit, Vetula autem ſalem & ſaccum. Porrò quod ad officium virorum erga fœminas attinet, Viri omnem fœminis honorem & reverentiam exhibeant. Hinc à Romulo Romanorum primo Rege promulgatum olim edictum, Vt viri primum fœminis locum concederent. Nihil in contemptum earum eſt dicendum, cùm nihil ipſæ libentius audiant, quàm laudes ſuas, & facilè offenſæ, non facilè placentur. Si quid, quod non placeat, dixeris, manet altâ mente repoſtum. Vitandæ etiam cum illis contentiones & vincendi ſtudium. Nam qui pertinaciter cum fœminis agit, nihil aliud, quàm ipſarum malevolentiam refert. Gaudent illæ honore, & quodam ſervitio ſibi exhibito, ubi opus eſt diſcretione.

Quod ad officium fœminarum ſpectat, quando in virorum converſatione ſunt, opus eſt inprimis, ut à multiloquio ſeu verborum abundantia ſibi temperent; Vulgò dici ſolet, Vbi cordis minus, ibi plus linguæ. Nec verò iſto tantùm linguæ retinaculo eas uti decet, ſed & verba, cùm opus eſt, & riſum, obtutum, mores

quâdam gravitate & reverendâ majeſtate componere debent, quæ propria eſt matronarum. Nimia libertas fœminæ dignitatem minuit. Aliquæ ſuperbæ magis ſunt, quàm honeſtæ, ſed ut ait Poeta, Virtutes multas obſcurat fœmina faſtu. Non debent etiam aliorum ſermones interrumpere, nec aliis ſe præferre; imò nullum de ſe judicium ferre. Sit in iis obtutus dulcedo, perſonæ majeſtas, verborum ſinceritas, veſtitus decor & modeſtia, vocis ſuavitas, morum candor.

CAPVT IX.

De Taciturnitate in Converſatione.

Quid ſit Taciturnitas. Taciturnitas eſt virtus ſermonis moderatrix, ſeu, quâ decenter ac tempeſtiuè ſermonem inhibemus, nimirum ne cùm ſilendum eſt, loquamur. Ratio quippè moderatrix eſſe debet orationis, ut non tam in ore, quàm in corde nata eſſe videatur. Et verò Taciturnitas, ut ait Valerius Max. eſt optimum tutiſſimumque rerum adminiſtrandarum vinculum. Eadem eſt ars tacendi & loquendi; adeò ut rectè loqui neſciat, qui ordinatè tacere ignorat. Vnde ſymbolum illud Henrici VI. Imp. *Qui neſcit tacere, neſcit loqui.* Ardua hæc virtus eſt & difficilis; nam, ut ait Theognis, *Ne ſapienti quidem facilè eſt ſemper tacere.* Sapientis autem eſt ſecundùm Menandrum, *& in loco tacere, & in loco loqui.* Siquidem, vt expreſſit Hugo, *Eſt tempus, quando nihil eſt tempus, quando aliquid; nullum autem eſt tempus, quando omnia dicas.* Iſidorus verò, *Magnæ,* inquit, *ſtultitiæ eſt, quovis loco, quibuſvis de rebus, apud quoſvis loqui, & ignotis præſertim de rebus ac parum cognitis, aut ſuperuacaneis ineptè atque intempeſtiuè garrire.*

Modus loquendi cum perſonis. Igitur in converſatione habenda eſt in primis ratio perſonarum, deinde rerum, tum etiam loci & temporis. Pauca cum aliis loqui oportet. Hinc ſymbolum Conradi III. Imp. *Pauca cum alijs, multa tecum loquere.* Sermo quamdiu apud unum manet, ſecretus eſt; ubi ad alterum tranſivit, ſpargitur in famam. Cum amicis, ut monebat Thales, ita loquendum eſt, ut ſermo nos in jus non vocet. Cautè proinde coram amicis de abſentibus loquendum eſt. Cum inimicis, calumniatoribus, & obtrectatoribus parcè aut omninò loquendum non eſt. Crates cùm adoleſcentem ſecretò obambulantem videret, quid, inquit, ſolus agis? Ille, *mecum loquor.* Tum Crates, *Caue & diligenter attende, ne cum homine malo loquaris.* Ita Seneca refert in Epiſt. Si cum ſapientibus ſit agendum audi Iſidorum, *Maneat in verbis menſura, in ſermone ſtatera; ſemper verba tua ſint moderata; modum loquendi ne tranſeas. Plùs dilige audire, quàm dicere; plus auſcultare, quàm loqui.*

Modus loquendi de rebus. Quod attinet ad conſiderationem rerum, de iis tantùm loquendum eſt, quarum cognitionem habemus; de honeſtis & utilibus; non de impiis aut obſcœnis. Theophraſtus cùm in convivio ſilentem perpetuò quendam videret, *Si indoctus es,* inquit, *prudenter facis; ſi doctus, imprudenter.* Iſocrates ad Demonicum, *Duo loquendi tempora conſtitue, alterum de rebus tibi planè cognitis; alterum de iis, quæ neceſſario ſunt dicenda; in quibus ſolis ſilentio præſtat oratio: in aliis verò tacere ſatius eſt, quàm loqui.* Euripides, *Sile, vel meliora loquere ſilentio.*

Habenda etiam temporis & loci ratio. Hinc illud Borbonii:

Nobile lingua bonum ſi ſari in tempore novit,
Nobile lingua malum, ſi ſari in tempore neſcit.

Pythagoras aliquando interrogatus à quodam quomodo in ſapientum diſcipulorum numerum adſcribi poſſet, ait,

Si ſerves ſilentium, donec loqui ſit neceſſarium,
Si nihil dixeris niſi quod bene ſciveris,
Si feceris optima, & locutus fueris pauciſſima,

Silen-

Silentium ſignum eſt ſapientiæ, loquacitas ſtultitiæ,
Ne feſtines reſpondere, donec finis ſit interrogandi.

Cùm autem mens fons ſit orationis, rectè præcipiebat Zeno, ut in mentem intingeretur oratio; proindeque priùs cogitandum eſt, quàm loquendum; nec committendum, ut lingua mentem præcurrat. Cato lurconem quendam recipere in familiaritatem nolebat, quod vivere cum eo non poſſet, qui plùs palato, quàm corde ſaperet.

Extrema Taciturnitatis ſunt, Garrulitas, & Infantia; illa in exceſſu, hæc in defectu; illa quorundam audaculorum eſt, hæc vel ſtupidorum, vel aliquando ſuperborum cum affectata eſt. Sunt locutulei quidam & blaterones, quos Antiſthenes ingenioſos nugatores appellabat. Hi omnibus moleſti ſunt. Nam ut ait Euripides:

Quiſquis loqui multum delectatur nimis,
Is non videt ſic ſe moleſtum eſſe omnibus.

Additamentum.

CVm taciturcitas modum ſervet in loquendo & tacendo is modum illum ſeu mediocritatem ſervat, qui temerè non effutit, quicquid in buccam venit, aut intra labia denteſque naſcitur; ſed linguam trahit cordis funiculo; ſeu, ut loquitur Zeno apud Stobæum; linguam menti intingit. Menſuram ſermonis efficit auditor, locus, tempus, res ipſa, de qua agitur, & cæteræ circumſtantiæ. Tem- eſt loquendi, & tempus tacendi, inquit Eccleſiaſticus cap. 3. Et Sapiens cap. 18. Antequam loquaris, diſce. D. Paulus ad Coloſſenſes cap. 4. Sermo veſter ſale ſit conditus. Eſt verò Sapientis Taciturnitas; nam, ut ait Thales apud Laertium lib. 1. Pauca verba Sapientis animi indicium. Bias, ut eſt apud Plutarchum in convivio Sapientum, cùm aliquando taceret, & ei ſtoliditas à garrulo quodam objiceretur, Si Stolidus eſſem, inquit, tacere non poſſem. Æſchines Socraticus, cùm de ſilentio reprehenderetur, Non ſolùm loqui, inquit, à Socrate, ſed etiam tacere didici. Moris fuit apud Lacedæmonios, teſte Plutarcho, ut, ſi quem amicum aut hoſpitem in domum ſuam admiſiſſent, ei oſtenſis foribus dicerent, Hac ſermo non egreditur. Et quidem ex inſtituto Lycurgi natu maximus ad oſtium ſtans idipſum ingredientibus ad convivium dicebat & fores oſtendebat. Olim etiam in cœnaculis littera S. inſcribebatur, ut hoſpites ſilentii admonerentur. Idem ſignificat roſa in cœnaculis ſuprà menſæ verticem lacunaribus affixa. Vnde proverbium: Hæc ſub roſa dicta ſunt. Non tamen omne ſilentium probandum eſt, cùm etiam linguæ theſauros interdum ponere oporteat, ut ait Heſiodus. Bene proinde Simonides, qui cùm hoſpiti cuidam taciturno in convivio aſſideret, Mi homo, inquit, ſi ſtultus es, benè facis; ſin ſapiens, malè. Magnum autem vitium eſt Garrulitas, & quædam ſermonis incontinentia. De Anaximenis garrulitate dicebat Theocritus, Incipit verborum flumen, mentis gutta. Dici de Garrulo poteſt, quod de luſcinia Spartanus aiebat, Vox es & præterea nihil. Nec immeritò Iſocrates Locutuleium in diſciplinam recepturus duplicem mercedem poſtulabat, unam ut loqui diſceret, alteram ut tacere. Horatius lib. 1. Epiſtola 18.

Percontatorem fugito, quia garrulus idem,
Nec retinent patulæ commiſſa fideliter aures.

Euripides, Oris effrenati, inquit, finis eſt calamitas. Porrò vitari garrulitas, & exerceri taciturnitas his modis poteſt. 1. Si à pluribus, qui ſimul ſunt, aliquid quæratur, cæteros antevertere non oportet, ſed tacere, donec omnes abnuant reſpondere. 2. Si alius quiſpiam interrogetur, cavendum eſt, ne illum reſpondendo præcurramus. 3. Si riſus aut contumeliæ cauſa aliquid à nobis petatur, nunquam eſt ſerio reſpondendum. Deinde non convenit celeriter ad dicendum proſilire, ſed lentè feſtinare, ut qui interrogat addere aliquid poſſit, ſi velit, & nos deſpicere, quid ſit reſpondendum; potiſſimùm, quando bono animo interrogamur. Debet & reſponſio eſſe non præfracta & ſuperba, ſed neceſſaria ſaltem & humana. 4. Fugiendi ſunt ſermones, qui cum voluptate quadam rapere nos ad futilitatem poſſunt; quales ſunt militi de bellis, cauſidico de litibus, amatori de puellis. 5. Cum præſtantioribus ità verſari oportet, ut eorum verecundiâ, quaſi digito labella compeſcere diſcamus. Monent aliqui, ut garruli domi ſcribant aliquid & differant, ut æſtus iſte garrulitatis paulatim deferveſcat. Vide Plutarchum libello de Garrulitate.

CAPVT X.

De Vrbanitate in Iocis.

Neceſſarios eſſe jocos. IOcos propter eorum, qui laborant, recreationem, inventos eſſe Philoſophus vult 8. Politicorum. Quin imò iocos Dij amant inquit Plato in Cra'ylo. Horum verò cùm magnus ſit in hominum converſatione uſus, tum juſtam in iis mediocritatem urbanitas obſervat præcipitque. Cùm modus nullâ habitâ circumſtantiarum ratione exceditur, ſcurrilitas eſt; cùm *Vitia extrema.* defectus eſt, fit ruſticitas. Et hæc quidem eorum eſt, qui nec proferre ipſi commodè jocos poſſunt, nec ab aliis prolatos æquô animô ferre. In congreſſibus & conviviis triſtes ſedent, moroſi, cogitabundi. Melancholici iſti homines ſunt. Illa verò hominum eſt impurorum ſervilique præditorum ingenio, qui, ut aiebat, Diogenes, ex eburnea vagina plumbeum educere gladium non erubeſcunt.

Modus in jocis hic eſto. Inprimis joci ſint honeſti, non Momi, ſed Mercu- *Modus eorum.* rii ſale conditi, ſine convitio aut maledicentia; ſint non uſitati, ut novitate delectent. Non ex tempore fuſi, ſed prævià meditatione ingenioſè excogitati. Cujuſvis ſanè ingenii non eſt aptè & ex tempore jocari.

Deinde rari ſint, & non frequentes. Copia faſtidium omnibus in rebus, etjam ſuaviſſimis & jucundiſſimis parit. Qui moderatè jocantur, ſapientes ſunt; qui promptè, ingenioſi, ut Fredericus Imperator dicebat. Videndum eſt, ut inter ſeria ſuus joco locus ſit, non ille quæſitus, ſed vltrò oblatus.

Habenda denique rerum ac perſonarum ratio eſt. Rerum quidem, ut cùm illæ ſeriæ graveſque tractantur, joci nulli interveniant; aut certè qui acuti ſint, ſed rari & faceti. Aliàs, ubi honeſtæ recreationi in convivio vel congreſſu locus eſt, oportunè adſint joci, & ſine petulántia. Perſonarum verò, ut ad conditionem & ætatem vniuſcujuſque attendatur. Decorum non eſt juvenem cum Sene, ſervum cum Domino, ſubditum cum Principe jocari. Cum æqualibus juſta occaſio eſt. Vix dignitas jocum admittit, niſi qui à magno venit.

Additamentum.

VRbanus eſt, qui commodè Iocis & ſalibus uti poteſt in converſatione. Ad vrbanitatem Naturâ factus quodammodo eſſe debet, qui iocari concinne cupit: qui talis non eſt, ſilere potius debet, quàm ruſticitatem ſuam prodere. Hac de re multa Cicero lib. 2. de Orat. Porrò in iocando his præceptis eſt utendum.

I. Vt Ioci ſponte nobis ſint oblati, non ſollicitè quæſiti. Hi enim gratiam perdunt, & ſcurrilitate vix abſunt.

II. Non ſint obſcœni, turpes, leves, futiles, ſcurriles, ſed honeſti, decori, graves, liberales. Cicero 1. Officiorum. Duplex eſt, inquit, jocandi genus; unum illiberale, petulans, flagitioſum, obſcœnum. Alterum elegans, urbanum, ingenioſum, facetum. Facilis igitur eſt diſtinctio ingenii & illiberalis joci. Alter eſt, ſi tempore fit & remiſſo animo, homine libero dignus. Alter ne homine quidem, ſi rerum turpitudini adhibeatur verborum obſcœnitas.

III. Cavendum ne joci convitia fiant, audientemque offendant & irritent; ſed pleni ſint humanitate & benevolentiâ, & audientem recreent. Eſt enim delectatio finis urbanitatis.

IV. Si quid carpendum ſit, id fiat facili & ingenioſâ alluſione, non aperto convitio.

V. Habenda eſt perſonarum ratio. Aliud enim convenit Seni, Principi, Docto, amico, æquali; aliud juveni, plebeio, indocto, ignoto, ſuperiori, inferiori. Neque jocari nimium debent Magiſtratus cum ſubditis, parentes cum liberis, domini cum ſervis, præceptores cum diſcipulis, ne auctoritatis ſuæ jacturam faciant.

VI. Non jocandum in eos, à quibus provocati non ſumus. Iocum joco penſare f.ſeſt. Cic. 2. de Orat. Omnia probabiliora ſunt, quæ laceſſiti dicimus, quàm quæ priores. Nam & ingenii celeritas major eſt, quæ apparet in reſpondendo, & humanitatis eſt reſponſio. Videmur enim quieturi fuiſſe, niſi eſſemus laceſſiti.

VII. Habenda quoque ratio temporis,

loci,

loci, aliarum circumſtantiarum. Quippè intempeſtivus erit, qui tempore luctus, calamitatis, belli, famis, & aliorum malorum facetiis indulgere volet. Nec item jocandum eſt in templo, Curia, Senatu, ſchola, aut ubi res ſeriæ ſunt agendæ; ſed in conviviis, nuptiis, feſtivitatibus, & in iis congreſſibus, qui reficiendi animi cauſâ ſunt iuſtituti. Bacchelides quatuor in conviviis requirit. 1. modicum cibi & potus apparatum. 2. ſuave colloquium. 3. veram convivarum benevolentiam. 4. bonum vinum. Cæterùm ſicut jocos dicere honeſtos ingenii eſt, ita audire honeſtos ad ingenium ſpectat. Exempla urbanitatis hæc ſunt.

Socrates à Xantippe ſuâ poſt rixas lotio perfuſus, Sciebam, inquit, poſt hæc tonitrua imbrem futurum. Scipio Naſica cùm ad Ennium Poetam veniſſet, & domi non eſſe ancilla reſponderet, ſenſit id juſſu domini dici, & receſſit. Paucis pòſt diebus, cùm ad Naſicam Ennius veniſſet, & num adeſſet à janua quæreret, exclamavit ipſe ſe domi non eſſe. At, inquit Ennius, vocem tuam cognoſco. Tum Naſica, Homo es impudens, ego cùm te quærerem ancillæ tuæ credidi, te domi non eſſe, tu mihi non credis ipſi? Cic. lib. 2. de Oratore. M. Livius Salinator, cùm amiſſo Tarento ſervaſſet arcem, dicebat Quinto Fabio, Meâ operâ, Quinte Fabi, recepiſti Tarentum. Certè, inquit ille, nam niſi tu amiſiſſes non recepiſſem. Auguſtus Cæſar, cùm multi accuſante Severo Caſſio abſolverentur, & architectus forum, quod fieri Cæſar juſſerat, diu protraberet, Vellem, inquit, Caſſius etiam meum forum accuſaſſet. Cicero cùm in Provincia, quam frater ejus Quintus rexerat, clypeatam ejus imaginem ingentibus lineamentis ad uſque pectus è more pictam vidiſſet, Frater, inquit, meus dimidius major eſt, quàm totus. Erat enim ille parvæ ſtaturæ. Catulus toganti malo Oratori, videretúrne ſatis miſericordiæ in epilogo moviſſe, Omninò, inquit, ſatis; neminem enim eſſe puto, cui non oratio tua miſerabilis viſa ſit. Sed de ejuſmodi facetiis præter Ciceronem & Macrobium in Saturnalibus aliorum non pauci extant libelli.

TITVLVS II.

De Honore.

CAPVT I.

Quid ſit Honor.

HONOR eſt ea reverentia ſeu dignitas, quæ virtutis ſplendori debetur. Præmium aliqui quoddam ejus eſſe & mercedem volunt: imò etiam virtutis opus. Eſt ſanè admirabilis ille ſplendor, quem ex ſeſe virtus ipſa diffundit. Aſpirare igitur, qui virtute præditus non eſt, ad honorem non debet. Hoc ut Romæ M. Marcellus declarat, ita honoris templum Virtutis ædi conjunxit, ut ad illud nonniſi per hanc aditus pateret. Nullum aurum tam egeno gratum eſt, quàm ſtudioſo & generoſo animo honor. Tantùm enim ille auro præſtat, quantùm virtus utilitati. Vnde cùm Titus Labienus multum auri ex præda Gallica ſtrenuo militi donaſſet, miles aurum ad Labieni pedes abjecit; at paulò pòſt idem donatus armillis argenteis, alacer gaudio abiit, aurumque contemnendo honorem amplexus eſt. Nimirum ea vis eſt honoris, ita animum immutat, ut pro ea cætera vileſcant omnia, & in diſcrimen vita ipſa conjiciatur. Lux quædam eſt vitæ, & ubi abeſt, grata eſſe vita non poteſt.

Honoris deſcriptio

Per virtutem ad illum iter.

At verò quibus vitæ actionibus honor debetur? Nemo eſt, qui debitum ſibi honorem non putet, cùm officio fungitur ſuo. Caſta matrona inter honoratas cenſeri vult; vir temperans & juſtus honorem apud ſe eſſe credit; cùm publica Reip. officia adire omnes non poſſint, honorem quoque ſibi privata vita vindicat. Sit ſanè honor hic aliquis, at ſine ſplendore eſt. Vt irradiet, ut lucem ſuam diffundat, neceſſe eſt inprimis, ut ex arduo, difficili, ac periculoſo negotio oriatur. Deinde ut ad publicam ſit utilita-

Quæſtiuncula.

tem virtutis actio, neque ex contracta obligatione, ſed liberâ ac ſibi relictâ voluntate proficiſcatur. Signa honoris ea præcipua ſunt, quæ ſine lucro commodoque exiſtunt. Illæ coronæ laureæ, illa monilia, illæ ſtatuæ, illa cognomina, etiam concedi improbo poſſunt, ſi publicum auxerit bonum, qui verum tamen conſequi honorem non poteſt. Et verò etiam plus eſt ea mereri nec obtinere, quam obtinere tantum. Generosè Cato, *Honorificentius*, inquiebat, *mihi eſt quæri ab omnibus, cur poſita mihi ſtatua non, quàm cur poſita ſit.*

Signa.

Additamentum.

PIcolomineus gradu 8. honorem ita definit: Honor eſt præmium virtuti tributum à congruente ejus judice viro probo, utejus virtus refulgeat, cæterique ejus exemplo ad virtutem accendantur. Cicero lib. 3. Tuſculanarum quæſtion. Eſt, inquit, conſentiens laus bonorum, incorrupta vox judicantium de excellenti virtute. Idem Oratione pro Marcello: Gloria eſt illuſtris & pervagata multorum & magnorum, vel in cives, vel in patriam, vel in omne genus hominum fama meritorum. Et Oratione pro Milone: Virtutis præmium eſt ampliſſimum, quod vitæ grauitatem poſteritatis memoriâ conſolatur; quæ efficit, ut abſentes adſimus, & mortui vivamus, cujus gradibus homines in cœlum videntur aſcendere. Non malè definiunt quidam eſſe approbationem conſcientiæ rectè judicantis, & aliorum rectè de nobis judicantium.

CAPVT II.

An Honor ita cum virtute ſit conjunctus, ut priuari eo non poſſit, qui dignus eſt?

Honor ſeparari à virtute non poteſt.

OMninò honor bonum eſt quoddam cum virtute ita conjunctum, ut auferri ab ea non poſſit. Vnde tritum eſt illud:

Gloria virtutem ſequitur ceu corporis umbra.

Neque enim infligere alicui dedecus fortuna poteſt, ſed animi vitæque turpitudo. Teſtis eſt Democritus Phalereus. Nam cùm ab Athenienſibus, quorum Rempublicam adminiſtraverat, trecentis ſtatuis honeſtatus eſſet, animo elatus non eſt; eæ cùm per invidiam everſæ eſſent, dejectus animo non eſt. Quin imò illorum injuriam hoc ſale aſperſit, *Statuas*, inquit, *illi quidem everterunt, ſed virtutes, quarum gratiâ illas erexerunt, non evertunt.* Comitatur itaque honor ſemper virtutem, ſed non eodem ſemper gradu, interdum ante, interdum ſimul, ſæpiùs pone. Equidem externo honoris ſigno privari vir bonus poteſt, at meritorum ſuorum & virtutis ſplendore nequaquam. Virtus enim, ut pulcherrimè Cicero pro Sextio, *In tempeſtate ſæva quieta eſt, & lucet in tenebris, & pulſa loco manet tamen, atque hæret in patria, ſplendetque per ſe ſemper; nec alienis umquam ſordibus obſoleſcit.* Et quemadmodum Coloſſus, etiamſi ſteterit in puteo, magnitudinem ſuam ſervat, ita vir virtute ſingulari præditus, honore, qui à virtutis ſplendore eſt, non caret, etſi nonnunquam deprimatur, aut debitâ illi dignitate non afficiatur. Tantus quiſque eſt, quanta eſt cujuſque virtus.

Additamentum.

REferenda ſunt huc ea, quæ Titulo 4. num. 2. lib. 3. diximus. Cùm ſola virtus cauſa ſit honoris, numquam virtus ſine honore eſſe poteſt. Vnde rectè Horatius lib. 3. Od. 2.

Virtus repulſæ neſcia ſordidæ,
Intaminatis fulget honoribus,
Nec ponit aut ſumit ſecures
Arbitrio popularis auræ.

Et Claudianus in Conſulatu Theodoſij:

Ipſa quidem virtus pretium ſibi, ſolaq; latè
Fortunæ ſecura nitet, nec faſcibus ullis
Erigitur, plauſuve petit clareſcere vulgi;
Nil opus externa cupiens, nil indiga laudis,
Divitiis animoſa ſuis, immotaque cunctis
Caſibus, ex alta mortalia deſpicit arce.

Nec immeritò Cato præclarus, cùm in petitione magiſtratus repulſam paſſus eſſet, virtutis ſuæ conſcius, corruptum populi judicium contempſit.

CAP.

CAPVT III.

An etiam vitâ functis honor ſit exhibendus?

Æ Quum eſt, vt qui in vitâ propter egregia virtutis opera honor affici non potuerunt, honorem eum poſt facta conſequantur, quem præterita virtus meruit. Quippè virtus honorem habere comitem ſemper debet; nec ipſa cum vita terminatur, ſed plerumq; tum priùs ſplendet, & honoris radiis illuſtratur, cùm omnibus vitæ huius periculis eſt defuncta. Ita enim comparatum eſt, vt bona, quæ oculis noſtris quotidiè obverſantur, inque manibus poſita ſunt, facilè faſtidiamus, eorumque nos tandem pertædeat. Vbi verò amiſſa ſunt, incredibile ſui in nobis deſiderium excitant, animuſque noſter multò ardentius ea inquirit. Hinc Saluſtius: *Tunc demum nos homines noſtra intelligimus bona, quando ea, quæ in poteſtate noſtra habuimus, amiſimus.* Et Horatius: *Vita functis honor debetur.*

Virtutem incolumem odimus,
Sublatam ex oculis quærimus inuidi.

Additamentum.

Rationi conſentaneum eſt, ut vitâ functis honores deferantur; ac ſanè tùm potiſſimùm. Idcircò videmus in Rebuſpublicis more receptum eſſe, ut mortuis & de Republica benè meritis honores decernantur. Tot illæ ſtatuæ mortuis poſitæ, & alia virtutis monumenta ſatis oſtendunt mortuos honorandos eſſe. Apud Romanos, qui vel periculoſam legationem ſuſceperant, vel in ea obierant, ſtatuas conſequebantur. Qua de re Cicero in Philippicis. Inſcriptiones ſepulchrorum idem ſignificant. Inde Horatius:
——— *Virtutem incolumem odimus,*
Sublatam ex oculis quærimus inuidi.
Et quidem hoc alienæ virtutis deſiderium poſt fata, magnus eſt virtutis honor. Itò tum potiſſimùm honoratur virtus, cùm abeſt. Nec unquam major priſcorum virtus fuit viſa, quàm cùm à poſteritate eſt honorata.

CAPVT IV.

An honor ſit aliquando fugiendus.

CYnici olim Philoſophi honorem omnem, Laërtio teſte, contempſerunt. Vnde cùm ante Diogenis dolium ſoli obuerſum ſtans Alexander Magnus diceret; *Ego ſum Alexander Magnus ille Macedoniæ Rex. Et ego,* inquit ille, *ſum Diogenes canis.* Profectò cùm inſita ſit etiam optimo cuique honoris cupiditas, non eſt ipſe à quoquam fugiendus, & laudatiſſimum ſemper habitum eſt eius ſtudium, ſi ambitio non fiat, & intra quoſdam limites ſeſe contineat. Et præclari illi viri, qui honorem fugiunt, certè etiam augent fugiendo. An non verò cum ratione illi pugnant, qui honoris æqualitatem inducunt? Æqualis eſſe imperantis & obtemperantis honor non poteſt, imò non debet, aut omnis tollenda politia eſt. *Nihil à natura, nihil à lege diuina alienum magis excogitari poteſt, quàm honorum, imperij, fortunarum exæquatio,* inquit Bodinus. Quod cum dico, nolo eam eſſe ambitionem, vt alteri quis ſe præferat. Hinc cum Apollo honorem ei dandum eſſe reſpondiſſet, qui ſapientiâ cæteris præſtaret, nemo inter ſeptem Sapientes, qui honorem ſibi potiùs, quàm alteri deferret, repertus eſt. Turpe enim eſt inter pares velle gloriâ excellere. *Non eſt honor fugiendus. Sed non ſit ambitio.*

Additamentum.

PErſius Satyra 1.
Non ego cùm ſcribo, ſi fortè quid aptius exit,
Quanquam hæc rara auis eſt, ſi quid tamen aptius exit,
Laudari metuam, Neque enim mihi cornea fibra eſt,
Sed recti finemque extremumque eſſe recuſo
Euge tuum & bellè.
Non debet igitur honor appeti tamquam bonum ultimum, ſed referendus eſt ad finem veri boni, ſeu ad incrementum diuinæ gloriæ, & Reip. commodum; aut quæ-

quærendus eſt, tamquam juſtum virtutis ſtipendium. Hac de re fusè diſputat Oſorius lib. 4. & 5. de Gloria. Cenſent Theologi honorem poſſe acceptari tamquam fructum bonæ alienæ voluntatis erga nos; qui ne ſit irritus, honeſtiſſimum eſt non recuſare. Et exiſtimant quidam hanc acceptationẽ eſſe actum virtutis gratiæ. Omnes homines, & omnes nationes communi conſenſu ſuo id comprobant. Dio Chryſoſtomus oratione 30. Homines, inquit, indigent & corona & imagine, & primo loco in conſeſſu, & memoria ad poſteros. Etiam multi propter hæc mortui ſunt, vt vel ſtatuam mererentur, aut præconium, aut alium honorem, atque ſuis poſteris relinquerent opinionem ſui æquam memoriamq; Si quis igitur à vobis ſciſcitetur, vniuerſis his olim ablatis, nullàque in poſterum recordatione relictâ, neque laude benefactorum, quotumcunque putetis virum, emerſiſſe admirandum apud omnes, promptéque in bello decertantem, aut Tyrannos expellentem, aut ſemetipſum liberoſque devoventem ſalutis communis gratia, aut magnos exantlantem labores virtutis cauſa? Vide plura ibidem. Plinius lib. 9. Epiſtola 3. in eamdem ſententiam ſic philoſophatur Alius alium, ego beatiſſimum exiſtimo, qui bonæ manſuræque famæ præſumptione perfruitur, certuſque poſteritatis cum futura gloria viuit, ac nihil niſi præmium æternitatis ante oculos, pingue illud altumque otium placet. Etenim omnes homines arbitror aut immortalitatem ſuam, aut mortalitatem cogitare. Et Epiſtola 19. Omnes ego, qui magnum aliquod memorandumque fecerunt, non modò venia, verùm etiam laude digniſſimos iudico, ſi immortalitatem, quam meruêre, ſectantur; victurique nominis famam ſupremis etiam titulis prorogare nituntur.

Nemo çertè vitio alicui vertat, ſi rem rationi rectæ congruentem expetat, talis autem eſt virtutis remuneratio per gloriam & honorem. Ac hunc cùm quiſque poſſit alteri honeſtè optare, cur ni etiam ſibi expetere?

CAPVT V.

An honor ſeu gloria virtutis ſit præmium.

Præmium eſt facti præclari conſcientia.

AMpliſſimum virtutis præmium eſt pulcherrimi facti conſcientia. Non illa gloria, quæ à vulgi opinione eſt, vana tota & falſa. Tam vilis virtus non eſt, vt ſuum habeat ab opinione populari pretium. Propria illi conſcientia theatrum eſt, & quo altiùs ſeſe erigit, eò minùs gloriæ humanæ exigit, ipſa ſibi pretium & præmium; ſimilis omninò ſoli, qui ab igne alio vel face illuſtrari non poteſt, ſuâ verò luce illuſtrat omnia. Nihil illi aut glorioſius, aut iucundius eſt, quàm bene feciſſe.

An qui virtute præditus eſt titulos admittere debeat? Alexander Seuerus Imper. numquam in animum induxit, vt ſe aut Magnum, aut Patriæ Patrem appellari pateretur. Tiberius cum à quodam Dominus eſſet appellatus, ei denuntiauit, ne ſe Dominum amplius contumeliæ cauſâ nominaret. Vana iſta nomina ſunt, nec tam virtutis, quàm vanitatis. Nugæ tot iſtæ hodie Dominationes.

Additamentum.

PRæmium virtutis eſt facti præclari conſcientia. Hinc D. Paulus Epiſtola ad Galatas cap. 6. Quilibet probet ſuum opus, & hinc in ſeipſo gloriam habebit, non in altero. D. Auguſtinus, Bonâ vitâ, inquit, mihi opus propter Deum, bonâ conſcientiâ propter me ipſum, bonâ famâ propter proximum. Magnus itaque honor eſt approbatio propriæ conſcientiæ rectè iudicantis.

TITV-

TITVLVS III.

De regulis vitæ componendæ ex virtutum conſideratione collectis.

CAPVT I.

Regulæ ex Prudentia collecta.

FRVSTRA virtutum eſt cognitio, ſi nullus virtutum ſit vſus. Vt aliquis ſit, nonnullas ex earum cognitione collectas formandæ vitæ regulas hic trademus. Atque inprimis hæ ſint ex Prudentiæ cognitione regulæ.

I. Vtendum prudentum conſortio, & conſilio gaudendũ. *Via enim ſtulti recta videtur in oculis ipſius, at qui auſcultat conſilio ſapiens iudicatur.* Prouerb. 12. *Quomodo vita per prudentiã componenda.*

II. Numquam ſpernendum eſt alterius conſilium. Quippè qui conſilium aſpernatur, auxilio eſt indignus. Imò conſilium contemnere ſignum eſt rei non benè gerendæ.

III. Vbi manifeſtum ius eſt numquam eſt cõſultandum; ſed ius ſequendum. Iuſtitia enim dubitationem aufert. Idcircò cum B. Cypriano carnifex acclamaret, *Conſule tibi, Imò,* inquit, *quod tibi præceptum eſt, exequere, in re tam iuſta nulla conſultatio eſt.*

IV. Excellenti naturæ, vt prudens quis ſit, ars eſt iungenda. Ita Carolus Magnus Imper. cum totus ad virtutem factus eſſet, ad excellentem naturam addidit doctrinam: vnde domi virtutis exemplum, foris optimus Imperator fuit.

V. Cùm menti ratio conſiliumque deeſt, fatale timendum eſt exitium. Quippè ineluctabilis Fatorum vis, cuiuſcunque fortunam mutare conſtituit, conſilia abrumpit. Quos Deus punire vult, ijs ſanam mentem priùs auferre ſolet, vt ait Tankrus.

VI. Vt ſis prudens ſis patiens; per patientiam intelligentia contingit. Hinc cum nulla ratione præuidere futura multi poſſint; patientes demum omnia intelligunt. Notum eſt illud, *Quæ nocent, docent.* Sanè infelicitas non rarò homini prodeſt.

Additamentum.

FRVSTRA ſunt virtutes, niſi ad earum normam vita componatur. Idcircò poſt traditam virtutum explicationem, collectas ex ijs regulas, quibus vitæ curſus dirigatur, ſubiungimus, quæ vt clariſſimæ ſunt, ita vix aliqua luce egent. Hæc tamen hic addi poſſunt. Nec dari, nec fingi virum illum poſſe, qui, vt dicit Heſiodus, à ſeipſo omnia nouerit & intelligat. Multa enim ſunt, quæ hominis vnius aciem, etiam perſpicaciſſimi, effugiunt. Titus Liuius, ſæpè ego, inquit, audiui, eum eſſe primum virum, qui ipſe conſulat, quid in rem ſit. Secundò eum, qui benè monenti obediat. Tertiò, qui nec ſibiipſi conſulit, nec alteri parere ſcit illum extremi ingenij eſſe. Eſt infallibile ruinoſæ Reipubl. ſignum; vbi qui præeſt, conſilium petere negligit, & cui prudentes conſiliarij, non ſunt. Bucchananus lib. 13. rerum Scoticarum refert de Iacobo IV. Scotorum Rege, quod cum ipſe ad exercitum ſuum proficiſceretur, & Limnuchi veſperas in æde ſacra audiret, ingreſſus ſit, vir quidam aſpectu venerabilis capite nudo, fronte in caluitiem glabra capillo ruſo & prolixo, tectè cyanei coloris amictus, linteo cinctus, qui innixus ruſtica quadam ſimplicitate ſuper Regis ſolium, ita ait. Ego ad te ſum miſſus, ô Rex, vt te admoneam, ne quo inſtituiſti, progrediaris; ſi hanc admonitionem neglexeris, nec ere tua, nec tuorum erit. Præterea præmonere ſum

ſum iuſſus, ne mulierum familiaritate, conſuetudine, aut conſilio vtaris; ſecùs ſi feceris, & damno & ignominiæ tibi res erit. His dictis ita diſparuit, vt nemo eius diſceſſum ſenſerit, nec quæſitus poſtea inueniri potuit. Verùm cum eius & procerum diſſuadentiū monita Rex contemnens, amori nobilis fœminæ captiuæ nimium indulgeret, Rexque militarem in otio negligeret, memorabili ad Fluitonem prælio victus cum vniuerſa nobilitate ſua cæſus eſt. Philippus Macedo Alexādrum filium ſæpè monebat, ut ſapientiæ operam diligentem daret, ne multa aliquando committat, quæ ſe feciſſe poſteà pœniteat. Fœlicitatem vitæ ſola moderatur ſapientia; imò ars viuendi ſola putanda eſt.

CAPVT II.

Regulæ ex fortitudine collectæ.

Quid ex fortitudine obſeruandum in vita.

I. IN proſperis, non minùs quàm in aduerſis fortis eſto. Quippe maioris eſt opprobrij à voluntate ſua ſuperari, quàm doloribus frangi. Et proſperam difficiliùs eſt ferre fortunam, quàm aduerſam.

II. Vir fortis quanquam imbecillis aduerſarius ſit, ne victoriam ſibi ſemper promittat. *Etiam culices Leonem necant.*

III. Cùm periculum ſine periculo nunquam vincatur, cautè in periculum te ingere. *Cunctis rebus ineſt periculum*, inquit Theognis. Pro paruis proinde magno periculo contendendum non eſt. Vnde dictum illud Cæſaris Auguſti. *Aureo hamo piſcantur, qui magno ſumptu, aut periculo de rebus paruis dimicant.*

IV. Patientia magna pars fortitudinis eſt. Hinc Theodoſius Tertius Imperator. Remedium malorum firmiſſimum eſt patientia. Cogitandum proinde eſt multa in his vitæ moleſtijs æquo animo ferenda eſſe, & ferendo tantùm vincula.

Additamentum.

FOrtes ſunt, qui æquabiles in omni genere fortunæ ſe præbent. Plato lib. 1. de legibus, Lacædemoniorum leges idcircò reprehendit, quod fortitudinem in dolorum & timorum duntaxat conſtanti perpeſſione verſari dixerint; cum tamen is, qui à voluntate ſua ſuperari ſe patitur, maiori cum opprobrio ſeipſo inferior ſit, quàm is, qui doloribus frangitur. Et temeritas eſt periculis ſe offerre, vt ait D. Ambroſius. Publius Mimus, Non citò, inquit, ruinâ perit, qui ruinam prætimet. Regium eſt benefacere, & male audere, vt aiebat Philippus Macedo, qui conuitiatores patieutia vincebat, & ex inimicis amicos reddebat. Scipio Africanus multa à Tribunis & ingrato populo Romano paſſus, hac vna vltione contentus fuit, quod ſuo ſepulchro inſcribi iuſſerit, ingrata patria non poſſidebis oſſa mea. Stulti ſunt, qui pericula ſupra naturam poſita non timent, vt tempeſtates, tonitrua, fulmina & eiuſmodi alia. Tales fuerunt Pſilli, apud Herodotum, qui contra Auſtrum profecti ſunt, quia diutiùs ſpirabat, & flatu ſuo moleſtiam illis inferebat. Quod dicitur, etiam culices leonem necant, id Ammianus Marcellinus lib. 18. oſtendit ſcribens inter arundineta fluminum Meſopotamiæ propter hyemis clementiam plurimos uerſari leones; ſed vbi tempus incaluit, innumeri exſurgunt culices, qui morſicus leonum palpebris inſident. Vnde illi remedium quærentes fluminibus ſeſe immergunt, aut oculos ſibi crebro vnguibus lacerantes effodiunt: quod ni fieret tota regio leonibus redundaret.

CAPVT III.

Regula ex Iuſtitia collecta.

Modus iuſtè viuendi eſt iuſtitiam ſemper velle.

VNa hic regula ſit Ferdinandi Imperatoris ſymbolum, *Fiat iuſtitia aut pereat mundus.* Perſuadeat ergo vnuſquiſque ſibi ſine iuſtitiâ vitam eſſe non poſſe, itaque viuendum eſſe, vt in omni re ſuum cuique tribuatur, ſeu commutando, ſeu diſtribuendo, nec vllo affectu, quod iuſtitiæ ratio exigit, impediatur. Nam, vt inquit, M. Tul. 1. off. *Fundamentum*

mentum perpetuæ commendationis & famæ eſt iuſtitia, ſine qua nihil poteſt eſſe laudabile. Et idem: *Etiam homini ſolitario, atque in agro vitam degenti opinio iuſtitiæ neceſſaria eſt; atque iis etiam, qui vendunt, emunt, locant, conducunt, contrahendiſq́ negotijs implicantur.* Rectè Democritus: *Soli hi Deum amicum habent, qui iniuriæ ſunt inimici.* Rationem dat Plato, *Nunquam enim homo negligitur à Deo, qui iuſtè viuendi bonum propoſitum habet; quippè Deo, quantum fieri poteſt, ita ſimilis eſſe cupit, iuſtè viuendo.* Hâc cogitatione qui imbutus eſt, & hoc animi firmiſſimum propoſitum habet, non cauillatur, non dolis vtitur, non alterius ignorantiâ abutitur, non commendat parùm idoneum, non impedit benè meritum, non excuſat manifeſtè reum. Hoc tamen dicit, *Fiat Iuſtitia.*

Additamentum.

VNa hic regula eſt *Fiat iuſtitia*, quam qui obſeruat nunquam iniuſtè agit. Vide quæ de iuſtitia diximus lib. 3. Hinc iuſtus appellatur, qui ex omni parte bonus eſt, quod virtutes omnes tam moris, quàm mentis in huius vnius pectore ſint. Regula ergo vitæ eſt, iuſtitiam rebus in omnibus ſeruare; quod qui facit honeſtè viuit, neminem lædit, ius ſuum cuique tribuit. Nec deſiderari amplius à quoquam poteſt.

CAPVT IV.

Regulæ ex temperantia collectæ.

I. TEmperatis hominibus lex prima ſit Deus. Ita Plato I. de legibus. Altera ſit Natura, quæ paucis eſt contenta.

II. Vbique modum omnium optimum ſerua; & illud ſit ante oculos, *Ne quid nimis.* Vnde dicebat Henricus II. Imperator, *Nihil impensè quemquam cupere oportere, atque ita fieri poſſe, vt in nullo vnquam contriſtetur.* *Quomodo temperatè viuendum.*

III. *Inter pocula non multum loquere, delinques enim. Ad amicorum conuiuia tardus accede, ad calamitates autem cito. Quod noueris, non ſtatim dic. Sciens tace. Nuptias frugaliter celebra; linguam bene ominantem, non maledicam habeas.* Hæc præcipiunt ſeptem Sapientes.

IV. Obſeruandum hoc Epicteti præceptum. *Hoc modo,* inquit, *verſandum eſt in conuiuio: circumacto diſco ſi aliquid ad tuum locum peruenerit, manu extenſa modeſtè attinges; ſi præterierit, noli retinere; ſi nondum appropinquauerit, ne nimium appetitum extendas, ſed expecta donec ad te venerit. Eodem animo ad diuitias, ad magiſtratus, & nuptias affici debes, eriſq́ Deorum conuiuio dignus.*

V. Præclarè Democritus. *Patris temperantia maximum eſt liberis præceptum.*

Additamentum.

ATtendendum ad Naturam, quæ paucis contenta eſt. Claudianus in Rufinum,

Viuitur exiguo melius, natura beatis
Omnibus eſſe dedit, ſi quis cognouerit vti.

Et Horat. lib. 2.

Viuitur paruo bene, cui paternum
Splendet in menſa tenui ſalinum
Nec leuis ſomnum timor aut cupido ſordidus aufert.

Rationem reddit Valerius Max. quia bonæ valetudinis quaſi quędam mater eſt frugalitas. Nemo vnquam ad beatitudinis arcem pertinget, qui non voluptates temperantiâ ſuperarit. Hac de re lib. 3. titulo de Temperantia abunde dictum.

ſum iuſſus, ne mulierum familiaritate, conſuetudine; aut conſilio vtaris; ſecùs ſi feceris, & damno & ignominiæ tibi res erit. His dictis ita diſparuit, vt nemo eius diſceſſum ſenſerit, nec quæſitus poſtea inueniri potuit. Verùm cum eius & procerum diſſuadentiũ monita Rex contemnens, amori nobilis fœminæ captiuæ nimium indulgeret, Rexque militarem in otio negligeret, memorabili ad Fluitonem prælio victus cum vniuerſa nobilitate ſua cæſus eſt. Philippus Macedo Alexãdrum filium ſæpè monebat, ut ſapientiæ operam diligentem daret, ne multa aliquando committat, quæ ſe feciſſe poſteà pœniteat. Fœlicitatem vitæ ſola moderatur ſapientia; imò ars viuendi ſola putanda eſt.

CAPVT II.

Regulæ ex fortitudine collectæ.

Quid ex fortitudine obſeruandum in vita.

I. IN proſperis, non minùs quàm in aduerſis fortis eſto. Quippè maioris eſt opprobrij à voluntate ſua ſuperari, quàm doloribus frangi. Et proſperam difficiliùs eſt ferre fortunam, quàm aduerſam.

II. Vir fortis quanquam imbecillis aduerſarius ſit, ne victoriam ſibi ſemper promittat. *Etiam culices Leonem necant.*

III. Cùm periculum ſine periculo nunquam vincatur, cautè in periculum te ingere. *Cunctis rebus ineſt periculum*, inquit Theognis. Pro paruis proinde magno periculo contendendum non eſt. Vnde dictum illud Cæſaris Augusti. *Aureo hamo piſcantur, qui magno ſumptu, aut periculo de rebus paruis dimicant.*

IV. Patientia magna pars fortitudinis eſt. Hinc Theodoſius Tertius Imperator. Remedium malorum firmiſſimum eſt patientia. Cogitandum proinde eſt multa in his vitæ moleſtijs æquo animo ferenda eſſe, & ferendo tantùm vincula.

Additamentum.

FOrtes ſunt, qui æquabiles in omni genere fortunæ ſe præbent. Plato lib. 1. de legibus, Lacœdemoniorum leges ideircò reprehendit, quod fortitudinem in dolorum & timorum duntaxat conſtanti perpeſſione verſari dixerint; cum tamen is, qui à voluntate ſua ſuperari ſe patitur, maiori cum opprobrio ſe ipſo inferior ſit, quàm is, qui doloribus frangitur. Et temeritas eſt periculis ſe offerre, vt ait D. Ambroſius. Publius Mimus, Non citò, inquit, ruinâ perit, qui ruinam prætimet. Regium eſt benefacere, & male audere, vt aiebat Philippus Macedo, qui conuitiatores patientia vincebat, & ex inimicis amicos reddebat. Scipio Africanus multa à Tribunis & ingrato populo Romano paſſus, hac vna vltione contentus fuit, quod ſuo ſepulchro inſcribi iuſſerit, ingrata patria non poſſidebis oſſa mea. Stulti ſunt, qui pericula ſupra naturam poſita non timent, vt tempeſtates, tonitrua, fulmina & eiuſmodi alia. Tales fuerunt Pſilli, apud Herodotum, qui contra Auſtrum profecti ſunt, quia diutiùs ſpirabat, & flatu ſuo moleſtiam illis inferebat. Quod dicitur, etiam culices leonem necant, id Ammianus Marcellinus lib. 18. oſtendit ſcribens inter arundineta fluminum Meſopotamiæ propter hyemis clementiam plurimos uerſari leones; ſed vbi tempus incaluit, innumeri exſurgunt culices, qui mordicus leonum palpebris inſident. Vnde illi remedium quærentes fluminibus ſeſe immergunt, aut oculos ſibi crebro vnguibus lacerantes effodiunt: quod ni fieret tota regio leonibus redundaret.

CAPVT III.

Regula ex Iuſtitia collecta.

Modus iuſtè viuendi eſt iuſtitiam ſemper velle.

VNa hic regula ſit Ferdinandi Imperatoris ſymbolum, *Fiat iuſtitia aut pereat mundus.* Perſuadeat ergo vnuſquiſque ſibi ſine iuſtitiâ vitam eſſe non poſſe, itaque viuendum eſſe, vt in omni re ſuum cuique tribuatur, ſeu commutando, ſeu diſtribuendo; nec vllo affectu, quod iuſtitiæ ratio exigit, impediatur. Nam, vt inquit, M. Tul. 1. off. *Fundamentum*

mentum perpetuæ commendationis & famæ eſt iuſtitia, ſine qua nihil poteſt eſſe laudabile. Et idem: *Etiam homini ſolitario, atque in agro vitam degenti opinio iuſtitiæ neceſſaria eſt; atque ijs etiam, qui vendunt, emunt, locant, conducunt, contrahendiſq; negotijs implicantur.* Rectè Democritus: *Soli hi Deum amicum habent, qui iniuriæ ſunt inimici.* Rationem dat Plato, *Nunquam enim homo negligitur à Deo, qui iuſtè viuendi bonum propoſitum habet; quippè Deo, quantum fieri poteſt, ita ſimilis eſſe cupit, iuſtè viuendo.* Hâc cogitatione qui imbutus eſt, & hoc animi firmiſſimum propoſitum habet, non cauillatur, non dolis vtitur, non alterius ignorantiâ abutitur, non commendat parùm idoneum, non impedit benè meritum, non excuſat manifeſtè reum. Hoc tamen dicit, *Fiat Iuſtitia.*

Additamentum.

VNa hic regula eſt *Fiat iuſtitia*, quam qui obſeruat nunquam iniuſtè agit. Vide quæ de iuſtitia diximus lib. 3. Hinc iuſtus appellatur, qui ex omni parte bonus eſt, quod virtutes omnes tam moris, quàm mentis in huius vnius pectore ſint. Regula ergo vitæ eſt, iuſtitiam rebus in omnibus ſeruare; quod qui facit honeſtè viuit, neminem lædit, ius ſuum cuique tribuit. Nec deſiderari amplius à quoquam poteſt.

CAPVT IV.

Regulæ ex temperantia collectæ.

I. TEmperatis hominibus lex prima ſit Deus. Ita Plato 1. de legibus. Altera ſit Natura, quæ paucis eſt contenta.

II. Vbique modum omnium optimum ſerua; & illud ſit ante oculos, *Ne quid nimis.* Vnde dicebat Henricus II. Imperator, *Nihil impensè quemquam cupere oportere, atque ita fieri poſſe, vt in nullo vnquam contriſtetur.* *Quomodo temperãter viuẽdum.*

III. *Inter pocula non multum loquere, delinques enim. Ad amicorum conuiuia tardus accede, ad calamitates autem cito. Quod noueris, non ſtatim dic. Sciens tace. Nuptias frugaliter celebra; linguam bene ominantem, non maledicam habeas.* Hæc præcipiunt ſeptem Sapientes.

IV. Obſeruandum hoc Epicteti præceptum. *Hoc modo,* inquit, *verſandum eſt in conuiuio: circumacto diſco ſi aliquid ad tuum locum peruenerit, manu extenſa modeſtè attinges; ſi prærerierit, noli retinere; ſi nondum appropinquauerit, ne nimium appetitum extendas, ſed expecta donec ad te venerit. Eodem animo ad diuitias, ad magiſtratus, & nuptias affici debes, eriſq; Deorum conuiuio dignus.*

V. Præclarè Democritus. *Patris temperantia maximũ eſt liberis præpræceptunm.*

Additamentum.

ATtendendum ad Naturam, quæ paucis contenta eſt. Claudianus in Rufinum,

Viuitur exiguo melius, natura beatis
Omnibus eſſe dedit, ſi quis cognouerit uti.

Et Horat. lib.2.

Viuitur paruo bene, cui paternum
Splendet in menſa tenui ſalinum
Nec levis ſomnum timor aut cupido ſordidus aufert.

Rationem reddit Valerius Max. quia bonæ valetudinis quaſi quędam mater eſt frugalitas. Nemo vnquam ad beatitudinis arcem pertinget, qui non voluptates temperantiâ ſuperarit. Hac de re lib. 3. titulo de Temperantia abunde dictum.

TITV-

TITVLVS IV.

De Amicitia.

CAPVT I.

Quid ſit Amicitia, & quis amicus.

Varia definitiones Amicitiæ.

QVONIAM vt M. Tullius ait libro de Amicitia, *Virtus Amicitiam gignit & continet, nec ſine virtute amicitia eſſe vllo pacto poteſt*, de ea etiam, tanquam de quodam virtutis fructu effectuque dicendum eſt nobis.

Eſt autem Amicitia, vt idem Tullius de Inuent. definit. *Voluntas erga aliquem bonarum rerum illius ipſius cauſa, quem diligit, cum eius pari voluntate.* Secundùm D. Auguſtinum, *eſt omnium humanarum diuinarumq; rerum cum beneuolentia & charitate ſumma conſenſio.* Quæ deſcriptio ex Cicerone de Amicitia eſt. Diuus Tomas *Amorem eſſe*, dicit, *mutuæ beneuolentiæ ſuper aliqua communicatione fundatum.* Veteres Academici Amicitiam deſcripſerunt. *Virtutem reciprocæ beneuolentia æquitate quadam ſimiles inter ſe moribus ac virtute conciliantem.*

Amare nihil aliud eſt, quàm velle bonis aliquem affici quàm maximis, etiamſi ad ſe ex his nihil redeat, vt ſcribit Orator lib. 2 de finibus.

Amicus verò eſt, teſte Philoſopho 2. Rhetor qui amat, & reamatur. Illum ab amatore Donatus diſtinguit, quod amicus animi ſit, amator verò corporis.

Additamentum.

ARISTOTELES lib. 8. Ethnicorũ c. 1. varias Phyloſophorum de Amicitia opiniones commemorat. Inprimis fuerunt, qui dicerent, amicitiam eſſe quandam ingeniorum, morum, & ſtudiorum ſimilitudinem. Qui ſimiles hoc modo ſunt, eoſdem amicos eſſe. Vnde prouerbia illa, ſimile ſimili gaudet. Similis ad ſimilem aggregatur. Graculus cum graculo. Canis cani pulcherrima, bos boui, aſina aſino, ſus ſui. Pares cum paribus aggregantur. Et alia eiuſmodi. Alij contra contenderunt, diſſimilitudinem amicitiam eſſe, vel amicitiæ cauſam. Quod autem dicitur, Figulus figulum odit, & alia eiuſmodi, non propter idem vitæ genus, ſed propter lucri impedimentum vera eſſe. Ariſtotel. cap. 2. eiuſdem libri octaui definit amicitiam eſſe beneuolentiam mutuam & manifeſtam. Seu, beneuolentiam in mutua affectione vtrimque cognitam. Et quidem beneuolentia dicitur, quia ſine ea amicitia eſſe non poteſt. Vnde Cicero in Lælio. Ex propinquitate beneuolentia tolli poteſt, ex amicitia verò tolli non poteſt. Mutua autem eſſe debet beneuolentia, ſeu mutuus amor, vt loquitur Cicero. Nam ſi cui bene velim, & is mihi viciſſim bene non velit, is amicus meus non eſt, nec inter nos amicitia eſt. Sed & manifeſta ſit oportet, ſeu vtrimque cognita, hoc eſt, mutuis officijs declarata. Hoc enim modo amicitia ab occulta beneuolentia diſcernitur, quâ etiam ignotos propter virtutem & ſpem vtilitatis complectimur. Volunt aliqui addendum eſſe ad Ariſtotelis definitionem hanc particulam (amici gratia) quam Cicero non omittit in illa definitione, quam ex ipſo lib. 2. de inuentione hoc capite citamus. Et idem lib. 2. de finibus. Amicitiæ verò ubi locus eſſe poteſt, inquit, aut quis amicus eſſe unquam poteſt, quem non ipſum ames propter ipſum? Quid enim eſt amare, ex quo nomen amicitiæ ductum eſt, niſi velle bonis aliquem affici, quam maximis, etiamſi nihil ex his ad ſe redundet? Ita ille.

CAPVT II.

Variæ Amicitiæ diuiſiones.

1. Diuiſio in Vtilem Delecta-bilem, Honeſtã.

PRima inſtitui trifariam poteſt, vt vna ſit Vtilis, altera Delectabilis, tertia Honeſta. Amicitia vtilis eſt, qua amicus propter commodum aliquod diligitur. Hæc ſenibus & lucri cupidis conuenit. Delectabilis eſt, qua perſona quæpiam propter iucunditatem amatur. Talis eſſe ſolet iuuenum, & familiarium quorumdam. Honeſta eſt, qua quempiam propter ſeipſum, ſeu virtutem eius amore proſequimur. Bonorum hæc virorum eſt. Perfecta ipſa eſt, quia virtutis cauſa eſt; & quia propter eamdem contracta, ſtabilis eſt & conſtans; nec interim iucunditate vtilitateque caret. Quoniam verò pauci ſunt verè boni, rariſſima eſt hæc amicitia.

2. Pro diuerſitate perſonarum.

Secunda pro diuerſitate perſonarum eſt, vt alia ſit æqualium perſonarum, alia verò inæqualium. Æqualitatem facit ætatis & conditionis ſimilitudo; inæqualitatem diuerſitas.

3. In Naturalem Ciuilem Hoſpitalem.

Tertia Platonis eſt, qui tres amicitiæ ſpecies conſtituit, Naturalem, Ciuilem, Hoſpitalem. Sub Naturali pietas in Deum, Patriam, Parentes, Magiſtratum; indulgentia in liberos & nepotes; Neceſſitudo in conſanguineos & affines, continentur. Ciuilis partim eorum eſt, qui ſunt eiuſdem ciuitatis; partim eorum, quorum eadem eſt virtus, ijdemque mores; denique quorumcumque ſociorum, qui vtilitatis alicuius cauſa coniunguntur, ac deinde conſuetudine confirmantur. Hoſpitalis amicitia eſt, quæ cum peregrinis & aduenis contrahitur.

4. in Diuinam Naturalem Politicam Oeconomicam.

Quarta Diui Thomæ eſt, in Diuinam, Naturalem, Politicam, Oeconomicam. Diuina eſt, qua homines in vno Eccleſiæ corpore communicant. Naturalis eſt inter Patrem & filium cæteroſque conſanguineos, Politica inter Ciues eſt, & Oeconomica inter domeſticos: illi de Ciuibus, hi de ijs, quæ ad familiam pertinent, communicant inter ſe.

Additamentum.

PRimam Amicitiæ diuiſionem ponimus in vtilem, delectabilem, & honeſtam, quæ ex triplici boni conſideratione ponitur. Duæ priores veræ amicitiæ non ſunt, & facilè diſſoluuntur. Nam, vt ait Cicero in Lælio, quas amicitias vtilitas conglutinat, eaſdem commutata reſoluit. Et Ouidius lib. 1. Triſtium Elegia. 8.

Donec eris felix, multos numerabis amicos,
Tempora ſi fuerint nubila, ſolus exis.

Et Horatius lib. 1.

—— Diffugiunt cadis.
Cùm fece ſiccatis amici
Ferre iugum pariter doloſi.

Prouerbium eſt, feruet olla, viuit amicitia; Et hunc, qui propter vtilitatem amant, Ollares dicuntur amici. In rebus ſecundis præſto ſunt, in aduerſis diffugiunt ſimiles araneæ, quæ filo ſuo ſe librat, donec prædam capiat, ac tunc in nidum ſuum ſe recipit. Similes muſcæ, quæ in culina, ſi nidor deſit, non manet. Hæc amicitia multorum eſt, ſed potiſſimum vulgi. Nam, vt ait Ouidius, Vulgus amicitias vtilitate probat. Eſt etiam mercatorum, qui ſocietates in Emporijs inter ſe conſtituunt. Amicitia delectabilis ſeu iucunda eſt iuuenum & eorum, qui ſuis affectibus & cupiditatibus ſeruiunt. Nec ea ſtabilis eſt, nam citò præteruolat adoleſcentia, & iucunditas mutatur; breuis quoque & fugax eſt voluptas huius amicitiæ fundamentum, ac ſubitò amare deſinunt mutabiles iuuenum animi.

Honeſta amicitia ea demum perfecta eſt, quia ex virtute contracta. Idcircò eſt bonorum virorum & virtute ſimilium. Cicero in Lælio, vera amicitia non niſi inter bonos eſſe poteſt. Item, virtus conciliat amicitias & conſeruat. In ea amici bene ſibi inuicem cupiunt amicorum cauſa. Rara autem eſt, quia vt ait Iuuenalis.

Rari quippe boni vix ſunt numero totidem quot
Thebarum portæ, vel diuitis oſtia Nili.

Et Cicero lib. de Amicitia, digni ſunt, amicitia, quibus in ipſis eſt cauſa, cur diligantur. Rarum iſtud genus, nec quic-

quam difficilius, quàm reperire, quod ſit omni ex parte in ſuo genere perfectum. Ad hanc amicitiam omnia illa ſpectant, quę ſplendidè paſſim copioſeque ex amicitia prædicantur.

De Amicitia Politica & Oeconomica, inter Principes & Magiſtratus, inter maritos & vxores, parentes & filios in Politicis & Oeconomicis noſtris diximus.

CAPVT III.

Cauſæ Amicitiæ.

Variæ cauſæ efficientes. DE Ciuili ſeu ſociali amicitia nobis potiſſimum eſt ſermo. Eius autem præcipua vna cauſa eſt, frequens beneuolentiæ demonſtratio, quâ vti recta ratio ſolet. Aliæ plures ſunt, quæ ad contrahendam amicitiam iuuant, & contractam conſeruant. 1. Naturæ ad bonum honeſtum amandum propenſio. 2. Amantium propinquitas. 3. Naturæ morum, ætatis, ſtudiorum ſimilitudo. 4. Conſiliorum & negotiorum communicatio, qualis eſſe inter ciues, milites, condiſcipulos ſolet. 5. Alieni erga nos amoris & beneuolentiæ cognitio. Quippè naturale eſt, eum à quo amamur, amore proſequi. 6. Frequens conſuetudo ſeu conuerſatio. 7. Beneficentia, quæ in bene meritis amorem accendit. 8. Bonitatis eius cognitio, propter quam amicus diligitur.

Finis. Atque hæ omnes efficientes quædam ſunt cauſæ. Finis amicitiæ fœlicitas eſt, in quam tendere ducereque omnis virtus debet; ſeu eſt honeſtas, & familiaris conuerſatio, vt homines honeſtè iucundeque ſimul viuant, & ſubſidium à ſe mutuò accipiant.

Additamentum.

PRæcipuam amicitiæ cauſam hic aſſignamus frequentem beneuolentię demonſtrationem. Verè enim dicitur, obſequium amicos parit. Cæteræ adiuuantes ſunt cauſæ, quæ hic opponuntur. Adde quod Nazianzenus ait oratione 18. Similitudinem ſtudiorum & inſtitutorum non minus deuincire, quàm conſanguinitatem & affinitatem. Hinc Marcus Antoninus Philoſophus cum factus eſſet Imperator, condiſcipulos olim ſuos retinuit amicos, eoſq; honoribus & diuitijs auxit. Prouerbium eſt multos ſalis modios ſimul edendos eſſe, vt ſe inuicem norint honores. Quod Cicero libro de Amicitia his verbis effert. Verùm illud eſt, quod vulgò dicunt, multos modios ſalis ſimul edendos eſſe, vt amicitiæ munus explerum ſit. Seneca Epiſtola 3. Epiſtolas ad me perferendas tradidiſti, vt ſcribis amico tuo. Deinde admones me, ne omnia cum eo ad te pertinentia communicem, quia non ſoleas nec ipſe quidem hoc facere. Ita eadem Epiſtola illum & dixiſti amicum, & negaſti. Itaque ſic priore illo verbo quaſi publico vſus es & ſic illum amicum vocaſti, quo modo omnes candidatos, bonos viros dicimus, quo modo obuios, ſi nomen non ſuccurrit, dominos ſalutamus. Hoc abierit. Sed ſi aliquem amicum exiſtimas, cui non tantumdem credis, quantum tibi, vehementer erras, & non ſatis noſti vim veræ amicitiæ. Nullum habet maius malum occupatus homo, & bonis ſuis obſeſſus, quàm quod amicos ſibi putat, quibus ipſe non eſt. Tu verò omnia cum amico delibera, ſed de ipſo, priùs. Idem Seneca Epiſtola 40. oſtendit, quibus foueatur & conſeruetur amicitia. Quod frequenter mihi ſcribis, inquit, gratias ago. Nam quo vno modo potes, te mihi oſtendis, Epiſtolam tuam accipio, vt nos protinus vna ſimus. Si imagines nobis amicorum abſentium iucundæ ſunt, quæ memoriam teneant, & deſiderium abſentiæ falsò atque inani ſolatio leuent; quantò iucundiores ſunt litteræ, quæ vera amici abſentis veſtigia, veras notas afferunt? Nam quod in conſpectu dulciſſimum eſt, id amici manus Epiſtolæ impreſſa, præſtat agnoſcere. Iſidorus lib. 3. Epiſt. 389. Inimicus, inquit ad prolapſum animal erigendum accedens inimicum omnium alloquetur, ac dicet, tu iſthinc erige, ego hinc. Colloquium porrò reconciliationis prælu dium eſt, & via ad amicitiam ducens.

CAPVT IV.

Quæ requirantur in ijs, qui perfectam amicitiam habent, conditionès.

HÆ in primis, vt ætate, ſtudijs, & fortunâ ſint pares. Morum enim & Naturæ ſimilitudo præcipua conciliandæ amicitiæ eſt cauſa. *Firmiſſima eſt inter pares amicitia,* inquit Q. Curtius. Lepida illa & ad rem noſtram fabula eſt. Conduxerat ſpatioſas ædes Carbonarius & fullonem anguſtiùs habitantem ad ſe, vt migraret, inuitabat. Negauit fullo, quod fieri non poſſet, vt ſimul viuerent, *Nam quæ ego*, inquiebat, *abluendo nitida reddidero, ea tu fuligine & maculis replebis.* Nimirum fieri non poteſt, vt qui diſſimiles ſunt, rectè coniungantur. Gloriabatur apud matrem Hirundo, quod elegantem & commodum ſibi amatorem, Turdum reperiſſet. *Imò*, inquit mater, *non bene illi tecum conueniet. Tu frigus ferre nequis, ille calorem; tu ver optas & quæris, ille brumam.* Scilicet vitæ ſtudiorum ſimilitudo voluntates iungit, & amicitiam gignit. *Inprimis paritas. Fabula.*

Deinde verò neceſſe eſt, vt amicitiæ vinculo iungendi homines ſint non moroſi, non leues, non ambitioſi, non inuidi, non nimium vtilitati ſuæ proprijſque commodis dediti. Inter hos enim variæ exoriri ſuſpiciones ſolent, quæ amicitiam diſſoluunt. Vbi etiam vitia aperta ſunt, eſſe perfecta amicita non poteſt. De Alcibiade referunt, eum conciliandarum amicitiarum optimum artificem extitiſſe, non item ſeruandarum. Quippè leporis cuiuſdam & eloquentiæ clypeo vitia ſua tegebat, quæ vbi apparebant, amorem in odium conuertebant. *Tum nè vitia quædam ſint.*

Præthereà nihil ſimulatum, fictum, occultum inter amicos eſſe debet. Candidè omnia & apertè ad veritatem virtutemque ſunt dirigenda. *Sit verò candor.*

Additamentum.

PRimò, paritas ætatis, ſtudiorum, fortunæ. Hinc Academici dicebant amicitiam eſſe virtutem reciprocæ beneuolentiæ, quæ æquitate quadam ſimiles inter ſe moribus ac virtute conciliat. Pythagoras verò amicitiam eſſe æqualem congruentiam. Secundò, ne quædam vitia ſint, vt moroſitas, ambitio, leuitas, propriæ vtilitatis ſtudium. Idcircò Ariſtoteles, Senes & ijs ſimiles negat ad amicitiam eſſe, quia difficiles & moroſi ſunt, nec conuerſatione cum alijs delectantur, niſi fortè ſibi ſimilibus. Inter iuuenes autem, qui benè & liberaliter ſunt educati, facilè coaleſcit amicitia, cùm & iucundi ſint, & conuerſationis amantes. Tertiò nihil eſſe ſimulatum, vel occultum debet. Id innuit Seneca Epiſtola 3. Diu cogita, an tibi in amicitiam aliquis recipiendus ſit; cùm placuerit, toto illum pectore admitte. Tam audacter cum illo loquere, quàm tecum. Tu quidem ita viue, vt nihil committas, niſi quod committere etiam inimico poſſis. Sed quia interueniunt quædam, quæ conſuetudo fecit arcana, cum amico omnes curas, omnes cogitationes tuas miſce. Fidelem ſi putaueris, facies. Nam multi fallere docuerunt, dùm timent falli; & alijs ius peccandi ſuſpicando fecerunt. Quid eſt ergo, quare verba coram amico retraham? Quid eſt, quare me coram illo non putem ſolum?

CAPVT V.

Effectus Amicitiæ.

PRæſtat hoc vnum ac ſummum Amicita, vt nimirum inter amicos voluntatum, ſtudiorum, ſententiarumque magna ſit conſenſio: idem velint, idem nolint; mutuis officijs beneficijſque vltro citroque datis & acceptis ſe iuuent & ornent; omnia communia habeant; viuat vterque alteri; & pro altero mori, ſi honeſta exigat occaſio, ſit paratus. Atque hæc omnia à virture, quæ amicitiæ vinculum firmat, proficiſcuntur. Manlius lib. 8. *Varij effectus.*

Idcircò nihil ex ſemet natura creauit
Pectore amicitiæ maius, nec rarius vnquam.
Vnus erat Pylades, vnus qui mallet Oreſtes

Ipſe mori, lis vna fuit per ſæcula mortis;
Alter quod raperet fatum, non cederet alter,
Et duo qui potuere ſequi vix noxia pænis,
Optauitq́ reum ſponſor non poſſe reuerti,
Sponſoremq́ reus timuit, ne ſolueret ipſum

Saluſtius, *Idem velle, atque idem nolle, ea demum vera amicitia eſt.* Hinc Zeno Cittienſis interrogatus quid reuera amicus eſſet, *Amicus*, inquit, *eſt alter ego.* Horatius lib. 1. *Animæ dimidium meæ.* Et lib. 2.

Ah, te meæ ſi partem animæ rapit.
Maturior vis, quid moror altera,
Nec carus æque, nec ſuperſtes
Integer?

Itaque Amici duo ſunt corpora, ſed vna anima.

Corporibus plures, mentibus vnus homo.

Ideò non malè quidam amicitiam ait eſſe liberam ac plenam duarum animarum confuſionem. Pytagoras talem inter ſuos amicitiam inſtituebat, vt eos conferre in medium vellet, teſte Gellio lib. 1. quicquid cuiq́; familiæ aut pecuniæ eſſet. Eius ſunt pręclaræ illæ ſententię. *Amicorum omnia communia. Amicitiam æqualitatem eſſe, vnamq́ duorum animam, & amicum alterum ipſum.* Elegans eſt Promethei Ægyptiorum legiſlatoris teſtimonium. Hic cum interijſſet coniux, tulit moderatè; *Pars*, inquit, *domus periit*, cum direptæ eſſent opes, *non mea*, inquit *ſed fortunæ bona ſunt ſublata*; Cùm filius è vita migraſſet, *Parte tantùm aliquâ*, inquit, *ſum comminutus.* Cùm mortuus amicus eſſet, frangi ſtatim dolore cœpit, & ſine ſuſpirio non reſpirare. Cùm miraretur populus. *Amico*, inquit, *meo mors obtigit, mihi dolor, quia ego vt mortuus ſenſu non careo Amicus non eſt amici exemplar, ſed alter idem.*

Additamentum.

VArij hic effectus enumerantur, adeoq́ue etiam mortis pro amico ſuſceptio, præter voluntatum conſenſionem, & omnium rerum communicationem. Vitam pro amico honeſtè prodigere multi olim Ethnici non dubitarunt, Euryalus & Niſus apud Virgilium lib. 9. Æneidos; Damon & Pythias apud Valerum Maximum, quorum vnus vitam ſuam pro alterius vita, Vadem obtulit; Ariſtoteles 9. Eth. cap. 8. Verùm eſt, inquit quod de probo viro dicitur, eum amicorum cauſa & patriæ multa agere, etiamſi pro ipſis mors fuerit oppetenda. Nam & pecunias & honores proijciet, & demum bona, quæ in certamen apud homines veniunt; dum quod honeſtum eſt, ſibi ipſi vendicat. Breui enim tempore valdè lætari magis eligeret, quàm longo leuiter: & viuere honeſtè vno anno, quàm multis quomodolibet; vnam item actionem honeſtam & magnam, quàm multas & paruas. Hoc autem ijs fortaſſe euenit, qui pro alijs mortem abire conſueuerunt. Eligunt enim magnum quoddam honeſtum ſibiipſis, pecuniaſque profunderent, quo amici plures accipiant. Pecuniæ enim amico, ipſi honeſtum comparatur. Quod autem maius bonum, ſibi attribuit. Plura ibidem Ariſtoteles in hanc rem. Nec Chriſtianorum alia opinio eſt. D. Chryſoſtomus homilia 2. in 1. ad Theſſalonicenſes. Ita oportet, inquit, amantem amare, vt etſi omnia ob eo poſtuletur, & poſſibile ſit, non prohibeat. Non dico poſtuletur, ſed vt & ipſe vltrò tali dono accurrat: nihil enim tali dilectione dulciùs eſſe poterit, nihilq́ue ei triſte accidet. Seneca Epiſtola 9. vbi perfectam amicitiam deſcribit. In quid igitur amicum paro? Vt habeam, pro quo mori poſſim; vt habeam, quem in exilium ſequar, cuius me morti opponam & impendam. Idē lib. 2. de beneficiis cap. 15. Magna omninò res fidus amicus. In eius igitur bonū, ac vt is ſaluus ſit, exitium meum permittere, graue non ducam. Porrò omnis communicatio inter amicos peccato & culpa vacare debet; quoties interuenerit, abrumpenda neceſſitudo eſt, ſilentq́ue amicitiæ iura. Cicero, Theophraſtus alijq́ue Ethnici qui pro amico leues culpas & minitas refugiendas negarunt, ſimul aberrauerunt.

CAP.

CAPVT VI.

An rectè dicatur, amicus optima vitæ poſſeſſio.

FVit hoc Alberti Secundi Imp. ſymbolum. Veriſſimum profectò. Ipſe teſtis eſt Sapiens, *Fidus amicus firmum præſidium, eum qui inuenit, theſaurum inuenit. Amicum fidelem nulla res exæquat, net vllum aurum argentive pondus eius fidei dignitatem æquiparat.* Euripides in Oreſt. *Rectè & veriſsimè dicitur.*

Nihil eſt melius amico, quod ſciam, bono,
Non regna, non opes.

Et Menander. *Generoſum amicum poſſidens beatus eſt.* Amplius verò Plautus in Baccide: *Multis modis meditatus egomet mecum ſum, & ita eſſe arbitror, Homini amico qui eſt amicus, ita vti nomen poſſidet, niſi Deos nihil præſtare.* Et verò numquid, teſte Caſſiodoro in Epiſt. ſine amicis omnis cogitatio eſt tædium; omnis operatio labor; omnis terra peregrinatio; omnis vita, tormentum; ſine quorum ſolatio nihil eſt viuere niſi mori? *Quantum eſt bonum*, inquit Seneca, *amicitia fidelis, vbi præparata ſunt pectora, in quæ tutum omne ſecretum deſcendat, quorum conſcientiam minùs timeas, quàm tuam; quorum ſermo ſollicitudinem leniat; ſententia conſilium expediat, hilaritas triſtitiam diſsipet, conſpectus ipſe delectet.* Mithridates Rex Ponti pro vno Leonico amico nauali pugna à Rhodijs capto, plurimos ex hoſtibus captiuos remiſit. Plùs apud eum ponderis habuit vnius amicitia, quàm hoſtium omnium odium. Notum eſt Damonis & Pythiæ exemplum apud Val. Max. Bloſius Tyberij Gracchi amicus, cùm, quid pro illo feciſſet, interrogaretur, *Omnia*, inquit. An etiam templa incendiſſet? *Numquam id ipſe*, inquit, *voluiſſet; ſi voluiſſet tamen, feciſſem.*

Additamentum.

BIon Philoſophus, quot, inquiebat, amicos pararis, tot oculos habes, quibus, quæ voles, videas; tot aures, quibus, quæ decet, audias; tot conſilia, quibus de futuris deliberes. Nec aliter ſe habet plurium amicitia, quàm ſi cui Deus vnum corpus habenti, multas daret animas, quæ omnes prouiderent & conſulerent. Apud Plautum in Trucul. Vbi amici, ibi opes. Apud Scythas, teſte Luciano, habebatur ditiſſimus, qui certiſſimos, & optimos amicos poſſideret. Socrates, apud Laërtium, dicere ſolebat, nullam poſſeſſionem amico fideli pretioſiorem eſſe, nec aliundè plus fructus capi aut vtilitatis. Alexander roganti cuidam vbi theſauros ſuos haberet, oſtendens amicos, In his, inquit. Micipſa apud Saluſtium non exercitus, ait, neque theſauri ſunt regni pæſidia, verùm amici.

Vndè rectè Empedocles, apud Ciceronem in Lælio, vaticinatus eſt, omnia, quæ in rerum naturâ ſunt; amicitiâ contrahi, diſcordiâ diſſipari, id de hominum vita longè veriſſimum eſt.

CAPVT VII.

Quomodo parandi ſint amici.

IN hominum moribus, prudenter olim Antiſthenes hoc damnabat, quod in auctionibus vaſa diligenter inſpicerent, priuſquam emerent, vitam verò eorum non cognoſcerent, quos ſibi in amicitiam adiungerent, etſi major vtilitas ſit à fidis amicis, quàm à vaſis, pluſque damni, niſi deligas, vt refert Laërtius lib. 2. Itaque valeat hic illud, *Deligas quem diligas.* Vnde Plutarchus, vt nummum, ſic amicum oportet habere probatum, antequam eo opus ſit. In primis autem ad contrahendam amicitiam opus eſt ſpatio temporis, & quadam conſuetudine. Hinc vetus Poeta: *Deligendum quē diligas* *Opus eſt primo tempore.*

Non eſt amicus abſque temporis mora.

Et prouerbium. Mutuò nos non noſcimus, niſi modium ſalis ſimul abſumpſerimus. Seneca verò, poſt amicitiam, *inquit*, credendum eſt, ante iudicandum. Præpoſtere faciunt, qui aliter faciunt.

Deinde prudentia Deinde opus eſt prudentia, quæ in eo eſt, vt non cuiuis dexteram porrigamus, ſicut in ſymbolis Pythagoricis eſt. Quippè, Cicerone teſte in Lælio, Eſt prudentis ſuſtinere, vt curſum ſic impetum beneuolentiæ, quo vtamur in amicitia, quaſi aquis tentatis, ſic aliqua ex parte periclitatis moribus amicorum. Eodem ſenſu Plinius. Quemadmodum Zeuxis lente pingebat, quod diu duraret, ita diu explorandus amicus, qui ſit perpetuus futurus.

Monitum Senecæ. Prætereà cùm amicitia niſi inter bonos eſſe non poſſit, ſeruandum eſt hoc Senecæ præceptum. Vt primo ſe quiſque exhibeat bonum, ac tum demum quærat alterum ſibi ſimilem & æqualem.

Additamentum.

TEmpore inprimis opus eſt, deinde prudentia. Et veriſſimè dictum eſt, deligendum, quem diligas. Seneca Epiſt. 3. Omnia cum amico delibera, ſed de ipſo priùs. Poſt amicitiam credendum eſt, ante amicitiam iudicandum. Illi præpoſtere officia permiſcent, qui contra præcepta Theophraſti cum amauerint iudicant, & non amant, cùm iudicauerint. Sidonius lib. 5. Ep. 11. ſuæ conſuetudinis eſſe ſcribit, priùs eligere, poſteà diligere. Caſſiodorus lib. de Amicitia cap. 11. Vide ſicut frequenter accidere ſolet, ne quidam amoris impetus probationis ſpatium præcurrat, & præcludat probandi iudicium. Vir itaque prudens paulatim cohibeat & refrænet hunc impetum, cui beneuolentiæ modum imponens & regulam, diſcretè in affectum tranſeat, & ſe tandem amico, præmiſſa probatione, committat. Hac de re multa Plutarchus in opuſculo de amicorum multitudine; Et Xenophon lib. 2. de dictis & factis Socratis. Ariſtoteles raritatis in amicitia rationem reddit, quod vera amicitia tempore & conſuetudine indigeat. Nam, inquit, vt eſt in prouerbio, fieri nequit, vt homines, mutuò ſeſe cognoſcant, priùs quàm ſalem qui dicitur, conſumpſerint; neque priùs ſeſe admittant, ſintque inter ſe amici, quàm alter alteri amabilis & videatur eſſe, & credatur. Qui autem citò ſeſe amicè gerunt inter ſe, volunt illi quidem eſſe amici, ſed non ſunt tamen, niſi & amabiles quoque ſint, & ſe eſſe non ignorent; ac voluntas quidem amicitiæ velox eſt, amicitia minimè. Hæc igitur & tempore & reliquis perfecta eſt.

CAPVT VIII.

An vera amicitia tantùm ſit inter bonos.

CVm ſola virtus amicitiæ ſit procreatrix, eſſe vera amicitia non niſi inter bonos, in quibus eſt virtus, poteſt. Hinc Caſſiodorus in Epiſt. Vera amicitia inter bonos tantùm oritur, inter meliores proficit, inter optimos conſummatur. *Tantùm eſt inter bonos.* Equidem arctiſſimo nonnumquam vinculo coniunguntur improbi, vt fures, proditores, coniuratores: item mercatores, & quicumque lucri cupidi cum lucrum ſequuntur, at hæc vera amicitia non eſt. In vtili iſta amicitia paleam tantum vides; in iucunda tantùm florem. Flos cadit, vno flatu palea tollitur. Fructum habet ea amicitia, quam virtus conciliat. Oris elegantia adulterinos, animi pulchritudo veros amicos parit, inquiebat Thales Mileſius.

Vis adulterinum noſſe amicum? Oſtentationem officij ſemper ſpirat, officium numquam præſtat. Hoc vt declararent Ægyptij, arborem Amyram hieroglyphicum adulterinæ amicitiæ fecerunt. Illa enim odorem fundit ſuauem, fructum verò fert nullum.

Additamentum.

CIcero in Lælio iam ſuprà à nobis citatus, Vera, inquit, amicitia non niſi inter bonos eſſe poteſt Plato, vt eſt apud Apuleum lib. de Philoſophia, amicitias

citias inter improbos, vocat animarum calamitates, & negat amicitias eſſe. Epict. apud Arrianum lib. 2. cap. 22. Vt ſunt fideles & iuſti, inquit, ita quoque amici dicendi ſunt homines. Vbinam quæſo eſt amicitia, quàm illic, vbi eſt fides, pudor, exhibitio honeſti, ac nullius rei, alterius? At, inquies, tanto tempore me obſeruauit, & non amaretur? Ineptè, qui ſcis an ſic te coluerit, quemadmodum ſolet calceos ſuos, dum ſpongiâ detergit, aut vt pecus quoddam? qui ſcis autem, vtrum ſi rui nullus vſus tanquam inſtrumenti amplius fuerit, ipſe tanquam fractam tabellam te ſit abiecturus? Ariſtoteles lib. 9. cap. 3. Bonorum verò & eorum, qui in virtute ſunt ſimiles, amicitia demum perfecta eſt. Hi enim mutuò ſibi bona ſimiliter volunt, quatenùs ſunt boni; boni autem ſunt per ſe. At qui amicis bona volunt ipſorum cauſa maximè amici ſunt.

CAPVT IX.

An vera amicitia calumnijs & criminationibus ſit expoſita?

PHiloſophorum effatum eſt, veram honeſtamque amicitiam criminationibus minimè patere. Quippè hæc amicitia ita amicos ſibi mutuò coniungit, vt certent inter ſe officijs, & quam plurimis ſe afficere beneficiis contendant: vnde fit, vt nec querelis obnoxia ſit, nec ſuſpicionibus. Ibi querimonijs locus eſſe non poteſt, vbi nec fides titubat, nec conſtantia fluctuat. Delatoribus veri amici aures non patefaciunt, quod non temerario quodam auſu confluxerint, ſed longo temporis tractu, diligentique exploratione & conſeruatione beneuolentiam collegerint. Cicero ad Q. Fratrem, *Vt quiſque eſt vir bonus ita difficillimè alios improbos ſuſpicatur.* Bene etiam Menander: *Non eſt expoſita.*

Calumnijs quiſquis fidem præbet citò,
Aut ipſe mente moribuſq; eſt improbus,
Aut mente eadem caſſus, aut prorſus puer.

Rectè etiam Seneca in Epiſt. 3. *Si aliquem amicum exiſtimas, cui non tantùm credis, quantùm tibi, vehementer erras, & non ſatis noſti vim veræ amicitiæ.*

In amicitiâ, quæ propter vtilitatem eſt contracta, facilè criminationes naſcuntur. Nimirum cum qui beneficium accepit, gratitudine non reſpondet conferentis expectationi. Tacite enim hic quoque beneficium ſperat; & ſæpè qui ſimulat honeſtatem, vtilitatem honeſtati anteponit. Hæc proinde amicitia vt non diſſoluatur, referendum eſt reipſa beneficium, aut ſi facultas non ſit, mora verbis lenienda, & ſpes iniicienda. *Aliud eſt de vtili amicitia.*

Additamentum.

NOn eſſe hic oſtendimus, itaque idcircò, quod veri amici ſuſpicionibus non indulgeant, nec delationibus credant. In perfecta amicitia, quæ à virute eſt, vterque amicorum alteri ſponte & vltrò lubens ac volens, promptè & cupidè benefacit, & cum mutuis certent officijs nullæ inter eos quærelæ ſunt vel pugnæ; neque enim earum vlla eſt cauſa. Vide Ariſtolem lib. 8. cap. 13. & 14. Sapientum monitum eſt, non facilè credendum ijs, qui aliquam amici culpam referunt. Seneca lib. 2. de via c. 29. His quæ narrantur, inquit, non debemus citò credere. Multi ementiuntur, vt decipiant; multi, quia decepti ſunt. Alius criminatione gratiam captat, & fingit iniuriam, vt videatur doluiſſe factam. Eſt aliquis malignus, & qui amicitias cohærentes deducere velit. Plato ſuſurrationem de Xenocratis detractionibus, quamuis iuramento firmatum, non admiſit. Alexander M. à Parmenione monitus de ſtructis vitæ eius inſidijs à Philippo medico & amico, litteras Philippo non priùs oſtendit, quàm poculum ab eo porrectum hauſiſſet, mortis periculo venenum amoris, ſiue ſuſpicionem de amico alacriter excludens. De ijs vide Valerum Max. lib. 4. cap. 1. Seneca lib. 2. de Ira c. 24. Plurimum mali credulitas facit. Sæpè ne audiendum quidem eſt, quoniam in qui-

buſdam rebus ſatiùs eſt decipi, quàm diffidere. Tollenda eſt ex amico ſuſpicio & coniectura, fallaciſſima irritamenta. Ille me parum humanè ſalutauit; ille oſculo meo non adhæſit; ille inchoatum ſermonem citò abrupit; ille ad cœnam non vocauit; illius vultus aueſior viſus eſt. Non deerit ſuſpicioni argumentatio. Simplicitate opus eſt, & benigna rerum æſtimatione.

CAPVT X.

An vera Amicitia inter plures eſſe poſsit.

ARctiſſima illa neceſſitudo, quam veram amicitiam appellamus, paucorum eſt omninò. Vix in omni antiquitate 4. aut 5. verorum amicorum paria reperiuntur. Inter duos veram ac perfectam amicitiam Philoſophus conſtituit, quòd intercedere ſummus amor cum multis non poſſit. Beneuoli multi multis eſſe poſſunt, non item amici. Cui mentis arcana committas, vnus ſufficit; plures effundunt & effutiunt omnia; vnus amicè tacet; Et quis plures perfectè noſcat? Quis inter plures communia eſſe omnia velit? Dionyſ. Tyrannus cùm admiratus Damonis & Pythiæ animum rogaret, vt ſe in ſocietatem amicitiæ tertium ſodalitij gradum culturum beneuolentia reciperent. illi veram amicitiam tertium non admittere reſponderunt. Tertium tamen, ſed non plures, admittamus. Ecce exemplum. Tres erant amici, diuites duo, pauper vnus. Moritur pauper, & diuitum vni matrem alendam teſtamento legat, alteri filiam ſuam matrimonio locandam Quod ſi eorum alter è vitâ migret, alterum ſubſtituit. Quinto poſt die moritur ille, cui alenda mater obtigerat; ſuperſtes alter matrem accipit, ſuamque mox & amici filiam diuiſis inter eas bonis ſuis ad honeſtas nuptias perducit. Hæc ſanè vera amicitia fuit, aut nulla eſt. Pauci ergo ſint, non multi.

Vera amicitia eſt inter paucos.

Additamentum.

VEram amicitiam inter paucos hic conſtituimus, & rationibus exemplisque confirmamus. Prouerbium eſt, Qui multis amici ſunt, nemini ſunt amici. Dicebat quidem Epaminondas, teſte Æliano lib. 14 Non diſcedendum è foro, niſi novum aliquem amicum ad veteres adieceris. Quod ſtudioſè factitabat Scipio. Ea tamen conſuetudo non de vera amicitia, ſed de qualicunque notitia & familiaritate, quam Ariſtoteles Politicam amicitiam vocat, intelligenda eſt. Et quemadmodum vulgò dicitur, Nulquam eſt, qui vbique eſt: ita verè amicus non eſt, qui multis eſt amicus. Vide Ariſtotelem lib. 8. Eth. cap. 6. vbi ſic ait: At verò vt multis quiſpiam ſit amicus amicitiâ perfectâ, fieri non poteſt; quemadmodum neque vt amore multorum ſimul aliquis capiatur. Exuperationi enim hoc ſimile eſt. Quod autem eſt, eſt eiuſmodi, ad vnum ſpectare naturâ conſueuit. Multos verò eidem ſimul placere, non facile eſt. Fortaſsè etiam neque bonos multos eſſe. Opus præterea eſt experimentum capere, & conſuetudine vti, id quod perquam difficile eſt. Vide etiam librum 9. Eth. c. 10. Apud veteres celebria fuerunt aliquot amicorum paria, quorum hæc nomina ſunt:

Pylades & Oreſtes. Euripides in Iphigenia.
Achilles & Patroclus, Homerus Iliad. x.
Niſus & Euryalus. Virg. 9. Æn.
Æneas & Achates. Virgilius.
Theſeus & Pirithous. Plutarchus in Theſeo.
Theſeus & Hercules. Ibidem.
Epaminondas & Pelopidas. Plutarchus in Pelopida.
Damon & Pithias. Cicero 3. Off.
Pollux & Caſtor, apud Pindarum.
Scipio & Lælius. Cic de Amicitia.
Cicero & Pomponius Atticus, apud Plutarchum.
Dauid & Ionathas libro 1. Regum.

CAPVT XI.

Quibus in rebus veri amici probentur.

In aduerſis.

VAlerius Maximus, Sinceræ fidei amici, inquit, præcipuè in aduerſis rebus cognoſcuntur. Felicitatis cultus maiori ex parte adulationi, quàm charitati erogatus, ſuſpectus certè eſt. Infractæ fortunæ homines magis

gis amicorum ſtudia deſiderant, vel præſidij, vel ſolarij gratia. Tenacius eorum nomina poſteritatis memoria apprehendit, qui aduerſos amicorum caſus non deſeruerunt. Vt ignis aurum, ita aduerſitas amicum probat. Plautus Epid.

Is amicus eſt, qui in re dubia te iuuat,
Vbi re opus eſt.

Ouid. 2. de Ponto.

Turpe erit in miſeris veteri tibi rebus amico
Auxilium nulla parte tuliſſe tuum.
Turpe referre pedem, nec paſſu ſtare tenaci,
Turpe laborantem deſeruiſſe ratem.
Turpe ſequi caſum, & fortunæ cedere; amicum
Et, niſi ſit felix, eſſe negare ſuum.

Namertes, teſte Plutarcho in Lacon. cum beatus prædicaretur, quod multos amicos haberet, interrogauit, quomodo qui multos haberet amicos, periculum faceret, an amicum vllum ſincerum ac probum haberet? Id cum alius ſe neſcire, ac diſcere cupe reprofiteretur. *Per aduerſam*, inquit, *fortunam*.

Illa amicitia, quæ in conſortio delitiarum & luxuriæ eſt, facilè contabeſcit; quæ autem vera eſt, miſeriarum experimento eniteſcit. Perditis iam. C. Gracchi conſilijs cum omni auxilio deſtitutus eſſet ipſe, duo amici Pomponius & Lætorius deeſſe non voluerunt. Cùm igitur Gracchus fugeret, concitatum ſequentium agmen, quo facilius euaderet, in porta Trigemina Pomponius acerrima aliquamdiu pugna inhibuit; & cum multis confectus vulneribus, tranſitum eis ſuper cadauer ſuum, etiam poſt fata inuitus, dedit. Lætorius verò in ponte ſublicio conſtitit, & eum donec Gracchus tranſieret, ardore ſpiritus ſui ſepſit, ac vi iã multitudinis obrutus, conuerſo in ſe gladio, celeri ſaltu profundum Tiberis petijt. Ita quo miſeriora, hoc illuſtriora ſunt fideliter cultæ amicitiæ exempla. *Vt aurum igne, ſic beneuolentia fidelis periculo aliquo perſpici ſolet*, inquit M. Tullius lib. 9. Epiſtol. familiarum.

Additamentum.

Conqueri & exclamare ſæpè Ariſtoteles ſolebat, O amice, nullus amicus. Probantur autem veri amici in aduerſis. Tum enim qui tales ſunt, vltrò & ſpontè accurrere debent. Cùm enim amicis ſit benefacere, tum potiſſimùm in neceſſitate. Nec expectandum eſt donec rogemur. Nam vt prouerbio dicitur, Carè emptum eſt, quod precibus emptum eſt. Item amicus certus in re incerta cernitur. Et vt ait Iſocrates Vt aurum igne probatur, ita amicos in aduerſa fortuna cognoſcimus, Democritus Maximus in ſermone de Amicitia. Fidelis, inquit, amicus in rebus ſecundis vocatus adeſt, in aduerſis non vocatus.

CAPVT XII.

Variæ de Amicitia quæſtiunculæ.

I. QVi ſint Anteponendi, noui an veteres amici? *non debent*, inquit Cicero in Lælio, *Amicitiarum eſſe, ſicut aliarum rerum ſatietates. Veterrima quæque eſſe ſuauiſsima debent.* Vetus amicus non ſeneſcit; ſi vetus eſt eo melior, eo conſtantior. Erat ſymbolum Valentiniani Imperatoris Iunioris, *Amicus veterrimus optimus.* Plautus verò.

Certè hercle quàm veterrimus,
Homini optimus eſt amicus.

commorans. Non igitur ceſſat amoris in animo impetus, cùm rem amatam adepti ſumus; imò ardentior eſt. Quamquam nec terminum vera amicitia vllum habet. Frui ſemper amoris ſuauitate eius votum eſt, & concludere amicitiam cum vita cupit. Nec annos, nec horas aut dies numerat; amicitiæ ſpatium vitæ ſpatio circumſcribit. Si poſt fata amare poſſit, etiam deſiderat.

VIII. *Quænam vera amicitia exigit?* *Tria* inquit Max ſerm. de amicitia. *Virtutem vt honeſtam; familiaritatem vt iucundam, vſum vt neceſſarium. Nam vbi iudicaris recipere debes, & congreſſu lætari, & vti ſi egeas.* Quod ſi quandoque amicus perperam quid agat, *amicum in ſecreto mone, palam autem lauda; vires tuas magis ſentiat beneficiis, quàm iniuriis,* inquit Seneca. Et idem. *Cum amicis breues rationes, longas amicitias oportet habere. Principium amicitiæ bene loqui, grande exordium inimicitiarum maledicere.* Diſſimulare verò amici vitia non oportet. Nam vt idem Romanus Philoſophus, *Amici vita ſi feras, facis tua. Ita amicum habeas, vt inimicum putes; ita crede amico, ne ſit inimico locus. Tu primum exhibe te bonum, & quære alterum ſimilem tibi.* Conniuere aliquando equidem oportet, ne queruli in amicitia ſimus, ſed quando, iudicet prudens amicus. Si ira nonnumquam interueniat, ea nec ex animo eſt, nec duratura. Græcum & Senarium hoc carmen,

Amantium iræ paruo durant tempore.

Oportet amici mores nouiſſe, non odiſſe, atque in iis quædam diſſimulare, ſic vt intelligantur, ſed tamen tolerentur.

Diſcordia fit carior concordia.

IX. *An beatus amicis indigeat?* Eget. Quæ enim hic felicitas extra fortunæ poteſtatem eſt? Beatus ad virtutum exercitium congreſſu etiam amicorum indiget. Magnus Alexander plurimos ſingulari ſuâ beneuolentiâ amicos fouit. Darius verò Perſarum Rex cùm malum ei punicum oblatum eſſet. *Vtinam*, inquit, *tot mihi ſint Zopyri, quot malum hoc granulis eſt refertum.* Non ſine ratione adagium illud eſt, *Amicus magis neceſſarius eſt, quàm aqua & ignis.* Hiperbole eſt, ſed admonet; neminem eſſe tam diuitem aut potentem, quin opus habeat amicorum officiis. Imò *Vbi amici, ibi opes.* Amicitia, inquit Seneca, *ſecundas res ſplendidiores facit, & aduerſas partiens communicanſq; leuiores.* Idem. *Quid dulcius, quàm habere cum quo omnia audeas ſic loqui, vt tecum? Quis eſſet tantus fructus in proſperis rebus, niſi haberes amicum, qui illis æque, ac tu ipſe gauderet? Aduerſa etiam ferre difficile eſſet, ſine eo, qui illa grauius, quàm tu fert.* Nullius vnquam tam florentes res fuerunt, qui ſe amicis indigere negaret. Omnis fortunæ fulcra ſunt amici.

Additamentum.

AD ſingulas quoniam fusè ſatis reſpondetur, pauca addemus.

Quod attinet ad amicitiam cum abſentibus, Plinius lib. 10. cap. 23. Sicut Ciconia tametſi demigrat, reuerſa ſemper eoſdem nidos reperit, ita non oportet amicorum ob intermiſſam conſuetudinem obliuiſci, ſed eorum memoriam ſemper nobiſcum circumferre.

Quod amare præſtantius ſit, quàm amari docet Ariſtoteles lib. 8. Eth. cap. 8. Vulgò quidem plerique diligi malunt, quàm diligere; ſed virtutis laus omninò in actione conſiſtit ait Cic. 3. Offic. amare autem in actione eſt.

Quod attinet ad officia amicorum, ea ſex potiſſimùm numerantur. Benecupere, benefacere, beneprecari, conuerſari, conſentire, compati. Hæc omnia, ait Ariſt. lib. 9. cap. 8. bono viro erga ſeipſum inſunt, cæteris verò, quatenus ſe tales eſſe opinantur. Quippè virtus & vir bonus vniuſcuiuſque rei menſura ſunt. Cicero lib. 1. de Legibus. In amicitia, inquit, neceſſarium eſt, vt nihilo ſe pluſquam alterum diligat. Cuncta enim debent eſſe paria: tanta ſiquidem vis eſt amicitiæ, vt ſimul atque ſibi aliquid, quàm alteri maluerit, nulla ſit ame-

amplius amicitia. Et in Lælio. Quiſque per ſe ſibi charus eſt, quod niſi idem in amicitiam transferatur, verus amicus nunquam reperiatur.

De Amicitia Beatorum, hoc eſt Principum & diuitum in ſecunda fortuna agitur in Politicis, & hic fusè ſatis.

TITVLVS V.

De Virtutibus Mentis ſeu Intellectus.

CAPVT I.

Quid, & quot ſint Virtutes Intellectus?

DE Virtutibus hactenus Moralibus, earumque fructu. Nunc quoniam Mentis ſeu Intellectus virtutes quædam ſunt moralium principia, regulæ & velut oculi, quibus illæ diriguntur, de ijs nonnulla quoque, ſed pauca, ne præterijſſe, aut neglexiſſe videamur, ſubiungamus. *Definitio.* Nihil aliud verò ſunt Virtutes mentis, quàm habitus quidam intellectus, ipſum ad verum inquirendum perficientes. Earum ſedes in mente ſeu intellectu eſt, & hinc nomen. Per illas non aliter à falſo verum diſtinguitur, quam Lydio lapide à ſcoria aurum examinatur. *Numerus.* Numero ipſe quinque ſunt. Prudentia, Intelligentia, Ars, Scientia, Sapientia. Omnes vel actionem, vel contemplationem reſpiciunt. *Diſtinctio.* Prudentia internam actionem per conſilium: Ars externam per opus. Scientia contemplationem cum cauſis, cùm ſit habitus demonſtrandi per cauſas; Intelligentia eandem ſine cauſis, ſiquidem eſt habitus credendi principiis. Sapientia denique cum cauſis & effectibus, eſtque contemplandi res tam humanas quàm diuinas habitus. De prudentia inter virtutes Morales diximus.

Additamentum.

HOMO, vt inquit Cicero lib. 3. de Finibus, qui intellectu præditus eſt & appetitu. Ad intelligendum & agendum factus eſt, quaſi mortalis Deus. Idcircò aliquæ Virtutes ſunt Intellectus, quæ hominem ad intelligendum iuvant; aliquæ morales quæ ad agendum. Virtutes intellectus Dianoëticæ vocantur ab intellectu cui inſunt, & quem perficiunt. Virtus Mentis ſeu Intellectus ſecundùm Ariſtotelem 6. Eth. cap. 3. eſt quæ in intellectu ſeu mente hæret eamque perficit. Eius finis eſt Veritas, materia res veræ, vniuerſales, neceſſariæ; cauſa efficiens Doctrina potiſſimùm & inſtitutio.

Numerantur hic & apud omnes plus quinque. Huius capitis ratio eſt, præter eam, quæ hic allegantur, quod Intellectus verſetur circa neceſſaria vel contingentia. Neceſſaria vel ſunt principia, quorum habitus eſt intellectus; vel ſunt concluſiones è principiis deductæ, quarum habitus eſt ſcientia. Vel ſunt principia & concluſiones coniunctim quorum notitia eſt ſapientia. Contingentia vel ſunt extrà hominem poſita, & prorſus incerta, quorum notitia eſt Opinio & Suſpicio, quæ ob incertitudinem inter virtutes intellectus non numerantur: Vel in hominis poteſtate ſita ſunt & plus certitudinis habent, quæ ſi in actione conſiſtant, eorum habitus eſt Prudentia; ſi in operis alicuius confectione, eorum habitus eſt Ars.

CAPVT II.

De Intelligentia.

Quid ſit. INtelligentia eſt habitus mentis eam ad firmiter principiis aſſentiendum inclinans. Seu eſt virtus credendi principiis. Perficit hic mentem & ad ſummum verum bonumque trahit, nec quicquam tamen aui proponit conſulendo dirigendoque, aut oſtendit demonſtrando. Verſatur circa principia. Principia ſunt generalia quædam axiomata, quæ vi rationis probari

bari non poſſunt. Ea vel Theoretica ſunt, vel practica. Theoretica illa Artium & Scientiarum ſunt ſontes; cuiuſmodi ſunt, *Omnis cauſa ſuo effectu eſt prior. Omne totum maius eſt ſuâ parte*. Practica verò ad ſormandos hominum mores valent. Talia ſunt tria illa Iuris præcepta, *Honeſtè viuere, neminem lædere, ſuum cuique tribuere*, per quæ honeſta ab inhoneſtis, iuſta ab iniuſtis, æqua ab iniquis diſtinguuntur, vt cum diuina voluntate hominum actiones congruant. Sapientes illi veteres naturæ lumine illuſtrati, cùm verum inveſtigarent, eo vſque progreſſi ſunt, donec ad primas rerum cauſas penetrarunt, quas cum rationibus probare non poſſent, publico velut edicto in ſcholis ſuis ſtatuerunt, *primis principiis in quauis ſcientia credendum eſſe*. Extrema virtutis huius vitia ſunt, in exceſſu nimia ſcrupuloſitas approbatis axiomatibus contradicens; in defectu nimia ignorantia, quæ paſſim res etiam obuias & communes negligit, aut non apprehendit. *Extrema.*

Additamentum.

INntelligentia ſecundùm Ariſtotelem 6. Eth. cap. 6. & alibi, Eſt habitus, per quem principia demonſtrabilium & omnis ſcientiæ cognoſcimus. Abſque his principiis nulla ſcientia parari ab homine poteſt. Nam, vt dicit Ariſtoteles lib. 1. poſterioris Reſolutionis, Omnis doctrina, & omnis quæ cum ratione ſuſcipitur diſciplina ex præcedente ſit cognitione. Et 6. Eth. cap. 3. Ex præcognitis ſit omnis doctrina. Principia ſunt propoſitiones generales, quibus ſine probatione aſſentimur. Nam, vt ait Ariſtoteles 6. Eth. cap. 8. Mens eorum terminorum eſt, quorum ratio afferri non poteſt. Certè nihil aliud ſunt principia, quàm notitiæ quædam naturales, ſeu nobis à natura inſitæ, vt artium & virtutum ſemina eſſent primaque elementa. Peripatetici dicunt eſſe propoſitiones vniuerſales per inductionem rerum ſingularium collectas. V. g. vinum Creticum, Coum, Falernum, Rheticum, & quoduis aliud calefacit, igitur omne vinum calefacit. Sed Ariſtot. vult eſt primos terminos. Quod autem inſint nobis quædã notitiæ à natura, ex eo patet, quod aliquod ius ſit naturæ, vt alibi probavimus, quod omninò non eſſet, ſi nulla nobis innata principia eſſent. Deinde in pueris patet, qui ratiocinationes texunt, quarum ſimiles nunquam audiuerunt. Hinc Cic. 1. Tuſcul. qq. ex ſententia Platonis. Nec vero, inquit, fieri vllo modo poſſe, vt à pueris tot rerum & tantarum inſitas, & quaſi conſignatas in animis notiones haberemus, niſi animus antequam in corpus intrauiſſet, in rerum cognitione viguiſſet. Id verò falsò aſſerit, animas fuiſſe antequam in corpus intrarent, cùm in ipſo corpore ſimul creentur à Deo & vniantur. Accedit, quod notitiæ principiorum vbique locorum prorſus eædem ſint, cùm opinionum & morum magna ſit varietas. Principia ergò rationes ſuæ originis naturalia ſunt, ratione autem Illuſtrationis, quam accipiunt à ſenſu & experientia, dici habitus aliquo modo poſſunt.

CAPVT III.

De Arte.

ARs eſt mentis habitus, quo ad aliquid faciendum vera cum ratione dirigimur. Artis materia eſt res multiplex & mutabilis: ſiue id omne ex quo produci opus aliquod poteſt. Alij artem definiunt comprehenſionem præceptorum exercitatione cognitorum ad finem in vita vtilem ſpectantium. Diuidit autem Philoſophus Artes in liberales & mechanicas. Liberalium finis eſt actio; officium vera cum ratione artificem in opere ſuo dirigere, quodamque vſu mentem ad ſummum bonum, verumque referre. Mechanicarum finis eſt opus, vt nauis vel domus, Hinc ortum inter actionem & effectionem diſcrimen, quod illa opus internum, videlicet verum; hæc externum puta domum aliquam eliceat. Nonnulli triplici in genere Artes conſtituunt, vt quædam ſint neceſſariæ & vtiles, quædam pernitioſæ, quædam inutiles. Neceſſariæ ſunt liberales, & ex Mechanicæ, ſine quibus conſiſtere ſocietas hominum non poteſt, de quarum vtilitate, hominum non eſt dubitare. Artes pernitioſæ dici veræ artes non de-

Definitio. *Materia.* *Diuiſio prima.* *Secunda.*

bent, ab omni enim humanitate penitus ſunt alienæ. Earum in numero Ars magica cenſetur; & quæcunque ars mala, etſi ad ſanitatem recuperandam, ad diuitias acquirendas, ad res alias eiuſmodi bonas referatur. Artes inutiles ſunt, quæ in friuolis quibuſdam rerum architecturis, vel artificioſis operibus, quorum nullus eſt vſus, induſtriam oſtentant, & tempus terunt. Talis ſuit induſtria Alberti Magni, qui hominis ſtatuam ita compoſuit, vt certis libramentis, rotis, & machinis intus latentibus linguamque mouentibus articulatas voces pronunciaret. Opus hoc 30. annorum fuit, ſed vno momento à D. Th. Aquinate deſtructum. Ab eadem induſtria fuit eburnea illa Myrmecidis quadriga, quam muſca ſuis alis tegebat. Item nauis illa, quam apicula pinnis abſcondebat. Notæ ſunt formicæ Callicratis; notus Africani aurifabri pulex, quem Memphis aureâ catenâ illigauit. Huiuſmodi opera vanam temporis perditionem Ælianus appellabat.

Otioſa induſtria opera.

Quæ ſunt liberales.

Liberales artes, (quæ liberum hominis animum excolunt, eoque ſunt dignæ) ſeptem numerantur. Grammatica, Rhetorica, Dialectica, Aſtronomia, Geometria, Arithmetica, Muſica. Continentur hoc verſu,

Lingua, Tropus, Ratio, Numerus, Tonus, Angulus, Aſtra. Item hoc diſticho:

Gram loquitur, Dia vera docet, Rhe verba colorat
Mu canit, Ar numerat, Geo ponderat, As colit aſtra.

Aliarum ſeptem ſeruiles numerantur, Agricultura, Venatoria, Militaris, Fabrilis, Chirurgia, Textoria, Nautica, quibus potiſſimùm corpus exercetur. Illas hic verſus comprehendit.

Rus, Nemus, Arma, Faber, Vulnera, Lana, Ratis.

Quæ ſeruiles.

Ars tamen militaris in Duce ſeruilis non eſt, & ad Politicam ſpectat, quemadmodum nec architectonica, quæ ad Geometriam reuocatur. Quanquam nolo hic certum Artium numerum aut diſtinctionem perſequi. Quæri verò hic poteſt, *num etiam liberales ſint Typographia & ars pingendi?* Videri ſanè poſſunt; digniſſimæ enim homine libero ſunt, & ſingulari beneficio ſcientias illuſtrant. Fuit equidem ars ſcribendi iam ante generalem mundi eluuionem, at verò Typographia anno 1402. à Ioanne Cuthenbergio nationis Germanicæ inventa eſt, & à Conrardo eiuſdem gentis homine in Italiam delata. Gloriantur ſine multis iam ante ſæculis Typographiam in vſu apud ſe fuiſſe.

Additamentum.

Definimus hic Artem, diuidimus, & varias enumeramus. Efficiens Artis cauſa eſt recta ratio; materia Contingentia, ſeu quæ fieri & nõ fieri poſſunt. Officium eſt triplex. 1. Contemplari & conſiderare, quo pacto quiddam è præſenti materia poſſit effici. Secundùm artem in ſubiectam materiam agere, quod variis fit modis, pro artium varietate. 3. Opus ipſum producere. Inter illuſtria Artium opera referuntur, Dædali automata. Mobiles Homeri tripodes. Volatilis Archytæ columba. Alchimedis Sphæra. Picturæ Apellis & Protogenis. Statuæ Policleti & Phydiæ. Typographia & machinæ bellicæ, aliæque.

Adijcere quoſdam hic Aphoriſmos licet. Inprimis Omnis terra alit Artem. Ariſtippus interroganti cuidam Quid eſſet diſcriminis inter Doctos & indoctos, Mitte, inquit, ambos in terras ignotas, & videbis. 2. Quam quiſque norit artem in hac ſe exerceat. Hinc illa. Tractant fabrilia fabri. Ne ſutor vltrà crepidam. Non eſt fabri vltrà malleum loqui. Archidamus videns Periandrum, excellentiſſimum Medicum in Phœnicia carmina ſcribentem. Quid accidit tibi, inquit, ô Periander, vt cum inſignis ſis Medicus, haberi poëta malus velis? Ita Plutarchus in Laconicis. 3. Magiſter artis Venter, vt ait Perſius, hoc eſt indigentia. Hinc Prouerbium, Paupertas Sapientiam ſortita eſt. 4. Quilibet artes conditioni ſuæ conuenientes diſcat. Hinc Philippus Macedo cùm Alexandrum filium ſcitè canentem audiret,

audiret, An te, inquit, non pudet, tam bene canere? Aliud eſt ſceptrum, aliud plectrum, inquiebat Stratonices ad Ptolomeum Regem, apud Athenæum lib. 8. cap. 7. Portò experimentum omnes artes perficit. Hinc illud:

Solus & artifices qui facit, vſus erit.

Ouidius lib. 2. de Arte. Et Cato lib. 4.

Exerce ſtudium, quamuis perceperis artem,
Et cura ingenium, ſic & manus adiuuat artem.

Vſus magiſter eſt optimus ait Cicero pro Caio Rabirio. Nimis exiles & ſubtiles artes vſum & vtilitatem amittunt. Hinc Diogenes Euripidis Scholam improbabat, quod arguta quidem, ſed ad rectè viuendum minus vtilia doceret, vt refert Laërtius. Mirmecydas Nuleſius & Callicrates Lacedęmonius quadrigas fecerunt, quæ ſub muſcæ ala poſſent abſcondi; & in ſeſamo diſthicum Elegiacum aureis litteris inſcripſerunt. Sed, vt inquit Ælianus lib. 1. 5. Hiſt. quid hæc aliud ſunt, quàm rara temporis perditio? Adde quod Ars non habeat inimicum, niſi ignorantem; adeoque quicunque artem aliquam vituperat, ſuam prodit ignorantiam.

CAPVT IV.

De Scientia.

PHiloſophus Moralis Scientiam non quoad vim & modum, ſed quoad vſum & finem conſiderat. Nam, vt rectè Plato, aliud eſt ſcientiam habere, aliud vti. Quippè ſtudendum eſt, non vt alijs plus ſcire, ſed vt melius & innocentius viuere poſſimus. Quod fit, cùm non ſolum verum per cauſas cognoſcere, ſed etiam ſummo vero per ſcientiam coniungi deuincirique laboramus. Eſt autem ſcientia virtus mentis multis, certis, & neceſſariis ratiocinationibus acquiſita. *Definitio.* Seu eſt certa rerum per cauſas comparata cognitio. Eius materia res ſunt certæ, neceſſariæ, vniuerſales, & æternæ. *Materia.* Finis eſt in diſquirenda veritate, cognita, certa, vera, ac neceſſaria tantùm percipere, ſicque ad ſummum in prima rerum omnium cauſa verum, quod infinitum & æternum eſt, peruenire. *Finis.* Proprietates ſunt, doceri poſſe, ex antecedente cognitione fluere, ratiocinatione, non inductione conſtare. *Proprietates.* Eius principiis credere oportet. Extrema ſunt duo. *Extrema.* Nimia ſubtilitas, quâ quis abſtruiſſimas etiam rerum cauſas indagare cupit. Modus hic aliquis eſſe debet, & conſideranda eſt mentis noſtræ imbecillitas, quæ cernere percipereque omnia non poteſt. Vnde quædam neſcire vitio nequaquam adſcribitur, ſed æquo animo fertur. Eſt deinde falſa quædam mentis perſuaſio, cùm quis, quod reuerà neſcit, ſcire ſe putat. Pulchrè S. Bernardus. *Sunt qui ſcire volunt, eo tantùm fine, vt ſciant, & turpis curioſitas eſt. Et ſunt, qui ſcire volunt, vt ſcientiam ſuam vendant pro pecunia, pro honoribus, & turpis quæſtus eſt. Et ſunt, qui ſcire volunt, vt ſciantur ipſi, & turpis vanitas. Et ſunt, qui ſcire volunt, vt ardentius ædificent, & charitas eſt. Et ſunt, qui ſcire volunt, vt ædificentur, & prudentia eſt.* Serm. 36. ſup. Cant. Hugo autem de Inſtruct. Nouit. *Via ad Deum eſt Scientia, quæ ad inſtitutionem rectè & honeſtè viuendi pertinet. Eſt diſciplinæ bonitas & beatitudo. Per ſcientiam itur ad diſciplinam, per diſciplinam itur ad bonitatem, per bonitatem, ad beatitudinem.*

Additamentum.

DE Scientia curioſius diſputare Logicorum & Metaphyſicorum eſt. Nos ad ea, quæ hic exponimus, commonitiones aliquas Morales tantùm addemus. Atque inprimis illud Ariſtippi apud Laertium. Quemadmodum, inquit, non illi, qui plurimum comedunt & exercentur optimè valent, ſed qui neceſſitatis ubique rationem habent; ita non qui plurima, ſed qui neceſſaria didicerunt, ſapientes ſunt habendi. 2. Illud Aeſchyli apud Stobæum ſermone. 3. Qui vtilia nouit, non qui multa, ſapiens eſt. 3. Illud Plinij iunioris in Epiſtola de exercitatione, Aiunt non multa legenda, ſed multum. 4. Illud Senecæ Epiſtola. 2. lib. 1. Certis ingenijs immorari & innutriri oportet, ſi velis aliquid trahere, quod in animo feliciter ſedeat. Nuſquam eſt, qui vbique eſt. 5. Illud Perſij

Satyr. 1.

Scire tuum nihil eſt, niſi te ſcire hoc ſciat alter.

Quæ enim didicimus, ad vſum in omni vita ſunt transferenda. Non enim ſcientia tantùm eſſe ad ſciendum debet, ſicut apud auaros tantùm numeri ſunt ad numerandum. Fugienda in ſcientiis illa ſubtilitas, quæ nec ſcienti prodeſt, nec obeſt ignoranti. Benè Neoptolemus, Philoſophari ſibi neceſſe eſſe paucis, nam omninò haud placere, vt refert Cicero 1. qq. Tuſcul. Stobæus autem Serm. 80. Veratrum, inquit, craſſiuſculè ſumptum purgat, in pollinem leuigatum ſuffocat; ſic nimis anxia & ſubtilis in Philoſophia diſputatio. Scienda ſunt, quæ ſcitu ſunt digna.

CAPVT V.

De Sapientia.

Definitio. SApientia, vt definit Philoſophus in Eth., *eſt rerum diuinarum ampliſſima ſcientia.* Seu *multarum & mirabilium rerum ſcientia.* In Rhetoricis. M. Tullius 4. Tuſcul. *Sapientia,* inquit, *eſt rerum diuinarum & humanarum ſcientia cognitioq́, quæ cauſa cuiuſque rei ſit, ex quo efficiatur, vt diuina imitetur, humana verò omnia virtute inferiora ducat.*

Diſtinctio. Diſcrimen inter Sapientiam & Scientiam tradit hoc D. Auguſt. lib. de Trin. *Hæc eſt Sapientiæ & Scientiæ recta diſtinctio, vt ad ſapientiam pertineat æternarum rerum cognitio intellectualis, ad ſcientiam verò temporalium rerum cognitio rationalis.* Illam D. Tho. participationem quandam diuinæ Sapientiæ, quæ eſt Deus, appellat. *Materia & officium.* Eius materia ſunt res omnes diuinæ & admirabiles, earumque cauſæ in hominis cognitionem cadere poſſunt. Officium eſt, quid in rebus neceſſarijs honeſtum ſit, perſpicere. Extrema duo, & quidem in exceſſu nimia ſapientiæ perſuaſio, in defectu *Extrema.* Ignorantia. Per illam quidam rebus in omnibus Ariſtarchos agunt, & ſolos ſe putant Sapientes, per hanc nonnulli quid in rebus neceſſariis agendum ſit honeſtè, non ſciunt.

Modus acquirendi. Porrò modus perueniendi ad ſapientiam hic eſt. *Initium Sapientiæ timor Domini,* Prouerb. 9. Quippè *omnis Sapientia à Domino eſt, & cum illo fuit ſemper, & eſt ante æuum.* Ipſe eſt, qui dat ſapientiam, & ex ore eius prudentia & ſcientia eſt. Deinde quia, teſte Sapiente, *In maleuolam animam non introibit ſapientia, nec habitabit in corpore ſubdito peccatis*; ſeruanda eſt mentis & corporis caſtitas. Tum concupiſcere ardenter illam, & diligere, & quærere oportet. *Facilè enim videtur ab his, qui diligunt eam, & inuenitur ab his, qui quærunt illam. Præoccupat, qui ſe concupiſcunt, vt illis ſe prior oſtendat.* Sapiens 6. Denique parere diuinis mandatis, & iuſtè viuere neceſſe eſt. *Fili concupiſcens ſapientiam, conſerua iuſtitiam, & Deus præbebit illam tibi.* Eccleſ. 1. Et ibidem: *Fons ſapientiæ verbum Dei in excelſis, & ingreſſus illius mandata æterna.*

Additamentum.

VEra perfectiſſimaque Sapientia Deo tribuitur. Socrates in Phædro Platonis, Sapientis, inquit, cognomen magnum eſt, ſolique Deo convenire videtur. Viros autem, quos nunc deſcripſimus, conuenientiùs modeſtiuſq́; Philoſophos nuncuparemus. Idem ſenſit Pythagoras, qui, cùm Deus ſolus ſapiens ſit, non σόφος, φιλόσοφος appellari volebat, teſte Laertio in Præfatione ad Vitas Philoſophorum. Et Solon, vt eſt apud eundem in Thalete, qui, cùm tripus aureus, quem adoleſcentes Ionij è mari eduxerant, ſapientiſſimo dari iuberetur, illum Apollini, tanquam ſapientiā primo dedicavit. Lactantius lib. 3. Diuinarum Inſtitutionum cap. 3. Omnis Sapientia hominis, inquit, in hoc vno eſt, vt Deum agnoſcat & colat. Hoc noſtrum dogma, hæc ſcientia eſt. Quanta itaque voce poſſum, teſtificor, proclamo, denuntio. Hoc eſt illud, quod Philoſophi omnes, in tota ſua vita quæſiuerunt, nec vnquam tamen inueſtigare, comprehendere, tenere potuerunt, qui Religionem aut prauam retinuerunt, aut totam penitus ſuſtulerunt. Idem eodem in libro: Qui vult ſapiens ac beatus eſſe, audiat Dei vocem, diſcat iuſtitiam,

ſtitiam ; ſacramentum ſuæ natiuitatis norit, humana contemnat, diuina ſuſcipiat, vt ſummum illud bonum, ad quod natus eſt, poſſit adipiſci. Porrò ſapientiæ encomia paſſim ab omnibus celebrantur. Placet illud Ciceronis lib. 7. Epiſtol. Famil. Qui ipſe ſapiens ſibi prodeſſe nequit, nec quidquam ſapit. Et 1. de Inuent. Ad Remp. plurima veniunt commoda, ſi moderatrix rerum omnium pręſto eſt ſapientia. Sed, inquit Plautus in Truculento, In Republica Litteraria Ciues arguti ſine virtute ſimiles ſunt præficarum.

CAPVT VI.

Septem Græciæ Sapientes, & eorum dicta.

MAgnum mundi miraculum eſt, vir Sapiens. Antiquitas Sapientum nomine ſeptem cenſuit, Hi ſunt, Solon Atticus, Chilon Lacedæmonius, Cleobulus Lydius, Thales Mileſius, Bias Prieneus, Pittacus Mithileneus, Periander Corinthius. Eorum hæ ſunt ſententiæ. *Septem Sapientes.*

SOLONIS Sententiæ. *Sententiæ Solonis.*

Spectare vitæ iubeo cunctos terminum.
Rege cùm priùs regi didiceris,
Rationem & Ducem ſequere.
Nolito cum malis congredi.
Deos venerare, parentes reuerere.

CHILONIS Sententiæ. *Sententiæ Chilonis.*

Noſce te ipſum. In via ne feſtina.
Inter loquendum ne agita manum.
Linguam in conuiuio contine.
Damnum potius, quàm turpe lucrum elige.
Iracundiam ſupera.

CLEOBOLI Sententiæ. *Sententiæ Cleoboli.*

Optimus eſt modus. Ingratus ne ſis,
Amicos beneficiis foue. Inimicos fac amicos.
Vxorem comparem elige.
Audiendi, quàm loquendi, ſtudioſior ſis.
Antequam domo exeas, quid acturus ſis cogita,
Reuerſus quid egeris, remetiare.

THALETIS Sententiæ. *Thaletis.*

Sponde, noxa præſto eſt.
Antiquiſſimus omnium eſt Deus, pulcherrimus mundus,
Velociſſima mens, antiquiſimum tempus.

BIANTIS Sententiæ.

Viaticum ad ſenectutem tibi compara, nempè virtutem, *Biantis.*
Plures ſunt mali. Omnia mea mecum porto.
Melius eſt inter inimicos, quàm amicos iudicare.

PITTACI Sententiæ.

Noris tempus ſeù oportunitatem. *Pittaci.*
Depoſitum cùm acceperis, redde.
Amico noli maledicere, ne inimico quidem.
Pietatem colito, frugi eſte, virtutem cuſtodito.
Optimum eſt bene agere.
Si quid facturus es, ne dixeris.

PERIANDRI Sententiæ.

Meditatio totum eſt. Bona quies eſt.
In rebus ſecundis eſto moderatus, in aduerſis, prudens. *Periandri.*
Quodcunque pollicitus fueris ſeruato.
Peccantes, & peccare geſtientes punit.

S 3 Hæ

Hæc celebriores ſunt Sapientum illorum Sententiæ, & præclaræ omninò ad vitam rectè degendam regulæ, quibus poſitis manum de tabula tollo.

Additamentum.

APud Laërtium eorum vitæ deſ,ribuntur; apud eundem & alios quędam præterea eorum dicta legi colligiq; poſſunt.

Porrò, vt finiamus, quæcunque in hac Morum Doctrina traduntur, non argutis hominũ otioſorũ diſputationibus agitari volunt, ſed conatu honeſtè viuendi ad vſum in omni vita transferri. Nam, vt dicebat olim Antiſthenes, Virtus eſt res operum, & eius laus omnis in actione conſiſtit. Quærenda non eſt diu virtus, ſed ea diu eſt vtendum.

F I N I S.



INDEX

INDEX
TITVLORVM ET CAPITVM
LIBRI PRIMI.

De Bono, Summo bono, & Actionibus Humanis.

TITVLVS I.

De Bono.

1 Quid ſit bonum. 1
2 An omnia bonum appetant. 2
3 An omnia propter finem agant. 3
4 An neceſſarium ſit finem aliquem eſſe Actionibus humanis propoſitum. ibid.
5 Variæ boni diuiſiones. 4

TITVLVS II.

De Summo Bono

1 Quid ſit Summum Bonum, & quale. 5
2 An ſit aliquis vltimus finis, ſeu bonum aliquod ſummum hominis. 6
3 An ſummi boni ſolus homo ſit capax. 7
4 An in hac, an verò in futura vita ſummum illud ſit bonum. ibid.
5 An ergò felix eſſe miſer non poſſit. 8
6 Variæ Veterum de felicitate ſententia. 9

TITVLVS III.

De Summo Bono Politico.

1 An ſummum bonum ſit in voluptate. 10
2 An ſit in Diuitijs. 13
3 An in honoribus. 14
4 An ſit in Virtute; & ſi in ea, an in habitu vel operatione. 16
5 Quid ſentiendum ſit de Platonis, Socratis, ac nonnullorum aliorum opinionibus. 17
6 In quo ergò poſitum ſit ſummum huius vitæ Bonum quod Politicum appellamus. 19
7 An tria bonorum genera ad felicitatem requirantur ibid.

TITVLVS IV.

De Actionibus Humanis.

1 Quid ſit actio humana, & quotuplex. 21
2 Quid ſit actionem humanam eſſe liberam, & quid eſſe Moralem. 22
3 In quo actionum internarum bonitas conſiſtat. 23
4 In quo actionum internarum malitia conſiſtat. 25

TITVLVS V.

De Actionibus Humanis internis.

1 De Voluntate. 26
2 An voluntatis libertas per metum, item per vim impediatur. 27
3 An voluntatis libertas per ignorantiam & concupiſcentiam impediatur. 29
4 An cogi hominis voluntas poſſit. 31
5 De intentione. 32
6 De electione. 33
7 De Conſenſu & Vſu. 35
8 De Fruitione. 38

TITVLVS VI.

De Actionibus Externis.

1 Quæ ſint actiones humanæ externæ, quæ earum bonitas, & malitia. ibid.

LIBRI SECVNDI.

De Affectibus.

TITVLVS I.

De Affectibus in genere.

1 Quid ſint affectus, quæ eorum ſedes, quis finis. 37
2 Quotuplices ſint affectus. 38
3 An affectus boni aut mali ſint, & an naturales. 39
4 Quæ ſit cauſa immoderatorum affectuum. 40
5 An qui virtute præditus eſt, omni careat affectu. 41
6 Vnde affectuum diuerſitas oriatur. 42
7 Moderandos eſſe affectus & regendos. 43
8 Quanta vis ſit affectuum. 44
9 Vnde eueniat, quod animi affectus corpus etiam afficiant, & contra. 45

TITVLVS II.

De Amore.

1 Quid ſit Amor, & quotuplex. 47
2 Quot & quæ Amoris ſint cauſæ. 48
3 Quot & quinam amoris ſint effectus. 49
4 Exempla quibus iam dicti effectus declarantur. 50
5 Quid antiqui de Amore Venereo ſenſerint. 51

6 Quæ

6 Quæ remedia ſint contra peruerſum & nimium amorem. 53

TITVLVS III.

De Odio.

1 Quid Odium, & quæ eius cauſa. 55
2 Quid de odio ſentiant Scriptores. ibid.
3 Qui fiat quod Hereas odium plerunque comitetur. 56
4 An odiſſe ſeipſum quis poſſit, aut veritatem. 57
5 Remedia aduerſus odium. ibid.

TITVLVS IV.

De Deſiderio.

1 Quid ſit deſiderium, & quotuplex. 58
2 Quænam ſint deſiderii effectus. 59
3 Quænam ſint deſiderii vehementioris remedia. 60

TITVLVS V.

De Fuga.

1 Quid ſit Fuga, & quotuplex. 61

TITVLVS VI.

De Voluptate ſeu Lætitia.

1 Quid ſit Voluptas. ibid.
2 Quæ ſint voluptatis cauſa. 62
3 Qui ſint voluptatis effectus. 63
4 Quæſtiuncula aliquot circa voluptatem. 64
5 Exempla eorum, qui nimiâ voluptate ſeu lætitiâ interierunt. 65
6 An deceat Sapientem ridere. 66
7 Quæ remedia ſint contra voluptatem ſeu lætitiam immoderatam, aut turpem. 67

TITVLVS VII.

De Triſtitia ſeu Dolore.

1 Quid ſit Triſtitia, & quæ eius ſpecies. 68
2 Quæ ſint cauſæ, & qui effectus triſtitiæ ſeu doloris. 70
3 De natura eorum, qui triſtitiâ commouentur. 71
4 Quomodo triſtitia ſeu dolor leniatur. 72
5 An deceat virum fortem mæſtum eſſe ac lugere. 73
6 Quæ ſint aduerſus triſtitiam remedia. 74
7 An triſtitia ſit homini naturalis. 75

TITVLVS VIII.

De Spe.

1 Quid ſit Spes. 76
2 Quænam ſpei ſint cauſa, & qui effectus. 77
3 Quid Antiqui de ſpe ſenſerint. 78
4 Conſilia quædam pro ſpe regenda. 79

TITVLVS IX.

De Deſperatione.

1 Quid ſit Deſperatio, & vnde potiſſimùm oriatur. 80
2 De alia quâdam deſperatione. ibid.
3 Remedia contra priorem illam deſperationem. 81
4 An deſperatio viros fortes reddat. 82

TITVLVS X.

De Timore.

1 Quid ſit Timor, & quæ eius cauſa. 83
2 Qui ſint timoris effectus. 84
3 Exempla eorum, qui nimio timore animum abiecerunt, aut ſubitò interierunt. 85
4 Quæ ſunt timoris ſpecies. 86
5 Quæ ſint nimij timoris remedia. 87

TITVLVS XI.

De Audacia.

1 Quid ſit Audacia, & in quibus ſit. 88
2 Exempla eorum, qui temerè audaces fuerunt. ibid.
3 Quæ ſint aduerſus audaciam remedia. 89
4 An nulla ſit probanda audacia. 90

TITVLVS XII.

De Ira.

1 Quid ſit Ira. ibid.
2 Quæ cauſa ſint iræ. 91
3 Quæ ſpecies ſint iræ. 92
4 Qui ſint effectus. ibid.
5 Quæ ſint contra iram remedia. 94
6 Quæſtiuncula aliquot. 95

LIBRI TERTII.

De Virtutibus & Vitiis.

TITVLVS I.

De Virtute in genere.

1 Quid Virtus. 98
2 Quid ſit illud medium mediocritas illa virtutis. 99
3 An virtus nobis inſit à natura. 100
4 An ergò virtus frequenti actionum honeſtarum exercitio & conſuetudine acquiratur. 101
5 Quænam virtutis materia & quis finis. 102
6 Quomodo virtus diuidatur. 103
7 An Virtutes Morales omnes inter ſe ſint connexæ. 104
8 An ſaltem cum prudentia virtutes omnes ſint coniunctæ. 105

9 An virtutes ſcientiis diutius durent. ibid.
10 Quæ virtutis dignitas, & quæ vis eiuſdem. 106

TIT. II.

De Prudentia.

1 Quid Prudentia. 108
2 Quot & quæ prudentiæ officia. 109
3 Quæ partes prudentiæ. 110
4 De Prudentia Politica, Oeconomica, Monaſtica. 112
5 Quomodo contra prudentiam erretur. 113
6 Quæ vitia prudentiæ contraria, quid potiſſimùm cauendum, & quæ eius extrema. 114
7 In quo maximè prudentis officium cernatur. 116
8 Quomodo quis prudens exiſtat. ibid.
9 Quare difficilis & obſcura prudentia. 118
10 De principiis, quibus prudentia conſultando vtitur. ibid.
11 An prudentia viris illuſtribus neceſſaria. 119

TIT. III.

De Fortitudine.

1 Quid Fortitudo, & quæ eius materia. 120
2 Quodnam officium fortitudinis. 122
3 Quæ fortitudinis partes ſeu ſpecies. 123
4 Quænam vitia fortitudini opponantur. ibid.
5 Quis verè fortis, & quomodo fiat. 124
6 Verum præſtantius aggredi, an ſuſtinere. 126
7 An qui ſeipſos interficiunt fortes dicendi. ib.
8 Quæſtiunculæ aliquot de fortitudine. 128

TIT. IV.

De Speciebus Fortitudinis.

1 De Magnanimitate. 130
2 An probandum honoris ſtudium. 132
3 De Magnificentia. 133
4 De Fiducia. 135
5 De Patientia & perſeuerantia. 136
6 De Conſtantia. 138

TIT. V.

De Temperantia,

1 Quid Temperantia, quæ materia, quod officium eius. 139
2 Quæ & quot temperantiæ ſpecies. 140
3 Quænam Temperantiæ regula. 141
4 De vitiis temperantiæ contrariis. ibid.
5 De Continentia ſeu caſtitate. 142
6 De Abſtinentia & ſobrietate. 143
7 Quæſtiuncula circa temperantiam. 145
8 De Clementia & manſuetudine. 148
9 De Modeſtia. 149
10 Quæſtiuncula circa modeſtiam. 151
11 De Verecundia & pudore. 152

TIT. VI.

De Iuſtitia.

1 Quid Iuſtitia communis. 153
2 Quid Iuſtitia particularis, quæ eius materia, quod officium, quis finis. 155
3 Quæ ſint eius ſpecies. 156
4 Quotuplex ius, & quæ iuris præcepta. 158
5 Alia Iuſtitiæ partitio, in diuinam, naturalem, ciuilem, iudicialem. ibid.
6 De Religione. 160
7 De Pietate & obſeruantia. 161
8 De veritate & vindicatione. 164
9 De gratitudine, ſeu gratia. 165
10 De liberalitate. 167
11 De iniuſtitia. 169
12 Varia circa iuſtitiam quæſtiuncula. ibid.

TIT. VII.

De Virtute Heroica.

1 Quid ſit Virtus Heroica. 171
2 Vnde virtutis eminentia & ſplendor oriatur. ibidem.
3 An etiam in fœminis Heroica eſſe virtus poſſit. 172
4 Quæ vitia virtuti Heroicæ ſint oppoſita. ib.
5 An verum ſit prouerbium, Heroum filii noxæ. 173

LIBRI QVARTI.

De Virtutis fructu & aliis.

TIT. I.

De Ciuilitate ſeu Morum compoſitione.

1 Quid ſit Ciuilitas, & in quo conſiſtat. 174
2 De Honeſtate. 175
3 De Humanitate, & Affabilitate. 176
4 De Conuerſatione, in qua ciuilitas apparet. 177
5 De conuerſatione Senum & Adoleſcentum. 178.
6 De conuerſatione Doctorum, & indoctorum. 179
7 De conuerſatione incolarum & Peregrinorum. 180
8 De conuerſatione virorum & fœminarum. 181
9 De taciturnitate in conuerſatione. 182
10 De vrbanitate in iocis. 184

TIT. II.

De Honore.

1 Quid ſit Honor. 185
2 An honor ita cum virtute ſit coniunctus, vt priuari eo non poſſit, qui dignus eſt. 186

3 An

3 *An etiam vita functis honor ſit exhibendus.* 187
4 *An honor ſit aliquando fugiendus.* ibid.
5 *An honor ſeu gloria virtutis ſit præmiũ.* 188

TIT: III.

De Regulis vitæ.

1 *Regulæ ex prudentia collecta.* 189
2 *Regulæ ex fortitudine collectæ.* 190
3 *Regulæ ex iuſtitia collecta.* ibid.
4 *Regula ex temperantia collecta.* 191

TIT. IV.

De Amicitia.

1 *Quid ſit Amicitia, & quis Amicus.* 192
2 *Variæ amicitiæ diuiſiones.* 193
3 *Cauſæ amicitiæ.* 194
4 *Quæ requirantur in ijs, qui perfectam amicitiam habent, conditiones.* 195
5 *Effectus amicitiæ.* ibid.
6 An rectè dicatur, *amicus optima vitæ poſſeſſio.* 197
7 *Quomodo parandi ſint amici.* ibid.
8 *An vera amicitia tantùm inter bonos.* 198
9 *An vera amicitia calumnijs & criminationibus ſit expoſita.* 199
10 *An vera amicitia inter plures eſſe poſſit.* 200
11 *Quibus in rebus veri amici probentur.* ibid.
12 *Variæ de amicitia quæſtiunculæ.* 101

TIT. V.

De Virtutibus Mentis.

1 *Quid, & quot ſint virtutes Intellectus.* 204
2 *De Intelligentia.* ibid.
3 *De Arte.* 205
4 *De Scientia.* 207
5 *De Sapientia.* 208
6 *Septem Græciæ Sapientes, & eorum dicta.* 209

FINIS.

Digitized by Google